Universitätsbibliothek Paderborn

# Cursus Theologico-Moralis

Ad usum Tyronum elucubratus, Et in Quotidianis Prælectionibus

Quoad ea, quæ Moralis Theologia disputat De Sacramentis, & Censuris

**Viva, Domenico**

**Patavii, 1723**

Pars Sexta. De Sacramento Poenitentiæ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40650

Visual Library

# CURSUS
# THEOLOGICO-MORALIS
## Tomus Poſterior

Quoad ea, quæ Moralis Theologia diſputat
DE SACRAMENTIS, & CENSURIS,
Ad uſum Tyronum elucubratus,
*Et in Quotidianis Prælectionibus*

A P. DOMINICO VIVA
SOCIETATIS JESU
SACRÆ THEOLOGIÆ PROFESSORE
Suis Auditoribus Traditus
*In Palæſtra Collegii Neapolitani ejuſdem Societatis*,
Cupientibus, atque inſtantibus Theologiæ Moralis Candidatis,
IN LUCEM PUBLICAM EDITUS,
AC DICATUS
*EXCELLENTISSIMO PRINCIPI*
D. MARCO ANTONIO
BORGHESIO
SULMONÆ PRINCIPI, ac ROSSANI,
PROREGI JAM NEAPOLITANO, &c.

*PARS SEXTA.*
## DE SACRAMENTO POENITENTIÆ.

PATAVII, Ex Typographia Seminarii, MDCCXXIII.
Apud Joannem Manfrè.
*SUPERIORUM PERMISSU, ac PRIVILEGIO.*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# INDEX
## QUÆSTIONUM, ET ARTICULORUM,
### Qui in hoc Theologico-Morali Opuſculo
### De POENITENTIÆ SACRAMENTO continentur.

### QUÆSTIO PRIMA.


De Eſsenta, inſtitutione, & fructu Sacramenti Pœnitentiæ. 3

ART. I. *De Eſſentia hujus Sacramenti.* ibid.
ART. II. *De Inſtitutione hujus Sacramenti.* 6
ART. III. *De Effectibus Sacramenti Pœnitentiæ.* 10


### QUÆSTIO II.


De Materia remota Sacramenti Pœnitentiæ. 14

ART. I. *De Peccato fictinis in inſtanti Baptiſmi commiſſo.* 15
ART. II. *De Peccato dubio.* 17
ART. III. *De Peccato, quod fuit expoſitum ut dubium, & deinde deprehenditur certum.* 24
ART. IV. *De Peccato pro putato.* 28
ART. V. *De Peccatis aliis confeſſis.* 31
ART. VI. *De Peccatis Venialibus.* 35


### QUÆSTIO III.


De Prima parte materiæ proximæ hujus Sacramenti, quæ eſt dolor. 36

ART. I. *De Contritione perfecta.* ibid.
ART. II. *De Attritione ſupernaturali.* 45
ART. III. *De Dolore ad Sacramentum Pœnitentiæ requiſito.* 51
ART. IV. *De Propoſito ad Sacramentum Pœnitentiæ requiſito.* 62


### QUÆSTIO IV.


De Confeſſione Sacramentali. 69

ART. I. *An Confeſſio ſit neceſſaria neceſſitate medii?* ibid.
ART. II. *Quomodo Confeſſio Sacramentalis ſit neceſſaria neceſſitate præcepti divini?* 71
ART. III. *De Præcepto Eccleſiaſtico annuæ Confeſſionis.* 72
ART. IV. *De Quidditate, & conditionibus Confeſſionis Sacramentalis.* 80


### QUÆSTIO V.


De Integritate Confeſſionis. 83

ART. I. *De diligentia examinis ad integritatem Confeſſionis requiſita.* ibid.
ART. II. *De integritate Confeſſionis quoad circumſtantias peccati.* 85
ART. III. *Expenduntur ſpecialia dubia circa ſingulas circumſtantias; Et primo de Circumſtantia, Quis.* 92
ART. IV. *De Circumſtantia Quid.* 93
ART. V. *De aliis circumſtantiis, Ubi, Quibus auxiliis, Cur, Quomodo, Quando.* 97


ART. VI.

ART. VI. *De integritate Confeſſionis quoad numerum peccatorum.* 102
ART. VII. *De Cauſis excuſantibus ab integritate materiali Confeſſionis.* 106
ART. VIII. *De Confeſſione Moribundi.* 115
ART. IX. *Quando, & quomodo repetenda ſit Confeſſio?* 118

QUÆSTIO VI.

De Satisfactione. 120

ART. I. *De Pœnitentia a Confeſſario injungenda.* 121
ART. II. *De Pœnitentia a Pœnitente adimplenda.* 125
ART. III. *De Commutatione Pœnitentiæ.* 128

QUÆSTIO VII.

De Forma Sacramenti Pœnitentiæ, quæ eſt abolutio. 133

ART. I. *Quænam ſit forma abſolutionis?* ibid.
ART. II. *Quandonam conferri poſſit abſolutio ſub conditione, aut differri?* 136
ART. III. *Expediuntur reliqua ad abſolutionem ſpectantia.* 139

QUÆSTIO VIII.

De Miniſtro Sacramenti Pœnitentiæ. 141

ART. I. *De Juriſdictione ordinaria, ac delegata Confeſſarii.* ibid.
ART. II. *De Juriſdictione dubia, probabili, & in articulo mortis.* 149
ART. III. *De Approbatione in Confeſſario requiſita.* 154
ART. IV. *De Prudentia, Probitate, & Scientia in Confeſſario requiſita.* 157
ART. V. *De Obligationibus Confeſſarii in ipſa Sacramenti adminiſtratone.* 158

QUÆSTIO IX.

De Caſibus reſervatis. 167

ART. I. *Quinam poſſint reſervare caſus?* ibid.
ART. II. *Quænam peccata cadant ſub reſervationem?* 170
ART. III. *De iis, qui ſubjacent reſervationi.* 176
ART. IV. *Quinam poſſint abſolvere a reſervatis, & quomodo?* 181

QUÆSTIO X.

De Sigillo Confeſſionis. 187

ART. I. *De Obligatione Sigilli Sacramentalis.* ibid.
ART. II. *De Materia ſigilli Sacramentalis.* 190
ART. III. *Quoſnam obliget Sigillum?* 193
ART. IV. *An poſſit aliquando Confeſſarius uti notitia habita in Confeſſione?* 195

QUÆSTIO XI.

De Indulgentiis. 200

ART. I. *Quid, & quotuplex ſit Indulgentia?* ibid.
ART. II. *De Effectibus Indulgentiæ.* 202
ART. III. *Quiſnam poſſit Indulgentias concedere?* 205
ART. IV. *Quænam cauſa requiratur ad legitimam Indulgentiarum conceſſionem?* 207
ART. V. *De diſpoſitione ad Indulgentiam lucrandam requiſita.* 208

CUR-

# CURSUS THEOLOGICO-MORALIS

## Ad uſum Tyronum elucubratus.

## *DE* PŒNITENTIÆ SACRAMENTO.

### *PARS SECUNDA.*

### Procœmium.

POENITENTIA, ſuaviſſimum miſeris nomen, dicata prius fuit a Deo in Paradiſo voluptatis, ut inciperet eſſe virtus; deinde a Chriſto Domino noſtræ ſalutis vindice in Paradiſo Eccleſiæ conſecrata, ex virtute facta eſt Sacramentum. Quatenus eſt Sacramentum, Pœnitentia eſt Signum ſenſibile, ſeu cæremonia ſacra a Chriſto Domino inſtituta, qua aliquis confitetur peccata commiſſa poſt Baptiſmum Sacerdoti habenti juriſdictionem, cum debito dolore, & propoſito emendationis, ab eoque abſolutionem recipit, impoſita ſalutari pœna: Quatenus vero eſt Virtus, importat non ſolum reſipiſcentiam, hoc eſt mutationem conſilii, & vitæ novitatem, ſed etiam triſtitiam, & dolorem de peccato, quo quis in ſe ipſo punit, ac vindicat commiſſa flagitia: Quod patet, tum a nominis etymologia; Pœnitentia enim ex Auguſt. eſt quaſi Pœnæ tenentia, & ex Iſidoro, quaſi Punientia; tum etiam ex uſu Sacræ Scripturæ, & omnium Doctorum, qui in hoc ſenſu pœnitentiam uſurpant; ut Lucæ 10. *Si in Tyro, & Sidone factæ eſſent virtutes, quæ factæ ſunt in te, olim in cilicio, & cinere pænitentiam egiſſent*. Unde Gregorius lib. 34. in Evangelia ait, *Pœnitentiam agere eſt, & perpetrata mala plangere, & plangenda non perpetrare*. Et ipſe Ovidius lib. 1. de Ponto.

Pœnitet, oh ſi quid miſerorum creditur ulli!
Pœnitet, & facto torqueor ipſe meo:
Cumque ſit exilium, magis eſt mihi culpa dolori,
Eſtque pati pœnam, quam meruiſſe minus.

De pænitentia ut virtute fuſe agunt Scholaſtici: Theologi vero morales obiter de ea diſputant, cum de dolore requiſito ad Sacramentum pænitentiæ, plenam tractationem inſtituentes de Pænitentia, ut Sacramento; quod a Conciliis, & Patribus variis nominibus appellatur; Dicitur enim Lavacrum animarum, Secunda purgatio, Reconciliatio, Baptiſmus iterabilis, ſecunda poſt naufragium deperditæ gratiæ tabula; quibus, & aliis nominibus ſatis exprimitur ejus præſtantia, ac ſumma neceſſitas: Scopus itaque hujus tractatus erit, Miniſtros Eccleſiæ erudire ad rectam hujus Sacramenti adminiſtrationem.

Quare primo quæremus Eſſentiam metaphyſice, ac phyſice conſideratam, Inſtitutionem, & Effectus Sacramenti Pænitentiæ. Secundo, quænam ſit ejus materia remota? Tertio agemus de prima parte materiæ proximæ, quæ eſt Dolor. Quarto de ſecunda parte materiæ proximæ, quæ eſt Confeſſio: Ubi ſpeciatim quinto loco agemus de Confeſſionis integritate. Sexto de Satisfactione, quæ pars eſt integralis hujus Sacramenti. Septimo de ejuſdem forma, quæ eſt Abſolutio. Octavo multa quæremus de Miniſtro, præſertim quænam ſcientia, approbatio, & juriſdictio in eo requiratur? Nono, de Caſibus reſervatis; Decimo, de Sigillo Confeſſionis; Ac demum nonnulla huc pertinentia dicemus de Indulgentiis.

QUÆ-

# QUÆSTIO PRIMA.

## De Eſſentia, Inſtitutione, & Fructu Sacramenti Pœnitentiæ.

SIgillatim diſcutiemus primo eſſentiam hujus Sacramenti, tum metaphyſicam, quæ eſt ejus definitio, tum phyſicam, quæ conflatur ex materia, & forma; Deinde ejus inſtitutionem; ac demum finem, & fructus, quos operatur.

### ARTICULUS I.

De Eſſentia hujus Sacramenti.

*I. Sacramentum Pœnitentiæ metaphyſice conſideratum quid ſit?*
*II. Quid importet conſideratum phyſice?*
*III. Quænam Sacramenti hujus pars ſignificet, & cauſet gratiam?*
*IV. Quomodo actus pænitentiæ gratiam remiſſivam peccati ſignificare, & efficere poſſint?*
*V. Contritio, quamvis inſenſibilis de ſe, adhuc poteſt conſtituere Sacramentum ſenſibile; Et quid de intentione Miniſtri?*
*VI. Quomodo ſatisfactio ad Sacramenti hujus conſtitutionem pertineat?*
*VII. Num Satisfactio ſignificet gratiam peccati remiſſivam, an ſolius pœnæ remiſſionem?*

I. SIcut eſſentia E. G. Hominis alia eſt Metaphyſica conſtituta per genus, & differentiam tamquam per partes metaphyſicas, & ſic dicitur eſſe Animal rationale: Alia eſt phyſica conſtituta per materiam, & formam tanquam per partes phyſicas, & ſic dicitur eſſe compoſitum conſtans ex corpore, & anima rationali: ita Sacramenti Pœnitentiæ eſſentia alia eſt Metaphyſica conſtituta per genus, & differentiam, alia pariter phyſica conſtituta per materiam, & formam.

Quæritur itaque primo, Quænam ſit definitio, ſeu Metaphyſica eſſentia hujus Sacramenti per genus & differentiam conſiderati?

Reſpondeo, Sacramentum pænitentiæ definiri, *Signum ſenſibile ſignificans, & conferens gratiam ſanctificantem, inſtitutum a Chriſto Domino per modum judicii ad remittenda peccata poſt baptiſmum commiſſa*: In quantum eſt ſignum ſenſibile efficax gratiæ, convenit cum reliquis Sacramentis; in quantum vero inſtitutum per modum judicii, differt ab aliis. Brevius tamen definiri poteſt, *Sacramentum judicialis reconciliationis poſt baptiſmum*.

II. Quæritur ſecundo; An Sacramentum pœnitentiæ ſuam habeat eſſentiam phyſicam, nempe compoſitionem ex materia, & forma, tanquam ex partibus phyſicis? Et quænam illæ ſint?

Reſpondeo, Hanc etiam eſſentiam competere huic Sacramento: Sicut enim reliqua Sacramenta conſtant ex materia, ſeu parte magis determinabili, & forma, ſeu parte magis determinativa, ut docent Concilia: ita pariter Sacramentum Pœnitentiæ. Eſt autem diſtinguenda in omnibus Sacramentis materia proxima, ſeu ex



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

qua, a remota, ſeu circa quam. Nam in baptiſmo, exempli gratia, aqua dicitur materia remota, ablutio vero materia proxima, & verba illa, *Ego te baptizo, &c.* ſunt forma talis Sacramenti: Eodem pacto in Sacramento pænitentiæ materia remota ſunt peccata; materia vero proxima communiter cenſentur eſſe actus pænitentis, ſcilicet, Confeſſio doloroſa, ſeu dolor, & confeſſio, quibus additur ſatisfactio, tamquam pars integralis, non eſſentialis: Forma autem ſunt verba Sacerdotis dicentis, *Ego te abſolvo, &c.* Conſtat hoc ex Trident. ſeſſ. 14. cap. 3., ubi aperte docemur, verba miniſtri eſſe formam hujus Sacramenti. Et quamvis actus pœnitentis dicantur a Concilio eſſe *quaſi materia*, non vero materia; hinc tamen ſolum infertur, (ut explicat Catechiſmus de Sacramento pœnitentiæ cap. 4.) quod materia hujus Sacramenti non ſit aliquod elementum, ut in baptiſmo eſt aqua, in confirmatione oleum, &c., non vero quod actus pænitentis non ſint propria materia Sacramentalis; quandoquidem analogicam ſimilitudinem dicunt ad materiam phyſicam, eo pacto, quo verba Miniſtri ratione ejuſdem analogiæ dicuntur proprie forma.

Hinc ſequitur, Sacramentum pænitentiæ, phyſice conſideratum, optime definiri, quod ſit *Compoſitum artificiale, ſeu morale conſtans ex actibus pænitentis, & verbis Sacerdotis inſtitutis ad ſignificandam, & conferendam gratiam remiſſivam peccati poſt baptiſmum commiſſi per modum judicii.*

III. Diſputant Scholaſtici, cuinam parti competat ſignificare, & cauſare gratiam? Scot. in 1. diſtinct. 16. cenſet, ſoli formæ id competere; unde per Scot. ſola forma, ſeu verba Miniſtri, adæquate conſtituit hoc Sacramentum. Gabriel vero cenſet, confeſſionem, & abſolutionem, quæ ſunt ſigna ſenſibilia, conſtituere hoc Sacramentum: contritionem vero, utpote inſenſibilem, eſſe ſolummodo requiſitum. Sed communior, & verior ſententia docet, contritionem, & confeſſionem eſſe materiam, & compartem hujus Sacramenti, quæ ſignificat, & cauſat gratiam, non ſecus ac forma; ſatisfactionem vero eſſe partem integralem; quia per ſatisfactionem quamvis non conſtituatur eſſentialiter, certe perficitur, & integratur judicium, & per illam remittitur pœna temporalis.

Diſputant etiam Scholaſtici de intentione requiſita in miniſtro ad conferendum Sacramentum Pęnitentiæ: num ſit merum requiſitum, an vero pars conſtitutiva Sacramenti? Et nonnulli docent, eſſe merum requiſitum; (non ſecus ac eſt merum requiſitum eſſentiale in Pænitente intentio ſuſcipiendi Sacramentum) atque adeo nullo pacto cauſare gratiam, ſicut cauſatur a qualibet parte conſtitutiva Sacramenti. Probabilius tamen recentiores docent, conſtituere actum judicialem, atque adeo ipſum Sacramentum; Quod fuſe nos proſecuti ſumus in Curſu Theologico part. 7. diſput. 1. quęſt. 1. art. 3.

IV. Oppones primo. Quod eſt materia proxima hujus Sacramenti, debet ſignificare, & cauſare gratiam ſanctificantem; ſed actus pænitentis, ſcilicet contritio, confeſſio, & ſatisfactio non poſſunt ſignificare, & cauſare gratiam ſanctificantem; ergo non ſunt materia proxima, ſed merum requiſitum; atque adeo ſola forma, ſeu abſolutio conſtituit hoc Sacramentum. Major patet, quia Sacramentum eſt ſignum practicum gratiæ; ergo quælibet pars Sacramenti debet eſſe ſignum practicum gratiæ; ſed materia proxima eſt pars Sacramenti; ergo debet eſſe ſignum practicum gratię. Minor itaque probatur, & quidem quod a-



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ctus pœnitentis non ſignificent gratiam, videtur perſpicuum; nam tota ſignificatio gratiæ remiſſivæ peccati habetur in verbis abſolutoriis: Deinde quod neque producant gratiam actus pœnitentis, ſuadetur, tum quia quando producitur gratia Sacramentalis, non eſt actu confeſſio; & ſæpe nec contritio, quæ præfuit; Tum etiam quia, ſi actus pœnitentis producerent gratiam, pœnitens diceretur ſibi remittere peccata, & miniſtrare Sacramentum pœnitentiæ, quod eſt falſum; cum hoc ſit ſolius Miniſtri.

Reſpondeo primo, nego majorem cum Ferrarienſi, Capreol., & aliis; ſicut enim homo eſt rationalis, quin ſingulæ partes hominis ſint rationales, cum materia non diſcurrat; & homo videt, non tamen ſingulæ partes hominis, ſed ſolus oculus: ita Sacramentum eſt ſignum practicum gratiæ, etiamſi non ſignificent, & cauſent gratiam ſingulæ partes Sacramenti.

Reſpondeo ſecundo, omiſſa majore, nego minorem. Ad primam probationem dico, quod quamvis abſolutio magis explicite ſignificet gratiam remiſſivam peccati, tamen illam etiam ſignificant actus pœnitentis; quia ſicut per illos peccator ex parte ſua e diſponit ad obtinendam remiſſionem peccati; ita illis ſignificatur aliquo pacto ipſa remiſſio peccati, quam Deus concedit bene ſe diſponenti. Ad ſecundam probationem dico, actus pœnitentis cauſare gratiam moraliter, non phyſice, ſi non coexiſtant cum verbis Sacerdotis; ſicut Baptiſmus cum peccato ſuſceptus, recedente fictione, moraliter, non phyſice cauſat gratiam ſuam.

Ad id, quod ultimo loco additur, dico, quod cum actus penitentis concurrant ad productionem gratiæ per conjunctionem cum forma a Miniſtro prolata, idcirco ſoli Miniſtro tribuitur adminiſtratio Sacramenti, & productio gratiæ. Patet hoc in Sacramento Ordinis, in quo contactus ſuſcipientis eſt materia proxima productivæ gratiæ; quia tamen contactus cauſat gratiam per conjunctionem cum forma Sacramenti a Miniſtro prolata, idcirco ſoli Miniſtro tribuitur collatio Sacramenti Ordinis. Quare univerſim qui ponit partem materialem Sacramenti, non dicitur illud conficere, aut miniſtrare; ſicut qui conficit lignum, quod eſt pars materialis ſtatuæ, non dicitur ſtatuam conficere, & qui conficit panem conſecrandum, quamvis ponat ſpecies euchariſticas productivas gratiæ, non dicitur tamen Sacramentum Euchariſtiæ conficere: Solus igitur Sacerdos, qui ponit formam Sacramenti, illud conficit, & miniſtrat; quia ponendo formam, elevat materiam præſuppoſitam ad rationem Sacramenti.

V. Oppones ſecundo; Intentio Miniſtri cum non ſit ſignum ſenſibile, non eſt materia proxima juxta multorum ſententiam, nec conſtituit Sacramentum, quod eſt ſignum ſenſibile, ſed eſt merum requiſitum: ergo neque contritio erit materia proxima, cum pariter ſit inſenſibilis.

Reſpondeo, tranſmiſſo antecedente, nulla eſt conſequentia; Diſparitas eſt, quia Tridentinum eodem modo loquitur de confeſſione, ac de contritione; dicit enim ſeſs. 14. cap. 3. *Sunt autem quaſi materia hujus Sacramenti ipſius pœnitentis actus, nempe contritio, confeſſio, & ſatisfactio*; ergo ſicut confeſſio, ita contritio Sacramentum conſtituunt: Et quamvis contritio non ſit ſignum ſenſibile, fit tamen ſenſibilis per accidens, videlicet per confeſſionem; non ſecus ac in matrimonio conſenſus conjugum conſtituentes Sacramentum redduntur ſenſibiles per ſigna externa; & in Sacramento Euchariſtiæ corpus Chriſti Domini fit ſenſibile, & demonſtrabi-

le

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

le per ſpecies eucharisticas: Contra vero, intentio Miniſtri licet poſſet etiam reddi ſenſibilis per ſigna externa; at quia non liquido conſtat, quod ſit collativa gratiæ, & Sacramentum conſtituat, ideo putant nonnulli, quod ſit merum requiſitum.

VI. Oppones tertio: Satisfactio conſequitur abſolutionem; ergo non poteſt eſſe pars materialis hujus Sacramenti. Materia enim præcedit, non ſequitur formam.

Reſpondeo, Satisfactionem pertinere ad hoc Sacramentum, tamquam partem materialem integralem, non eſſentialem; poteſt autem pars materialis integralis conſequi formam, & totum conſtitutum ex partibus eſſentialibus, ut dentes conſequuntur ad hominis conſtitutionem; Quare ſicut poteſt dari homo conſtitutus per corpus, & animam, quæ ſunt partes eſſentiales, etiamſi careat dentibus, aut aliquo brachio, quod eſt pars integralis; ita poteſt dari Sacramentum pænitentiæ eſſentialiter conſtitutum per contritionem, confeſſionem, & abſolutionem, antequam ponatur ſatisfactio.

Dubium hic eſt, Utrum ſatisfactio participet rationem Sacramenti per hoc, quod ſit ſignum practicum gratiæ, an vero per hoc, quod ſit ſignum practicum duntaxat remiſſionis pænæ? cum enim Sacramentum pænitentiæ ſit remiſſivum culpæ ſimul, & pænæ, videtur ſatis eſſe, ut ſatisfactio dicatur participare rationem hujus Sacramenti, & eſſe pars integralis illius, ſi ſolum ſignificet, & cauſet remiſſionem pænæ.

Reſpondeo, Satisfactionem probabiliter ex opere operato conferre etiam gratiam, & non dumtaxat remiſſionem pœnæ, ut docet D. Thom. quæſt. 90. art. 2. ad 2., ubi ſic habet: *Dicendum, quod ſatisfactio confert gratiam, prout eſt in propoſito, & auget eam, prout eſt in executione.* Quare ex D. Thoma propoſitum ponendi ſatisfactionem, quod præcedit abſolutionem Sacerdotis, confert gratiam, una cum contritione, (in qua illud includitur) confeſſione, & abſolutione; & deinde, quando ponitur ſatisfactio, habetur ex opere operato novum incrementum gratiæ habitualis. Dicitur autem in contritione includi propoſitum exequendi pænitentiam a Confeſſario impoſitam; quia contritio, præter dolorem de peccato, includit propoſitum non peccandi de cætero, atque adeo exequendi, quod citra culpam omitti non poteſt, ut eſt pænitentia injuncta. Sed hac de re fuſius agemus quæſt. 6. cum de Satisfactione Sacramentali.

## ARTICULUS II.

### De Inſtitutione hujus Sacramenti.

*I. Inſtituit Chriſtus Dominus hoc Sacramentum pro ſolis Fidelibus.*
*II. Quandonam illud inſtituerit?*
*III. Num poteſtas in Corpus Chriſti verum includat poteſtatem in Corpus Chriſti myſticum, ita ut habens poteſtatem conſecrandi habeat etiam poteſtatem abſolvendi?*
*IV. Inſtitutum fuit hoc Sacramentum ad modum judicii; & quare?*
*V. Licet Sacerdos mutus non poſſit abſolvere, pœnitens tamen mutus, ac ſurdus abſolvi poteſt.*
*VI. In quo ſenſu dicatur Confeſſarius poſſe peccatorem ligare, & peccata retinere?*
*VII. In quo differat a Sacramento Pœnitentiæ Baptiſmus?*

I. QUæritur primo, An Sacramentum pœnitentiæ ſit a Chriſto Domino inſtitutum?

Reſpondeo affirmative: & definitur a Trident. ſeſſ. 14. contra quamplures hæ-

hæreticos. Colligitur autem inſtitutio hujus Sacramenti ex illis verbis Joan. 20. *Inſufflavit, & dixit eis, Accipite Spiritum Sanctum; quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt*. Ex quibus verbis duo habentur, quæ pertinent ad hujus Sacramenti conſtitutionem. Primum eſt promiſſio infallibilis gratiæ juſtificantis, qua peccata remittuntur in præſenti ordine. Secundum eſt ſignum ſenſibile, & ritus externus a Chriſto Domino inſtitutus, cui annectitur gratiæ productio; Cum enim Chriſtus Dominus dederit poteſtatem hominibus remittendi peccata, debuit inſtituere, ut id fieret humano modo, hoc eſt ſigno aliquo ſenſibili, tum ex parte ejus, qui remittit, quod habetur per abſolutionem, tum ex parte ejus, cui remittuntur, quod habetur per doloroſam confeſſionem; Sic enim remiſſio fit convenienti modo, & confertur tantum ei, qui cognoſcitur eſſe diſpoſitus. Quamvis enim poſſit Miniſter Sacramenti decipi, ſi pœnitens vere non ſit animo diſpoſitus, prout ore profitetur; at quia Sacramentum hoc adminiſtrandum eſt inter homines, debuit ſatis eſſe prudens judicium, quod pœnitens ſit diſpoſitus, ut poſſit ei Sacramentum conferri.

Congruentia talis inſtitutionis ex eo habetur; quia cum homines facile poſt Baptiſmum in peccata labantur, congruum fuit inſtituere Sacramentum, per quod ea expiarentur. Quod advertit Trident. ſeſſ. laud. dicens: *Si regenerati baptiſmate gratiam, & juſtitiam perpetuo conſervaſſent, non fuiſſet opus, aliud Sacramentum inſtitui; ſed quia Deus cognovit figmentum noſtrum, ideo illis vitæ remedium contulit, qui ſeſe poſtea in peccati ſervitutem tradidiſſent*.

Dices: Verba illa Joan. 20. *Quorum remiſeritis peccata, &c.* ſunt verba univerſalia; quippe etiam ad Infideles extenduntur, reſpectu quorum non eſt inſtitutum Sacramentum pœnitentiæ: ergo ex iis verbis colligi non poteſt, quod ſit inſtitutum Sacramentum pœnitentiæ reſpectu fidelium.

Reſpondeo, verba illa tum a Trident. loc. laudato, tum a Patribus intelligi communiter de remiſſione peccatorum poſt Baptiſmum; Et quidem jure merito; nam illis verbis ſignificatur poteſtas judicialis, quæ ſit poteſtas non ſolum remittendi, ſed etiam retinendi peccata; unde debet præcedere eorum confeſſio, & quidem doloroſa, ut poſſit rationabiliter, impoſita pœna, conferri abſolutio; Hæc autem poteſtas non poteſt exerceri, niſi relate ad peccata poſt Baptiſmum, quandoquidem ante Baptiſmum non ſubjacent homines huic judicio Sacramentali, dicente Apoſtolo 1. ad Corinth. 1. *Quid ad me de iis, qui ſunt foris, judicare?* ergo ex iis verbis bene colligitur inſtitutio hujus Sacramenti ſecundum ſingulas ſuas partes. Quod ſi verba illa intelligantur univerſalius de poteſtate remittendi peccata tam Fidelibus, quam Infidelibus, ut videntur aliqui Sancti Patres explicare, dicendum eſſet, ibi Chriſtum Dominum utriſque remiſſionem peccatorum promiſiſſe, non tamen eodem modo conferendam, ſed Infidelibus per Baptiſmum, Fidelibus vero per Sacramentum pœnitentiæ.

II. Quæritur ſecundo, quandonam Chriſtus Dominus Sacramentum pœnitentiæ inſtituerit?

Armacanus putat, Chriſtum Dominum illud inſtituiſſe Matth. 10., & Luc. 7., quando Apoſtolos miſit ad prædicandum; quia tunc contulit illis apoſtolicam dignitatem, ad quam ſpectat poteſtas hæc judicialis. Alii putarunt in nocte cœnæ fuiſſe inſtitutum, quan-

quando enim data eſt Apoſtolis poteſtas ſupra corpus verum Chriſti Domini, data videtur pariter eſſe poteſtas ſupra corpus myſticum, videlicet ſupra Eccleſiam, cum videantur iſtæ duæ poteſtates invicem connexæ.

Sed Trident. ſeſſ. 14. hæc habet: *Dominus Sacramentum pœnitentiæ tunc præcipue inſtituit, cum a mortuis excitatus inſufflavit in diſcipulos ſuos dicens: Accipite Spiritum Sanctum; quorum remiſeritis peccata, &c.* Ubi notandum ly *præcipue*; quia quamvis in nocte cœnæ dando poteſtatem Apoſtolis ſupra corpus ſuum verum, dederit pariter aliquo modo poteſtatem ſupra corpus ſuum myſticum, atque adeo initialiter, & aliquo modo inſtituerit Sacramentum pœnitentiæ; at ritum omnem talis Sacramenti vere poſt Reſurrectionem inſtituit; Quando enim Deus dedit poteſtatem remittendi, & retinendi peccata, tunc pariter inſtituit modum, quo remitti debeant, ſcilicet audiendo confeſſionem doloroſam, imponendo pœnam debitam, & per ſententiam declaratoriam abſolvendo, ut ſic humano, & convenienti modo remitterentur.

III. Voluit quidem Chriſtus Dominus, ut cui confertur poteſtas in corpus ſuum verum, conferatur pariter poteſtas in corpus myſticum, atque adeo ut quilibet Sacerdos poſſit abſolvere; At iſtæ duæ poteſtates ſunt inter ſe ſeparabiles, nec ſe includentes; etenim ſi Epiſcopus poſtquam Sacerdotes ordinavit, moriatur, antequam conferat illis poteſtatem abſolvendi, in hoc caſu tales Sacerdotes abſolvendi poteſtatem probabilius non haberent, niſi alius Epiſcopus demortui defectum ſuppleret, ut notat Suar., & alii communiter contra Valent., & alios relatos a Dian. part. 3. tract. 4. de Sacram. reſol. 187. Quia tamen ſententia laudata Valentiæ, & aliorum, ut notat idem Dian., ſuam habet probabilitatem, idcirco ſi contingeret caſus, quod Epiſcopus poſt collatam poteſtatem conſecrandi ſtatim in diſcrimine vitæ poneretur, & abſolutionem peteret, ſi alius Sacerdos deeſſet, poſſet, ac deberet abſolutio conferri ſub conditione a nuper ordinatis, qui probabiliter haberent poteſtatem ſupra corpus myſticum Chriſti, atque adeo poteſtatem abſolvendi, poſito quod habuerint poteſtatem ſupra corpus Chriſti reale, ſeu poteſtatem conſecrandi.

IV. Ex dictis deducitur primo, Sacramentum pœnitentiæ inſtitutum eſſe per modum judicii, & tribunalis, ut idem Trident. obſervat; ſicut enim in judicio forenſi ante ſententiam præcedere debet accuſatio, ita in foro Sacramentali pœnitens, qui eſt Reus, eſt ſuimet accuſator, & teſtis; Sacerdos vero, qui eſt judex, audita accuſatione, & probatione, ſententiam profert abſolutionis, imponendo pœnam. Congruum autem fuit in Republica dari hoc tribunal; primo, ne facilitate veniæ facilius in peccata fideles labantur, ſi abſque rigore juſti judicii peccata remitterentur, eo modo, quo remittuntur in Baptiſmo; nam, ut advertit Riccard., quicquid ab infideli committitur, velut ignoranter committitur, cum ignoret peccati pondus perpendere; neſcit enim illud expiari non poſſe, niſi per mortem Filii Dei: Contra vero fideles dicuntur ab Apoſtolo ad Hebræos 10. voluntarie peccare, idest non ex ignorantia, ſed poſt acceptam notitiam veritatis; & ideo non adeo de facili, ſed cum aliquali rigore judicii debuit iis concedi condonatio: Secundo, ut divina erga nos commiſeratio, & merita Chriſti commendentur, dum judicium divinum in hoc Sacramento in humanum quodammodo commutatur, gerente homine in illo vices Dei vindicis: Tertio, ut ple-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

plenior habeatur peccatorum expiatio, & facilius non ſolum inferni, ſed purgatorii etiam pœnæ vitentur.

V. Deducitur ſecundo, quare non ſit neceſſe ad remiſſionem peccatorum in hoc Sacramento, ut abſolutio audiatur a pœnitente, eſto verbis ſenſibilibus ea conferri debeat; (ita ut Sacerdos mutus abſolvere non poſſit, ut dicemus quæſt. 7.) Accidere enim poteſt ut pœnitens poſt inceptam confeſſionem ſenſibus deſtituatur; tunc autem vere abſolvitur; ſicut etiam ſi abſolutio proferatur ſubmiſſa voce, ita ut a pœnitente diſtante non audiatur, aut ſi pœnitens ſit ſurdus. Et ratio eſt, quia Sacramentum hoc non eſt inſtitutum ad modum contractuum, vel donationis, in quibus requiritur, ut donatio, vel contractus ſciatur, audiatur, & acceptetur; Unde ſi creditor liberaliter donet, ſeu remittat debitum etiam verbis externis, ita tamen, ut debitor id ignoret, nec alius ejus nomine remiſſionem acceptet, talis remiſſio eſt nulla, & revocabilis ad libitum, perinde quaſi eſſet mere interna: Et ſimiliter in contractu matrimonii, ſi alter conjux conſenſum præſtet, & ſtatim dormiat, alter vero priori dormienti reſpondeat, conſenſum exprimendo, matrimonium non eſt validum. Cum autem Sacramentum pœnitentiæ inſtitutum ſit ad modum judicii, & in judicio non requiratur ad validitatem ſententiæ, ut quando profertur, intelligatur, & audiatur a Reo, maxime ſi ſententia ſit abſolutoria; ſed ſatis eſt, ut proferatur cum debita ſolemnitate, ut proinde ſi tempore ſententiæ abſolutoriæ Reus uſum rationis amittat, validè ſit abſolutus; idcirco hoc etiam habetur in judicio Sacramentali, in quo etiam eſt ſua ſolemnitas, dum pęnitens gerit perſonam Rei accuſatoris, & teſtis, Confeſſarius vero perſonam Judicis, & Notarii, qui fidem faciat de ſententia prolata.

Deducitur tertio, Sacramentum hoc, ut rite exerceatur, requirere poteſtatem non ſolum Ordinis, ſed etiam juriſdictionis, ut definit Trident. cap. 7. Et ratio eſt, quia judicium exerceri non poteſt, niſi in ſubditum, erga quem juriſdictio habeatur vel ordinaria, vel delegata.

VI. Deducitur ultimo, duplicem veluti actum exerceri poſſe a Miniſtro hujus Sacramenti, videlicet remittere, & retinere peccata, ſeu ſolvere, & ligare. Prior actus eſt poſitivus, cum ſit vera remiſſio, & abſolutio per gratiæ juſtificantis infuſionem, quę nomine Chriſti principaliter remittentis a Miniſtro, tamquam inſtrumento confertur pœnitenti. Poſterior actus aliquando eſt negativus, quatenus poteſt Sacerdos negare abſolutionem, & ſic retinere peccata, quod eſt ligare negative, ſeu non abſolvere, ut explicat D. Th., & alii; ſicut Deus dicitur obdurare, & excæcare negative, ſcilicet ſubtrahendo auxilia, & lumen ſupernum indebitum: Aliquando vero eſt poſitivus, quatenus poteſt Sacerdos obligare pœnitentem ad ſatisfactionem Sacramentalem ut docet Trident. cap. 8. Præterea eſt pariter poſitivus, quatenus poteſt Sacerdos, ſi habeat juriſdictionem debitam, excommunicare, & aliis cenſuris ligare, & Sacramentorum ſuſceptionem impedire.

VII. Quæritur ultimo, An, & quomodo Sacramentum pœnitentiæ differat a Sacramento Baptiſmi?

Reſpondeo, differre, ut definitum eſt a Trident. loc. citat. contra Lutheranos dicentes, Baptiſmum per ſui memoriam fidem excitare, & per fidem peccata delere, juxta illud Chriſti Domini, *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit*. Conſtat autem eorum diſcrimen, quia diverſam habent materiam, & formam, & di-

verſum ritum; Siquidem Baptiſmus fit per modum regenerationis, Pœnitentia per modum judicii, & reconciliationis: Habent etiam diverſos fines, & effectus, quia ille inſtitutus eſt ad tollendum originale, & actualia peccata, quæ cum illo reperiuntur; hæc vero ad tollenda peccata actualia poſt Baptiſmum.

Dices: Baptiſmus ſæpe a SS. Patribus appellatur baptiſmus pœnitentiæ: ergo iſta duo confunduntur.

Reſpondeo, Baptiſmum ſic appellari, quia adulti antequam ad Baptiſmum accedant, debent actus pęnitentiæ præmittere, ut dicitur Actor. 2., non quia iſta non ſint Sacramenta diverſa.

## ARTICULUS III.

### De Effectibus Sacramenti Pęnitentiæ.

*I. Recenſentur ſeptem hujus Sacramenti effectus.*

*II. Cur non poſſit in hoc Sacramento unum mortale ſine alio remitti; poſſint vero venialia remitti diviſibiliter?*

*III. Multis aliis viis venialia remitti poſſunt; præſertim per Sacramentalia.*

*IV. Quænam pęna in hoc Sacramento remittatur, remiſſa culpa?*

*V. Num omnia merita præterita per remiſſionem culpæ reviviſcant?*

*VI. Num etiam demerita vi Pœnitentiæ deleta per ſubſequens peccatum redeant.*

I. PRæcipuus Sacramenti Pęnitentiæ fructus eſt juſtificatio peccatoris, & reconciliatio ejuſdem cum Deo offenſo, ut loquitur Trident. cap. 3.; quam tamen confert Sacramentum pęnitentiæ ex opere operato, ad differentiam contritionis, quæ illam cauſat ex opere operantis. Eſt autem juſtificatio ex Trident. ſeſſ. 6. cap. 7. *Non ſola peccatorum remiſſio, ſed & ſanctificatio, & renovatio interioris hominis per voluntariam ſuſceptionem gratiæ, & donorum.* Unde inter effectus Sacramenti pęnitentiæ numerantur: Primo, remiſſio mortalium per infuſionem gratiæ ſanctificantis: Secundo, remiſſio etiam venialium: Tertio, commutatio pęnæ æternæ in temporalem: Quarto, reviviſcentia præcedentium meritorum, ſeu gratiæ deperditæ reſtitutio: Quinto vivificare Sacramenta ficte ſuſcepta; nam quando quis Sacramentum, verbi gratia, Matrimonii, vel Confirmationis, &c. ſuſcepit ficte, ſeu cum obice, tunc accedente Sacramento pęnitentiæ cum attritione, confertur una cum gratia ſanctificante propria hujus Sacramenti pariter gratia propria Sacramenti Matrimonii, ſeu Confirmationis: Sexto, pax, & tranquillitas animi, quæ ex Trident. cap. 3. in percipientibus devote hoc Sacramentum conſequi ſolet cum vehementi ſpiritus conſolatione: Septimo, gratia Sacramentalis propria talis Sacramenti, quæ importat auxilium quoddam ſpeciale divinæ aſſiſtentiæ, quo præſervatur pęnitens a peccatis, & facilius in juſtitia perſeverat, ut loquitur Trident. cap. 1. Circa hæc autem

II. Quæritur primo, An poſſit in hoc Sacramento unum mortale ſine alio remitti?

Reſpondeo, neque in Sacramento, neque vi contritionis extra Sacramentum id fieri poſſe in præſenti providentia: eſto id fieri poſſet de potentia Dei abſoluta: Ratio eſt, quia peccatum mortale in præſenti ordine remittitur per infuſionem gratiæ, quæ eſt participatio divinæ naturæ, redditque hominem Dei filium adoptivum, amicum, & hæredem; unde fit, ut ſit incompoſſibilis cum quolibet mortali, & conſequenter impoſſibi-

bile eſt, unum mortale ſine alio remitti. Quare ex Trident. cap. 5. in hoc Sacramento non ſolum remittuntur peccata clavibus ſubjecta, ſed etiam inculpabiliter oblita, & ex legitima cauſa omiſſa: Quamvis peccata in Confeſſione expoſita remittantur directe, cum judicialis ſententia cadat ſuper illa: peccata vero non ſubjecta clavibus tantum per accidens, & indirecte, ſeu ratione gratiæ, quæ vi Sacramenti infunditur, & eſt incompoſſibilis cum quolibet mortali; Hinc remanet obligatio ſubjiciendi ea clavibus, ut directe, & per ſe abſolvantur.

Quæritur ſecundo, Utrum ſaltem poſſit in hoc Sacramento unum veniale ſine alio remitti?

Reſpondeo, poſſe; cum non militet eadem ratio de venialibus, ac de mortalibus; Hæc enim ſunt incompoſſibilia cum gratia præſentis ordinis; unde ſi tollitur unum mortale, tolluntur & omnia; illa vero ſunt cum gratia compoſſibilia; Unde fit, ut ſi quis dolorem debitum habeat de uno veniali, puta de mendacio, & complacentiam habeat de alio, illud remittatur, hoc vero non: Quod ſi de uno habeat dolorem debitum, & de alio vel oblivionem, vel ſaltem non complacentiam, docent Suar. diſp. 12. ſect. 1. num. 9. Sot., Ledeſm. cum aliis, quod ex opere operato tum veniale expoſitum in confeſſione, tum etiam oblitum, imo & voluntarie non expoſitum condonetur, dummodo non ſit de eo complacentia, quæ eſt obex gratuitæ remiſſioni. Alii tamen probabiliter cenſent ſolum remitti venialia expoſita, & oblita, non vero quæ voluntarie non exponuntur. Alii demum probabiliter etiam putant plura, aut pauciora venialia deleri pro majori, vel minori diſpoſitione pœnitentis, ut videre eſt apud Suar. loc. laud.; qui dicit, rem hanc eſſe incertam, & dubiam.

III. Quæritur tertio, quibus aliis mediis remitti poſſint venialia.

Reſpondeo cum Suar. diſp. 11. ſect. 3., & aliis: Primo per contritionem; ſi enim hæc ſatis eſt ad delenda mortalia extra Sacramentum, a fortiori delere poteſt venialia: Secundo, probabiliter per attritionem, etiam extra Sacramentum, quia attritio eſt averſio a culpa; quod ſi ſit ab homine juſto, videtur ſatis eſſe ad remiſſionem venialium, cum ſit ſatis in Sacramento ad remiſſionem mortalium; Ita Suar. loc. citat. contra Vaſq. Tertio probabile eſt per quemcumque actum virtutis elicitum ab homine juſto tolli aliqua venialia, plura, vel pauciora pro perfectione, & intenſione talis actus: Et ratio eſt, quia juſtus per quemcumque actum virtutis meretur augmentum gratiæ, ſeu amicitiæ Dei, & gloriæ: ergo videtur ſufficienter ſic diſponi ad remiſſionem aliquorum venialium, quæ ſunt impedimentum ad gloriam, & minuunt fervorem charitatis, & amicitiæ: Sicut enim in humanis congruum eſt, ut per quodcumque obſequium remittatur amico aliqua leviſſima offenſa; ita pariter congruum eſt, ut Deus leviſſimas offenſas, quæ ſæpe ſunt imperfecte voluntariæ, remittat per quodvis obſequium, etiamſi non ſit formalis dolor illarum: Quarto, remittuntur venialia per uſum Sacramentalium, puta orationis dominicæ, vel orationis in templo conſecrato, Aquæ luſtralis, vel alterius ſacræ unctionis, quæ non ſit Sacramentum, comeſtionis panis benedicti, tunſionis pectoris, Confeſſionis generalis, (ſeu recitando Confiteor) eleemoſynæ, & benedictionis Epiſcopi, ſeu Abbatis conſecrati, quæ omnia verſu illo continentur.

*Orans, tinctus, edens, confeſſus, dans, benedicens.*

Verum quidem eſt, quod Sacra-

mentalia hæc non habeant vim remittendi venialia ſine aliquo bono actu hominis exiſtentis in gratia; ſicut nec ſine bono actu habent univerſim vim remittendi venialia ipſa Sacramenta: At ſicut Sacramenta ex inſtitutione Chriſti Domini delent peccata ex opere operato; ita pariter Sacramentalia ex inſtitutione Eccleſiæ (quod conſtat nobis ex traditione, & uſu fidelium) habent ex opere operato, ſeu ex ipſius Eccleſiæ impetratione excitare pios motus, & bonos actus, quibus remittantur nobis plura, aut pauciora venialia pro perfectione, & intenſione talium actuum. Excitant tamen pios hoſce motus infallibiliter, vel ſtatim, vel tempore a Deo præfixo, ut ſic Sacramentalia a non Sacramentalibus diſtinguantur, ut multi cenſent contra Con., & Perez.

Ultimo remittuntur venialia poſt ſeparationem animæ decedentis cum veniali non retractato, juxta D. Tho., Vaſq., & Suar. per condonationem extrinſecam, poſito perfectiſsimo actu elicito ab anima, tamquam conditione prærequiſita: Et ratio eſt, quia Deus non remittit peccatum ſine prævia diſpoſitione peccatoris; Ex alia parte poſt mortem non poteſt homo mereri augmentum gratiæ, & ſatisfacere; & ideo reatus culpæ venialis remitti debet poſt mortem per condonationem extrinſecam, non vero per infuſionem gratiæ nobis intrinſecæ, ſicut remittitur in hac vita.

IV. Quæritur quarto, An remiſſa culpa, remittatur & pęna?

Reſpondeo, certum eſſe ex Trident. ſeſſ. 6. cap. 14. remitti pœnam æternam, remiſſa culpa mortali; quia impoſſibile eſt Dei amicum habere jus ad gloriam æternam, & ſimul eſſe reum pœnæ æternæ; Non remitti tamen pœnam temporalem, ſic exigente tum juſtitia divina, ne relinquat culpam ſine vindicta; tum providentia, ne facilitas veniæ ſit homini occaſio peccandi. Remittitur quidem in baptiſmo pœna etiam temporalis; quia baptiſmus eſt regeneratio ſpiritualis delens omnem reatum præteritum. At per Sacramentum pœnitentiæ inſtitutum per modum judicii non ſemper tota pœna temporalis dimittitur iis, qui gratiæ Dei, quam acceperunt, ingrati Spiritum Sanctum contriſtaverunt, ut loquitur Trident.; alioquin fruſtra eſſent indulgentiæ, & ſuffragia. Aliquando tamen tanta poteſt eſſe intenſio contritionis, ut omnis omnino pœna remittatur: Etenim juxta communem Doctorum ſenſum, per dolorem pœnitentis aliquid etiam pœnæ temporalis remittitur: ergo ſi dolor pœnitentis ſit intenſiſſimus, & cæteroqui pœna temporalis debita uni mortali ſit modica, poterit in tali caſu ſimul remitti pœna æterna ex opere operato, & pœna temporalis ex opere operantis: Quod conſtat ex verbis Trident. dicentis, quod pœna temporalis non ſemper tota, ut in baptiſmo fit, dimittitur: ergo ſi non ſemper dimittitur tota, aliquando ſaltem tota dimittitur, ut in caſu prædicto. Cæterum ſicut in confeſſione mortalium ex opere operato non ſolum remittitur culpa, ſed etiam pœna æterna iis debita, remanente reatu pœnæ temporalis: ita in confeſſione venialium, ac mortalium olim remiſſorum videtur, quod ex opere operato non ſolum remittitur culpa venialium, ſed etiam aliquid pœnarum, quæ iis debentur; unde ſi accedat dolor intenſus, vi cujus ex opere operantis reliquum pœnæ debitæ evadatur, integer reatus pœnæ in hoc Sacramento extinguetur.

Hinc habes, duplicem deberi peccato mortali pœnam, alteram reſpondentem averſioni a Deo, & injuriæ Deo irrogatæ; alteram temporalem reſpon-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

reſpondentem converſioni ad creaturas, & delectationi, propter quam homo Deum offendit: Unde eo major reſpondet pœna temporalis peccato, quo major fuit in illo voluptas, juxta illud Apocalypſis: *Quantum ſe glorificavit, & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum, & luctum:* Hæc autem pœna reſpondens intenſioni voluptatis habitæ in peccato mortali erit æterna, ſi æternum culpa duret; erit vero temporalis, ſi reatus culpæ dimittatur.

Neque dicas, promitti pœnitentibus ſæpe in Scripturis, quod Deus adverſus illos non ſit amplius peccatorum recordaturus, ut Ezechiel. 32., & alibi: ergo remiſsa culpa, remittitur tota pœna.

Nam ſenſus ſcripturarum eſt, quod Deus non recordetur amplius peccatorum poſt pœnitentiam in ordine ad damnationem, non vero in ordine ad punitionem temporalem, quæ ſæpe pœnitentibus prodeſt, (ut profuit Davidi) tum quia dat anſam meritis; tum etiam quia, negata facilitate veniæ, tollitur, ut loquitur, Trident., occaſio peccandi.

V. Quæritur quinto, Quomodo merita per peccatum mortificata reviviſcant per pœnitentiam?

Reſpondeo, certum eſse primo ex D. Th. hic art. 4., & aliis communiter, quod ſicut vivens per mortem amittit omnem operationem vitæ, quando tamen non eſt extinctum, ſed ſolum impeditur ab operationibus vitalibus, dicitur eſse mortificatum, ſeu quandam habens ſimilitudinem cum mortuo: Ita homo vivens vita gratiæ, quando amittit per peccatum mortale omnem vitæ operationem, tunc ejus opera dicuntur mortua; operationes autem meritoriæ, quas peccator exercuit ante peccatum, cum nullum habeant effectum, quando homo eſt in ſtatu peccati; tunc dicuntur eſse mortificatæ per mortale: Quare tria dantur genera operum, viva, mortua, & mortificata. Viva ſunt, quæ fiunt ab homine in ſtatu gratiæ; hæc enim habent ſuum effectum, merentur quippe, & obtinent vitam æternam: Mortua dicuntur, quæ fiunt ab homine in ſtatu peccati mortalis; ſicut enim homo, qui ea patravit, ita ipſa etiam carent vita, unde nullum habent meritum vitæ æternæ: Mortificata demum dicuntur opera meritoria, quæ facta fuerunt in gratia, & deinde qui ea patravit, incidit in mortale; hujuſmodi enim opera, dum durat peccatum, non conſequuntur prẹmium vitæ æternæ, juxta illud Ezechiel. 18. *Si averterit ſe juſtus a juſtitia ſua, omnes juſtitiæ ejus, quas fecerat, non recordabuntur.*

Certum eſt ſecundo juxta communem ſenſum Theologorum, & Patrum, (ita ut contraria ſententia a Dominico Soto cenſeatur erronea, a Bagnez errori proxima, a Suario impia, & temeraria, a Vaſq. pluſquam temeraria, & a Nugn. hæretica) merita mortificata per peccata reviviſcere per pœnitentiam; ut conſtat ex innumeris Scripturis; præſertim ex illa Joelis 2. *Reddam vobis annos, quos comedit locuſta*: Quem locum in hunc ſenſum explicat Gloſsa interlinealis, necnon Hieronymus: *Non patiar perire ubertatem, quam perturbationibus animi perdidiſtis.* Quod tamen non haberetur, ſi merita antiqua omnino perirent, nec reviviſcerent.

Verum quidem eſt, Vaſq. negare Pœnitentibus recuperationem gratiæ habitæ per Sacramenta, & concedere recuperationem gratiæ habitæ ex propriis meritis extra Sacramentum; Scotiſtas negare iiſdem recuperationem primæ gratiæ; Thomiſtas vero, & ſimul Scotiſtas concedere recuperationem gratiæ, ſed non ſtatim, nec in hac vita, ſed poſt mortem; Valen-

lentiam demum cum Thomiſtis concedere recuperationem gratiæ, non tamen integræ, ſed pro diſpoſitione pœnitentis. Communior tamen ſententia docet, omnem omnino præteritam gratiam ſtatim recuperari poſt pœnitentiam.

Dubium etiam eſt, Utrum merita mortificata reviviſcant ex divina liberalitate, & miſericordia, an ex ipſa natura rei? Equidem cum D. Th. cenſeo, ex divina miſericordia id oriri; unde potuiſſet Deus decernere pro pœna peccati privationem omnium meritorum, ſine ulla ſpe remiſſionis talis pœnæ.

VI. Quæritur ultimo, an ſicut priora merita per peccatum mortificata deinde per ſubſequentem pœnitentiam reviviſcunt, ita e converſo priora peccata, & demerita per pœnitentiam deleta deinde per ſubſequens peccatum pariter redeant.

Reſpondeo cum Scoto, Aureol., Valent., & aliis contra Sot., Capreol., & Vaſqu., potuiſſe Deum ſic decernere: Communiſſima autem Theologorum ſententia eſt, quod de facto non decreverit talem reditum peccatorum. Et ratio eſt, tum quia per pęnitentiam peccatum deſtruitur; quod autem deſtructum eſt, redire non poteſt: tum quia 1. ad Roman. dicitur; *Dona Dei ſunt ſine pœnitentia*: remiſſio autem peccati eſt donum Dei: ergo peccatum redire non poteſt quoad imputabilitatem moralem, & culpam; quia ſic quaſi Deum de ſuo dono pęniteret.

Antiqui Doctores putabant, hæc quatuor genera peccatorum dumtaxat redire per ſubſequens peccatum, ſcilicet odium fraternum, ſeu immiſericordiam in proximum, Apoſtaſiam a fide, contemptum confeſſionis, & dolorem de pęnitentia peracta, quæ his verſibus comprehendebant.

*Fratres odit, apoſtata ſit, ſpernitque fateri,*
*Pœnituiſſe piget, priſtina culpa redit.*

Verum univerſim certum eſt nunc apud Theologos, nullum peccatum redire.

Neque obſtat parabola illa Matth. 18., ubi debitum dimiſſum repetit Dominus a ſervo, quia immiſericors fuit in conſervum: dicitur enim; *Sic & Pater meus cœleſtis faciet vobis, ſi non remiſeritis unuſquiſque fratri ſuo de cordibus veſtris*.

Nam, ut Suar. diſp. 13. ſect. 1. interpretatur, ſenſus parabolæ eſt, quod peccata æquivalenter redeant, quatenus per novum peccatum eodem modo fiat peccator reus pęnæ æternæ, ſicut erat prius: & in hoc ſenſu interpretatur etiam illud Jac. *Qui in uno peccat, factus eſt omnium reus*.

# QUÆSTIO II.

## De materia remota Sacramenti Pœnitentiæ.

Diximus, materiam remotam eſse peccata poſt baptiſmum commiſsa; Quærendum tamen, ſintne materia vel neceſsaria, vel ſufficiens, Primo peccata in ipſo inſtanti baptiſmi commiſsa? Secundo, peccata dubia? Tertio, peccata expoſita, ut dubia, quæ deinde deprehenduntur certa? Quarto, peccata pure putata? Quinto, peccata alias confeſsa? Ultimo venialia? Quamvis plurima in hanc rem diſseruerim in Tractatu Scholaſtico de Pęniten-

tentia, ea, quatenus ad praxim ſpectant, in hoc morali Tractatu non erant prætermittenda.

## ARTICULUS I.

### De peccato fictionis in inſtanti Baptiſmi commiſſo.

*I. Quid ſit peccatum fictionis?*

*II. Non deletur per Sacramentum Pœnitentiæ peccatum fictionis in Baptiſmo commiſſum ab eo, qui noluit baptizari.*

*III. Quid ſi peccatum fictionis habeatur per indebitam Baptiſmi ſuſceptionem? In quo caſu imprimitur character baptiſmalis, ſed originale non deletur.*

*IV. Quomodo Baptiſmus ficte ſuſceptus reviviſcere poſſit?*

I. Peccatum originale, & peccata actualia ante baptiſmum commiſſa per ſolum Baptiſmum deleri, certum eſt ex Trident. ſeſſion. 14. cap. 2.. Et ratio eſt, quia Miniſter Sacramenti pęnitentiæ debet eſſe Judex: Eccleſia autem non exercet judicium erga illos, qui per januam baptiſmi nondum ingreſſi ſunt in ipſam, dicente Apoſtolo 1. ad Corinth.: *Quid ad me de iis, qui ſunt foris, judicare?* ergo peccata ante baptiſmum commiſſa per ſolum baptiſmum deleri poſſunt: Sicut etiam peccatum originale, quod non eſt materia propriæ accuſationis, cum non ſit commiſſum voluntate propria, ſed voluntate Adami capitis; unde ad judicium Sacramentale deferri non poteſt. Hinc ſequitur, quod ſi quis ſolum confiteatur peccata ante baptiſmum commiſſa, & de iis doleat, non proinde Sacramentum pęnitentiæ ſuſcipiat; quicquid contradixerit Riccar. in 4. diſtint. 17., & Angelus verbo *confeſſio*.

Peccatum, quod in ipſo inſtanti Baptiſmi committitur, dicitur peccatum fictionis: fictio enim idem eſt, ac exterior ſimulatio, quam exercet, qui petendo Baptiſmi Sacramentum, oſtendit opere externo, ſe velle gratiam baptiſmalem, quam tamen revera interius non vult, propter peccatum, quod habet in corde. Dupliciter autem poteſt quis fingere: Primo, nolendo Sacramentum ſuſcipere: Secundo, volendo ſuſcipere Sacramentum baptiſmi, & ejus characterem, ſed ſine diſpoſitione debita ad gratiam recipiendam, vel quia non dolet de peccatis præteritis, vel quia tunc habet, verbi gratia, voluntatem committendi aliquod peccatum. His poſitis

II. Quæritur primo, An peccatum fictionis, quod habet, qui exterius baptizatur ſine intentione recipiendi baptiſmum, tolli poſſit per Sacramentum pęnitentiæ?

Reſpondeo negative: Et ratio eſt evidens, quia hic non recipit Sacramentum Baptiſmi: ergo nondum eſt ingreſſus januam Eccleſiæ; unde tale peccatum deleri unice poteſt per Sacramentum baptiſmi, quod iterum verę ſuſcipiatur cum intentione illud recipiendi.

III. Quæritur ſecundo, An peccatum fictionis, quod habet, qui exterius recipit Baptiſmum ſine diſpoſitione debita ad gratiam recipiendam, deleri poſſit per Sacramentum pęnitentiæ?

Reſpondeo, certum eſſe, quod hic recipiat Sacramentum Baptiſmi, & ejus characterem; ſine gratia tamen baptiſmali, propter impedimentum, & obicem peccatorum actualium: Hic autem caſus diverſimode poteſt accidere; Nam vel poteſt quis peccare peccato fictionis formalis, quæ habetur, quando cum prava intentione,

&

& cum advertentia ad indignam ſuſceptionem baptiſmi vult illum recipere, & committere ſacrilegium; Vel poteſt quis peccare peccato fictionis materialis, quod etiam dupliciter haberi poteſt, vel quia in eo inſtanti invincibiliter oblitus peccatorum præteritorum, indigne recipit Sacramentum Baptiſmi; vel quia in eo ipſo inſtanti committit peccatum, verbi gratia, odii, luxuriæ, furti, &c.

In primo caſu, quamvis multi doceant, peccatum illud deleri per baptiſmum, quando adveniente attritione reviviſcit; tamen communior opinio docet cum D. Th., Scot., Vaſqu. eſſe materiam Sacramenti pęnitentiæ; quia peccatum illud formalis fictionis eſt poſterius natura ipſo baptiſmo: Et ratio eſt, quia non intelligitur tale peccatum opere completum, niſi per indignam ſuſceptionem Sacramenti baptiſmi, atque adeo habet pro objecto ipſum Sacramentum, & ſic eſt poſterius natura illo: unde per Sacramentum pęnitentiæ deleri poteſt. Et confirmatur, quia tale peccatum, utpote directe irrogans injuriam Sacramento Baptiſmi, non poteſt per illud deleri: ergo deleri debet per Sacramentum pęnitentiæ.

In ſecundo caſu, quando invincibiliter oblitus peccatorum præteritorum recipit indigne Sacramentum baptiſmi, communis opinio fert, ea peccata deleri per ſolum baptiſmum reviviſcentem per attritionem; ſicut per ſolum baptiſmum reviviſcentem remittitur in tali caſu peccatum originale. Et ratio eſt, quia ea peccata antecedunt ipſum baptiſmum, quamvis perſeverent uſque ad ſuſceptionem illius; ergo per baptiſmum unice deleri poſſunt.

In tertio caſu, quando peccatum odii, verbi gratia, vel luxuriæ, nec natura conſequitur, nec tempore antecedit ipſum baptiſmum, ſed illum comitatur, exiſtimo cum Lug. diſp. 16. ſect. 1., Laym., Con., & aliis, tale peccatum eſſe materiam neceſſariam Sacramenti pęnitentiæ. Et ratio eſt, quia tale peccatum eſt hominis Chriſtiani, erga quem poteſt Eccleſia judicium exercere: ergo ſubdendum eſt clavibus: Sicut enim peccatum contra caſtitatem, quod quis committeret in eo inſtanti, quo emittit Profeſſionem Religioſam, cupiendo, verbi gratia, Mæchiam, eſt ſacrilegium, & peccatum hominis Religioſi; ita peccatum commiſſum in inſtanti baptiſmi eſt peccatum hominis Chriſtiani: Et confirmatur, quia Eccleſia poteſt excommunicare, & punire eum, qui in inſtanti Baptiſmi peccatum aliquod commiſerit: ergo tale peccatum vere eſt hominis Chriſtiani ſubditi Eccleſiæ; atque adeo per Sacramentum pęnitentiæ deleri debet.

Dices: Ex Tridentino materia Sacramenti pęnitentiæ ſunt peccata poſt baptiſmum commiſſa: ergo excluduntur peccata commiſſa in inſtanti Baptiſmi.

Reſpondeo, Trident. ſeſſ. 4. cap. 6., aſſerere, ad Sacerdotes omnia mortalia crimina eſſe deferenda, in quæ Chriſtifideles ceciderunt; Quare quando in alio loco dicit, peccata poſt baptiſmum commiſſa eſſe materiam pęnitentiæ, excludit tantum peccata commiſſa ante baptiſmum: Sicut cum dicimus poſt ſolis ortum fugari tenebras, excludimus ſolum tempus antecedens, non vero tempus, in quo ſol naſcitur. Quod ſi verba Tridentini referantur ad ſola peccata poſt Baptiſmum, loquitur de Baptiſmo digne ſuſcepto ſecundum id, quod regulariter accidit; in quo non datur peccatum fictionis.

Hic autem adverte cum Suar., & Lug., difficultates hujuſmodi eſſe potius ſpeculativas; practice autem debere ſubdi clavibus peccata juxta primum,

mum, & ſecundum caſum commiſſa; quia impoſſibile moraliter eſt diſcernere, utrum talia peccata in ipſo inſtanti terminativo Baptiſmi dumtaxat fuerint, & non continuata fuerint per aliquod tempus poſt baptiſmum.

IV. Ex dictis habes, originale non tolli, quando ſuſcipitur baptiſmus cum fictione, licet tunc imprimatur character Baptiſmalis; ſed deleri, quando Baptiſmus reviviſcit; hic autem reviviſcit per attritionem ſubſequentem, quando peccata ante Baptiſmum commiſſa fuerunt obex gratiæ; quando vero fuerunt obex gratiæ peccata in ipſo inſtanti baptiſmi commiſſa, reviviſcit baptiſmus per contritionem ſubſequentem, vel per attritionem ſimul cum Sacramento pœnitentiæ; ita ut vi Sacramenti pœnitentiæ deleantur peccata in ipſo inſtanti baptiſmi, & poſt baptiſmum commiſſa; vi vero baptiſmi reviviſcentis deleatur originale, & peccata commiſſa ante Baptiſmum.

## ARTICULUS II.

### De Peccato dubio.

*I. Multifariam contingere poteſt peccatum eſſe dubium.*

*II. Probabiliter non tenetur ſubjicere clavibus peccatum, qui poſitive dubitat, an illud commiſerit, per hoc quod probabile ſit, illud non eſſe commiſſum.*

*III. Sicut etiam qui pariter poſitive dubitat, an peccatum certo commiſſum confeſſus ſit.*

*IV. Cur per ſolutionem poſitive dubiam non ſatisfiat debito ex juſtitia; per confeſſionem vero poſitive dubiam fiat ſatis obligationi confitendi peccatum?*

*V. Num etiam id verum ſit in mortis articulo?*

*VI. Communiter olim docebant, peccata negative dubia ſubjicienda eſſe clavibus.*

*VII. Sed plurimi probabiliter oppoſitum docent.*

*VIII. In quonam ſenſu Doctores antiqui ſumebant peccatum negative dubium, quod cenſebant clavibus ſubjiciendum eſſe?*

*IX. Certus de peccato commiſſo, & negative dubius, an illud confeſſus ſit, tenetur illud confiteri.*

*X. Num peccatum negative dubium ſit materia ſufficiens confeſſionis, quando illud non eſt commiſſum?*

I. Dubium multipliciter accidere poteſt. Primo poteſt quis dubitare irrationabiliter, an peccatum commiſerit, vel an peccatum commiſſum confeſſus fuerit, ut paſſim ſolent ſcrupuloſi, qui ſæpe ob nullam, vel leves rationes ſunt anxii, & ancipites; & hujuſmodi dubia omnino contemnenda ſunt; aliter eſſemus miſerrimi, ſi juxta normam rationum levium actiones noſtras inſtituere deberemus. Secundo quis poteſt dubitare negative, ſed ita ut pro neutra parte habeat rationes probabiles, quod dubium dicitur ignorantiæ; ut cum dubitamus, an aſtra ſint paria; & hujuſmodi pariter peccata ſic dubia nullatenus eſſe materiam neceſſariam confeſſionis eſt omnino certum; quia hujuſmodi dubium non eſt proprie dubium, ſed ignorantia; quis autem dixerit, eum, qui ignorat ſe peccaſſe, teneri ad confeſſionem? Quod ſi certi ſimus de peccato, & dubii hoc pacto negative, an illud confeſſi ſimus, certe tenemur illud confiteri; quia ignorans ſolutionem debiti certi tenetur ad illam. Tertio, poteſt quis dubitare negative dubio non ignorantiæ, ſed ſuſpenſionis, eo quod ita habeat rationes dubitandi, ut tamen determinari non poſſit ad judicium ferendum pro altera parte; unde re-

manet abſolute dubius, & ſuſpenſus, & circa hoc genus dubii verſatur maxime præſens difficultas. Quarto poteſt quis dubitare poſitive, idque, ut notat Suarez hic diſp. 27. ſect. 9., vel ita ut habeat probabilem rationem ad aſſentiendum uni parti, de altera vero judicium probabile non habeat, ſed tantum ſuſpicionem aliquam, ſeu formidinem; Vel ita ut pro utraque parte habeat rationes probabiles, quamvis in alteram partem cum majori probabilitate inclinet: Et hoc dubium poſitivum, ut bene notat Tambur., improprie vocatur dubium, cum ſit judicium probabile, & ideo appellari ſolet dubium opinionis. His explicatis

II. Quæritur primo, utrum qui poſitive dubitat, an peccatum commiſerit, ita ut rationes probabiles habeat, quod non peccaverit, quamvis æque probabiles, imo forte probabiliores habeat rationes, quod peccaverit, teneatur peccatum illud confiteri?

Reſpondeo cum communi Doctorum negative: Ratio eſt, quia opinio probabilis eſt ſatis ad regulandas actiones humanas; cum raro poſſimus aſſequi certam ſcientiam de rebus. Et ſane ſi pęnitens dicat confeſſario, ſe habere judicium probabile, quod non peccaverit in aliquo caſu determinato, & velle ſequi illud, confeſſor debet conformari judicio probabili pęnitentis; ergo a fortiori poterit pęnitens juxta tale judicium probabile omittere confeſſionem illius peccati dubii.

Idem dicas de eo, qui certo ſcit, ſe aliquam actionem, puta homicidium, commiſiſſe; habet tamen rationes probabiles ad judicandum, quod non commiſerit cum advertentia. Addit Sanch., idem dicendum, quando ſunt opiniones utrinque probabiles, an aliquæ circumſtantiæ ſint confitendæ: Et idem etiam relate ad reſervationem dicas, quando ſunt opiniones utrinque probabiles, an peccatum ſit reſervatum.

III. Quæritur ſecundo, an qui certus eſt de peccato mortali commiſſo, dubitat tamen poſitive, an illud confeſſus fuerit, ita ut habeat rationem probabilem, quod confeſſus fuerit, & probabiles etiam, imo probabiliores rationes habeat, quod non fuerit confeſſus, teneatur illud confiteri.

Reſpondeo pariter negative cum communi Doctorum, quos citat Martinus Perez contra Con. diſp. 7. apud Dian. part. 3. tract. 1. reſol. 1. Ratio eſt eadem, quia judicium probabile ſatis eſt ad regulandas actiones humanas. Et confirmatur a Lugo, quia in aliis etiam præceptis, ubi obligatio eſt certa, verbi gratia, audiendi ſacrum, recitandi officium, jejunandi, &c., ſatisfacit obligationi, qui nititur rationi probabili in exequendis his oneribus: ergo etiam per opinionem probabilem ſatisfit certæ obligationi confeſſionis in caſu noſtro. Adde, qui confitetur confeſſario habenti jurisdictionem probabiliter, nihil frequentius apud Theologos, quam illum excuſari a reiteranda confeſſione; & qui docent, probabile eſſe dari Sacramentum validum, & informe, docent pariter illa peccata non eſſe iterum confitenda: ergo per opinionem probabilem ſatisfieri poteſt certæ obligationi confeſſionis.

IV. Dices cum Con.; qui ſcit, ſe debere centum, non ſatisfacit per ſolutionem probabilem; quia debito certo debet reſpondere ſolutio certa, non vero incerta, ſicut eſt ſolutio probabilis; ergo obligationi certæ confitendi peccatum commiſſum non poteſt ſatisfieri per confeſſionem poſitive dubiam, ſeu probabilem.

Reſpondeo cum de Lugo diſp. 16. ſect. 2. num. 60., diſtinguo antecedens:

dens: Si quis ſcit, ſe debere centum ex juſtitia commutativa, puta ex contractu oneroſo, vel ex injuſta ablatione, vel demum ex re accepta, non ſatisfacit per ſolutionem probabilem, & incertam, concedo: ſi quis ſcit, ſe debere centum ex liberali promiſſione, vel ex præcepto ſuperioris, vel confeſſarii, vel ex voto, non ſatisfacit per ſolutionem probabilem, nego antecedens, & conſequentiam: Sicut enim qui ex voto tenetur jejunare, ſatisfacit voto jejunando juxta opinionem probabilem; ita in caſu noſtro: & ratio a priori eſt; quia quæ debentur ex juſtitia, exigunt æqualitatem, & ideo debito certo ex juſtitia reſpondere debet ſolutio certa; quæ vero debentur ex obedientia, aut ex voto, aut ex promiſſione, ſatis eſt, quod juxta opinionem probabilem ſolvantur, ne conſcientia anxietatibus, & ſcrupulis turbetur. Unde dicendum, quod ſicuti in reliquis præceptis, ita in præcepto confeſſionis ſatis eſt, quod juxta opinionem probabilem ſatisfiat. Ratio autem hujus diſcriminis eſt, quia homines non cenſentur remittere jus debiti oneroſi, ſeu debiti ex juſtitia, niſi poſita ſit perfecta æqualitas. At Deus ex ſumma ſua benignitate ad legum impletionem non plus exigit, quam quod prudenter judicare poſſimus, quod legem implevimus; alioquin innumeris anxietatibus, & moleſtiis eſſemus expoſiti, quia facile obliviſcimur ea, quæ fecimus. Denique, ut notat Bardi, ratio diſcriminis in caſu noſtro eſt, quia juſtitia commutativa ordinatur in bonum creditoris; Sacramentum vero, ſicut & reliqua præcepta ordinantur in bonum debitoris, & ſubditi: nihil ergo mirum, ſi debito ex juſtitia certo requiratur ſolutio certa; debito vero confeſſionis ſatisfiat per ſolutionem probabilem, aliter Sacramentum pœnitentiæ eſſet odioſum, & non utile pœnitentibus.

V. Advertendum tamen cum Sanch., Henriq., & aliis in articulo mortis ex charitate, quam quis debet erga ſe ipſum exercere, teneri homines adhibere remedium certum pro peccato probabiliter tantum confeſſo, ne ſe exponant periculo damnationis. Unde in tali articulo tum qui putat probabiliter ſe peccaſſe, & probabiliter etiam putat, ſe non peccaſſe; tum etiam qui ſciens, ſe peccaſſe, probabiles habeat rationes, quod ſit confeſſus, tenetur vel conteri, vel Sacramentum pœnitentiæ ſuſcipere, quamvis non teneatur aperire peccatum illud dubium; quia ſi revera peccatum dubium commiſſum eſt, indirecte abſolvitur; non ſecus ac peccata oblita; Unde ſequitur, quod ſi ſciat, ſe Sacramentum pœnitentiæ ſuſcepiſſe poſt tale peccatum dubium, ne in articulo quidem mortis ad contritionem, vel Sacramentum pœnitentiæ iterandum teneatur; quia adhibuit jam remedium certum, quod eſt Sacramentum pœnitentiæ, in quo revelavit peccata certa, & abſtinuit a revelando peccato dubio, eo quod juxta probabilem opinionem poterat abſtinere, quin proinde fuerit incertus valor Sacramenti.

VI. Quæritur tertio, qui dubitat negative, an peccaverit, non dubio ignorantiæ, ſicut qui dubitat, an aſtra ſint paria; ſed dubio ſuſpenſionis, quia ita rationes habet hinc inde, ut non poſſit intellectus determinari prudenter ad dicendum, quod non peccaverit, ſed remanet ſuſpenſus, teneturne peccatum hujuſmodi dubium confiteri?

Reſpondeo, fere communiſſimam antiquorum Doctorum ſententiam fuiſſe, quod teneatur homo peccata negative dubia clavibus ſubjicere. Et Thomas Sanchez id omnino certum reputat lib. 1. opuſculorum moralium

cap. 10. nixus in eo, quod Chriſtus Dominus obligaverit nos ad hujuſmodi peccata dubia confitenda: Eruit autem hoc, primo ex praxi, & uſu totius Eccleſiæ, cujus initium non agnoſcitur, & creditur ab ipſis Apoſtolis emanaſſe: Secundo, quia hoc Sacramentum inſtitutum eſt ad delenda peccata, quæ prius ante legem gratiæ delenda erant per contritionem: atqui habens hujuſmodi peccata dubia ante legem gratiæ tenebatur non ſolum in articulo mortis, ſed etiam in vita ad contritionem, ut eſt omnino indubitatum: ergo nos etiam poſt legem gratiæ tenemur hujuſmodi peccata dubia confiteri. Et ſane Chriſtus Dominus per illa verba, *Quorum remiſeritis, &c.* inſtituit Sacerdotes vicarios Dei in ordine ad delenda peccata: ergo omnia ea peccata, quę tenebantur peccatores deferre ad Deum ipſum immediate per contritionem, tenentur nunc deferre ad tribunal vicariorum Dei, per quos unice peccata dimittuntur: atqui ad Deum tenebantur tunc temporis deferre per contritionem peccata mortalia tum certa, tum dubia; imo nunc etiam, quando non eſt copia confeſſarii, & urget neceſſitas ponendi ſe in ſtatu gratiæ, verbi gratia, ad adminiſtrandum, vel recipiendum aliquod Sacramentum: ergo etiam ad vicarios Dei ſunt deferenda peccata mortalia, tum certa, tum dubia in Sacramento pęnitentiæ ad eorum remiſſionem obtinendam: Nullum enim peccatum in præſenti ordine remittitur, niſi per Sacramentum pęnitentiæ in re, aut in voto ſuſceptum; Ad Sacramentum autem pęnitentiæ peccata, ut remittantur, deferenda ſunt, prout ſunt in conſcientia: ergo, ut peccata dubia remittantur, revelanda ſunt.

Opponi ſolet primo adverſus hanc ſententiam, quod lex dubia non obliget; quia in dubio melior eſt conditio poſſidentis: ergo non tenemur confiteri peccata dubia.

Ad quod reſpondent, qui illam propugnant, conceſſo antecedente, negandam eſſe conſequentiam: aliud enim eſt peccatum eſſe dubium, aliud vero legem de confitendo peccato dubio eſſe dubiam: primum eſt verum: ſecundum putant eſſe falſum, quod conſtare videtur ex praxi Eccleſiæ; quare ſicut certo tenemur conteri de peccatis dubiis, ita certo tenemur ea confiteri.

Opponi ſolet ſecundo; Quando dubitamus de furto commiſſo, non tenemur reſtituere: ergo quando dubitamus de peccato commiſſo, non tenemur illud confiteri, quia non debet dari pęna certa pro delicto incerto.

Sed reſpondent recurrendo ſemper ad inſtantiam de contritione, ad quam certe tenemur, licet peccatum ſit dubium. Deinde reſpondent cum Moya, circa leges poſitivas non valere argumentum a pari. Non enim quia in dubio homicidii certa eſt irregularitas, ideo in dubio aliorum criminum certa etiam irregularitas incurritur; nam ſolum in dubio homicidii ea pęna certa taxata eſt jure poſitivo; ita pariter non quia lex confeſſionis obligat confiteri peccata dubia, ideo etiam lex reſtitutionis obligat reſtituere, quando furtum eſt dubium.

Opponi ſolet tertio, Tridentinum exigere, ut ea tantum peccata pęnitentes confiteantur, quibus ſe Dominum mortaliter offendiſſe meminerint, & quorum habent conſcientiam; atqui dubitans de peccato non meminit, ſe Deum offendiſſe, nec habet illius peccati conſcientiam; ſiquidem conſcientia eſt, quaſi cordis ſcientia, ut loquitur Bernard. lib. 8. de conſcientia: ergo dubitans de peccato non tenetur illud confiteri.

Re-

Reſpondent autem primo cum de Lugo, Tridentinum tantum ſtabiliviſſe ea, quæ controverſa erant cum hæreticis, relinquendo ut certa ea, quæ ut certa habebantur juxta praxim Eccleſiæ, ſicut eſt confeſſio peccati dubii. Sic, exempli gratia, Tridentinum ſeſſ. 13. cap. 7. definit, ante communionem debere unumquemque ex Apoſtoli præcepto probare ſe ipſum confeſſione, quantumvis ſibi videatur contritus: non definit autem, quod qui in confeſſione oblitus eſt aliquod mortale, teneatur interim ante communionem illud confiteri, quamvis ſit indirecte abſolutus, & tamen quia Eccleſiæ conſuetudo fert, ut peccatum illud oblitum ante communionem ſubjiciatur clavibus, ideo communiter Doctores cum Caſtro Palao, Dian., & aliis invehuntur contra nonnullos cenſentes, probabile eſſe, non teneri nos iterum confiteri ante communionem peccatum illud oblitum; cum hoc contradicat praxi Eccleſiæ.

Reſpondent ſecundo, etiam ex Trident. colligi obligationem confitendi peccata dubia; Nam ſeſs. 13. cap. 5. ait, Chriſtum Dominum reliquiſſe Sacerdotes ſui vicarios, tanquam Præſides, & Judices, ad quos omnia mortalia crimina deferantur; atqui Judicibus deferuntur etiam delicta dubia, ut ab iis, ſi forte commiſſa ſint, habeatur abſolutio: ergo. Deinde Trident. addit, Sacerdotes eſſe medicos, qui curant vulnera, ſi ab ægroto detegantur: atqui ab ægroto vulnera etiam dubia Medico deteguntur, ut ſi forte ſint, curentur. Demum Trident. dicit, tantum venialia poſſe citra culpam omitti in confeſſione: ergo non poſſunt omitti peccata mortalia dubia. Dicit etiam Trident., reliqua peccata, quæ diligenter cogitanti non occurrunt memoriæ, eadem confeſſione incluſa eſſe intelligi: atqui peccata dubia occurrunt aliquatenus memoriæ: ergo peccata oblita tantum, & non dubia intelliguntur incluſa in confeſſione: unde peccata dubia confitenda ſunt.

Ad auctoritatem in contrarium adductam reſpondent, Tridentinum exigere tantum confeſſionem peccatorum, quibus meminerit pœnitens ſe mortaliter Deum offendiſſe, quin per hoc excludat peccata dubia; quia etiam peccatorum dubiorum habemus memoriam, non quidem certam, ſed dubiam; imo etiam peccata dubia dici poſſunt eſſe in conſcientia, licet non in ſcientia; nam conſcientia communiter a Doctoribus dividitur in certam, probabilem, dubiam, & erroneam, ut proinde etiam dubius de mortali dicatur habere conſcientiæ remorſus, ita ut non poſſit cum Apoſtolo dicere: *Nihil mihi conſcius ſum*: Unde Reverendiſſimus Candidus Magiſter Sacri Palatii, ut teſtatur Dian. part. 9. tract. 3. reſol. 6. non permiſit imprimi eam opinionem, quæ dicebat peccati dubii confeſſionem non eſſe communioni præmittendam: Quod ſi peccati dubii confeſſio eſt præmittenda communioni ex praxi Eccleſiæ, conſequenter peccatum dubium eſt materia neceſſaria confeſſionis.

Opponi ſolet ultimo, praxim hanc Eccleſiæ eſſe timoratorum, qui ſicut libere confitentur venialia, ita libere confitentur peccata dubia: Quod ſi putent, ex obligatione id fieri, errant, cum a multis Doctoribus, quos citat Caramuel, hæc obligatio negetur.

Ad hoc reſpondent, quod ubi agitur de obligatione alicujus conſuetudinis, videndum ſit primo, quid communiſſime cenſent Doctores; cum autem Doctores ferme omnes uſque ad præteritum ſeculum aſſeruerint, conſuetudinem hanc confitendi mortalia dubia eſſe obligatoriam, non eſt recedendum a communi ſententia per

hoc,

hoc, quod aliqui contrariam ſententiam tueantur, ut ſuæ libertati, & commodo conſulant; Non ne multi cum Joanne Sanch. negabant eſſe obligatoriam praxim penitentium reſpondendi confeſſario interroganti conſuetudinem peccati? Et tamen hanc Eccleſiæ praxim eſse juxta obligationem a Chriſto Domino impoſitam definivit jam Innoc. XI. damnando theſim quinqueſimam octavam. Nonne multi ante Trident. negabant, eſſe obligatoriam conſuetudinem præmittendi communioni confeſſionem mortalium, dicentes, ſatis eſſe contritionem; ſicut ſatis eſt ad adminiſtrationem, & ſuſceptionem reliquorum Sacramentorum? Et tamen hoc damnatum eſt a Trid. ſeſſ. 13. cap. 7. Nonne innumeri negabant conſuetudinem abſtinendi a lacticiniis, &c., in quadrageſima eſſe obligatoriam? Et tamen Alexander VII. proſcribendo theſim trigeſimam ſecundam definit eſſe obligatoriam.

Deinde, ut dignoſcatur, Utrum conſuetudo aliqua obliget? videndum, an ea conſtanter obſervetur ab omnibus, etiamſi difficilis ſit, & an timoratis ſcandalum pariat ejus inobſervantia? Quod cum in confeſſione peccati dubii reperiatur, videtur dicendum, conſuetudinem confitendi peccata dubia eſſe ex obligatione a Chriſto Domino impoſita. Hac de cauſa P. Matthæus Moya noſtræ Societatis, qui fuit a confeſſionibus Mariæ Annæ Hiſpaniarum Reginæ, in ſelectis quæſtionibus de Sacramento pænitentiæ, poſtquam aſſeruerit, opinionem ſe contrariam per triginta annos etiam in ſcholis docuiſſe, diſp. 1. quæſt. 5. hæc habet: Nihilominus re maturius conſiderata, ſtandum cenſeo pro contraria, & communi ſententia aſſerente obligationem peccati dubii; ad quam hoc uno efficaci argumento ducor, quia Sacramentum pænitentiæ inſtitui potuit a Chriſto Domino cum hac obligatione; Quod autem ita inſtituerit, ſuadet communior catholicorum ſenſus, & traditio a tempore Apoſtolorum uſque ad noſtra continuata, ratione cujus velut inconcuſsum dogma præceptum confitendi peccata dubia, æque ac certa, non tam probarunt, quam ſuppoſuerunt Doctores; ut enim ait Auguſt. lib. 4. contra Donatiſtas: *Quod univerſa tenet Eccleſia, nec Conciliis inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt, nonniſi auctoritate apoſtolica traditum rectiſſime creditur.* Hactenus Moya. His adde Leandrum, ac Tamburinum ipſum, quamvis pronos in opiniones benigniores, (ut notat Dian. part. 10. tract. 12. reſol. 2. proniſſimus & ipſe in eaſdem) non audere negare obligationem hanc ex praxi Eccleſiæ declaratam: Advertitque Tambur. lib. 2. Meth. Confeſ. cap. 1. §. 4., a Laym., Præpoſito, Dian., De Lugo omnia alia argumenta obligationem hanc ſuadentia erudite ſolvi; Deinde tamen eandem obligationem ab iis aſſeri unice ex praxi Eccleſiæ, & conſenſu Doctorum, qui negari nullo pacto poteſt.

VII. His tamen non obſtantibus, puto probabilem eſſe, ac tutam opinionem contrariam aſſerentem peccata dubia negative non eſſe materiam neceſſariam Sacramenti pœnitentiæ, quam ſequuntur plurimi Auctores apud Mendo, & Dianam, & alios, videlicet D. Antoninus, Tabien., Paludan., Henriq., Marchant., Joan. Sanch., Con. diſp. 7. dub. 8., & alii, quos uſque ad viginti duos numerat Caramuel lib. 3. Moralis Theologiæ diſp. 4. Quibus adde Leſſium, Sà, Laym., Præpoſit., Amicum, Leandr. Haunoldum de Pœnitentia cap. 8. necnon Ferrantinum diſp. 1. de Scandalo quæſt. 77., ubi citat Reviſores Societatis Jeſu ſentientes poſſe nunc in ſcholis noſtris hanc ſententiam permitti, quam aperte, & ex profeſſo

Con.

Con., Marchant., Joſeph de Januario, Martinonius, & alii multi ſcriptores judicant probabilem; quamvis olim ſecundum noſtras regulas permitti non poterat; cum vix reperiretur unus ſcriptor, qui illam aperte tueretur, ut iidem Reviſores apud Tambur. teſtantur: Nunc tamen, ut notat Dian. loc. laud. in dies magis radices agit.

Ratio autem, quæ probabilem eam reddit, præter auctoritatem extrinſecam, eſt, quia lex dubia non obligat: quod autem praxis, & conſuetudo Eccleſiæ ea ſit, ut certos nos reddat de lege a Chriſto Domino inſtituta confitendi peccata dubia, tot, ac tanti Doctores omnino negant: ergo cum non ſimus de hac lege certi, conſequens eſt, quod illa non obligemur; Verum quidem eſt, poſſe aliquando praxim Eccleſiæ eſſe talem, ut ex ea certo dignoſcatur lex a Chriſto Domino inſtituta; ſicut eſt praxis confitendi mortalia ante ſuſceptionem Euchariſtiæ: At quod ita de facto ſit praxis Eccleſiæ in caſu noſtro, nec hactenus definitum eſt, nec conſenſus Doctorum nunc eſt talis, ut non relinquat nos dubios de tali lege: ergo ea lege non obliganur; quia lex dubia non obligat, & in dubiis melior eſt conditio poſſidentis; nec debet quis certo condemnari, aut cogi pati ſententiam certam confeſſionis, tantumque onus ſubire, quantum eſt naturæ hominum fragili ipſa obligatio confeſſionis, quando culpa eſt dubia.

Confirmatur; quia quando quis dubitat, an peccatum ſit reſervatum, non tenetur adire Superiorem pro abſolutione; eo enim ipſo non eſt reſervatum; quia poſſeſſio ſtat pro pœnitente: ergo pariter dubius de peccato non tenetur adire Sacerdotem pro abſolutione. Antecedens, quamvis ab aliquibus negetur, communiſſime tamen admittitur; ſive dubium ſit juris, verbi gratia, an abortus ſit reſervatus; ſive dubium ſit facti, verbi gratia, an abortus fuerit animatus.

VIII. Neque dicas, praxim Eccleſiæ, & conſenſum Doctorum per ſexdecim ſæcula uniformiter exiſtimantium inſtitutum eſſe a Chriſto Domino Sacramentum pænitentiæ cum obligatione confitendi peccata dubia, reddere nos certos de tali lege, & inſtitutione.

Nam quamvis verum ſit, quod uſque ad præteritum ſæculum vix unus auctor reperiatur, qui aperte nos deobliget a confitendis peccatis negative dubiis: at non inde id ortum eſt, quia in ſententiam obligantem omnes Scriptores calamo iverint; ſed quia ab ea quæſtione abſtinuerunt; cum autem nunc in terminis agitetur, & plurimi ſententiam deobligantem ſequantur, hæç reddita eſt probabilis.

Adde, antiquos ipſos Auctores, qui diſerte quæſtionem hanc inſtituerunt, (ut ſunt Paludan., D. Antoninus, Tabien. apud Henr. de Euch. quæſt. 45. in Gloſſa lit. P.) negaſse hanc obligationem confitendi peccata negative dubia; & ſolum hanc obligationem agnoviſſe relate ad peccata in eo ſenſu dubia, quatenus non certo, ſed probabiliter ſunt commiſſa, quin detur probabilitas, quod non ſint commiſſa. Hæc profecto ſubjicienda eſſe clavibus, non eſt ambigendum; quia in humanis actionibus talis probabilitas eſt quædam moralis certitudo. Hinc tenemur, verbi gratia, colere tamquam Genitorem Petrum, quamvis non habeatur de hoc niſi conſimilis moralis certitudo, quod ſcilicet rationes prudentes id ſuadent, quin detur probabilitas ulla in contrarium. In hoc itaque caſu peccata dubia confitenda ſunt; non vero peccata negative dubia.

Ne-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Neque quicquam evincit argumentum adductum a Thoma Sanchez de contritione, ad quam certo obligamur pro delictis dubiis.

Nam etiam pro delictis dubiis poſitive obligamur ad contritionem, ſaltem in articulo mortis, & tamen non inde infertur, quod peccata poſitive dubia, ſeu a quibus per probabiles rationes excuſamur, debeamus confiteri: ergo idem dicendum de peccatis dubiis negative: Tenemur enim de illis conteri, ut, ſi forte ſint, deleantur, nec exponamur periculo damnationis æternæ; (ſicut etiam tenemur conteri de oblitis, ſi quæ ſint) non tenemur autem peccata dubia confiteri; quia de ea lege, ac Chriſti Domini inſtitutione certi non ſumus.

Hinc ſequitur, certum de peccato, ſed dubium negative, num peccatum commiſſum fuerit veniale, an mortale? cum plena advertentia, an non? probabiliter non teneri ad confeſſionem.

IX. Quæritur quarto, an qui certus de peccato commiſso dubitat negative, an illud confeſsus ſit, teneatur ad confeſſionem?

Reſpondeo, procul dubio teneri, quia poſseſſio in tali caſu non ſtat pro libertate pænitentis, ſed pro præcepto confeſſionis. Quare ſicut qui negative dubitat, an audierit Sacrum, recitarit officium, ad quod tenetur, obligatur audire, ac recitare, niſi per probabiles rationes excuſetur; in quo caſu dubium non eſset negativum, ſed poſitivum: ita in caſu noſtro: Ratio doctrinæ communis eſt, quia ſolutio debiti certi probari debet a debitore, ut eximatur ab obligatione ſolvendi; non enim præſumitur ſolutio, niſi probetur, ex *l. quinquaginta ff. de probat.* Atqui pænitens dum dubitat de confeſſione, non poteſt probare ſe ſolviſse debitum: ergo manet obligatus.

Imo addo cum Tambur. in Meth. Confeſ. cap. 3. §. 3., quod ſi habeas rationes probabiles tantum, & non certas, quod peccaveris, ſed nullam rationem probabilem habeas judicandi non peccaſſe, aut te eſse confeſſum, (quod eſt dubitare negative de confeſſione) tenearis pariter ad confeſſionem, quia poſseſſio ſtat pro præcepto confeſſionis.

X. Quæritur tertio, Utrum peccatum mortale dubium ſit materia ſufficiens Sacramenti pænitentiæ?

Reſpondeo, huic quæſito fieri ſatis in articulo quarto, ubi de peccato putato, cum eadem ſit ratio utriuſque.

## ARTICULUS III.

De peccato, quod fuit expoſitum ut dubium, & deinde deprehenditur certum.

*I. Negant plures Doctores peccatum expoſitum in confeſſione ut dubium debere iterum ſubjici clavibus, ſi deprehendatur ut certum.*
*II. Sicut qui confitetur decies circiter peccaſſe, ſi deprehendat peccaſſe undecies, non debet iterum confiteri peccatum undecimum.*
*III. In praxi tamen oppoſita ſententia videtur amplectenda.*
*IV. Diverſum quippe formatur judicium de peccato dubio, ac de certo.*
*V. Plura notantur pro Scrupuloſis circa peccata dubia.*
*VI. Qui fatetur decies circiter peccaſſe, per ly circiter univerſim quinarius numerus denotetur.*

I. Quæritur, an qui confitetur peccatum mortale ut dubium, ſi deinde deprehendat certo peccaſſe, teneatur iterum peccatum illud confiteri ut certum?

Plurimi recentiores cum Leandro, Breſ-

Breſſero; Arriaga, Jo: Marin, Tambur., Caramuele, & aliis negant; quod ſpeculative probabile cenſet de Lugo. Ratio eſt, quia tale peccatum fuit directe abſolutum, quamvis ſub conditione implicita, ſi ſcilicet revera ſit commiſſum; Sicut enim in judicio forenſi, qui habuit ſententiam abſolutoriam, non quidem interloqutoriam, ſed definitivam de crimine dubio, non poteſt amplius in judicium propter tale crimen deduci; ita pariter in judicio Sacramentali, in quo datur abſolutio definitiva de peccatis dubiis, non videtur requiri nova abſolutio, ſi peccatum deinde deprehendatur certum.

II. Confirmant primo, quia ſi quis confeſſus ſit numerum peccatorum ſub dubio, dicendo, verbi gratia, peccavi decies circiter blaſphemando; quod eſt ſub dubio confiteri undecimam, vel duodecimam blaſphemiam: ſi deinde deprehendat vere duodecies blaſphemaſſe, non tenetur iterum certum numerum in confeſſione aperire, cum hæc ſit praxis fidelium: ergo pariter quando dubium non eſt circa numerum peccatorum, ſed circa ſubſtantiam peccati, ſi peccatum ſit confeſſum ut dubium, & deinde deprehendatur certum, non proinde debet iterum ſubjici clavibus.

Confirmant ſecundo; quia ſi quis ad cautelam obtineat abſolutionem, vel diſpenſationem ſuper cenſura, aut irregularitate dubia, non indiget nova abſolutione, vel diſpenſatione, ſi deprehendat, ſe illam certo incurriſſe; Et idem dicas, ſi Epiſcopus diſpenſet ſuper voto dubio caſtitatis juxta communiſſimam ſententiam: ergo idem dicendum in caſu noſtro: Et ratio a priori videtur eſſe, quia abſolutio datur in his caſibus ſub conditione, quod vincula adſint: ergo cum revera adſint, remanent omnino abſoluta.

Dicunt conſequenter hi Doctores, quod quando quis integre confitetur peccatum ſuum, dubitans tamen ſitne mortale, an veniale, de quo etiam confeſſarius dubitet, ſi poſt abſolutionem deprehendatur fuiſſe mortale, non ſit opus nova confeſſione; cum directe ſit abſolutum peccatum illud, quodcumque ſit, integre confeſſum.

Dicunt præterea, ſi quis confiteatur peccatum reſervatum dubium, non ſolum poſſe abſolvi a quolibet confeſſario (cum enim reſervatio ſit odioſa, & conſequenter reſtringenda, non cadit, niſi in peccata certa) ſed nec fore opus nova confeſſione apud ſuperiorem, ſi deinde peccatum deprehendatur certo reſervatum; quia ſcilicet fuit directe abſolutum a confeſſario, qui tunc habebat jurisdictionem, & poteſtatem debitam, quando manifeſtatum fuit ut dubie reſervatum.

Neque dicas cum Martino Perez: Qui confitetur peccatum, verbi gratia, fornicationis, dubitans, an commiſſum ſit cum conjugata; ſi deinde deprehendat, commiſſum eſſe cum conjugata, debet iterum aperire ſpeciem illam peccati; ergo pariter peccatum quoad ſubſtantiam, vel quoad numerum confeſſum ut dubium, debet iterum ſubjici clavibus, quando deprehenditur certum. Et ratio a priori eſt, quia diverſum eſt judicium, quod formatur a Confeſſario de pœnitente, ſi ſub dubio, ac ſi certo confiteatur, ſe deliquiſſe.

Reſpondent tamen Recentiores laudati diſtinguendo antecedens; ſi quis confeſſus eſt peccatum fornicationis, dicendo, ſe dubitare, an fuerit cum conjugata, negant antecedens; ſi tantum confeſſus ſit peccatum fornicationis, & deinde deprehendat novam illam ſpeciem malitiæ, quam ne ſub dubio quidem in prima confeſſione manifeſtaverat, concedunt antecedens; negantque conſequentiam. Et ſa-



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ſane ſicut dicunt, quod, qui fatetur ſub dubio fornicationem, non tenetur iterum illam confiteri, quando de illa certificatur; ita pariter aſſerunt, quod, qui fatetur peccatum fornicationis ſub dubio de circumſtantia adulterii, ſi deinde certificetur, quod fornicatio fuerit cum conjugata, non tenetur iterum adulterium explicare.

Ad rationem a priori reſpondent; judicium, quod a confeſſario formatur de pœnitente fatente peccatum dubium eſſe quidem diverſum, ac ſi fateatur peccatum certum, non tamen eſſe notabiliter diverſum; Ad eum modum quo diverſum eſt judicium, ſi pœnitens fateatur circumſtantias aggravantes, ac ſi illas taceat, non eſt tamen notabiliter diverſum, ſicut ſi taceret circumſtantias mutantes ſpeciem; & ideo ſicut probabiliter poſſunt reticeri circumſtantiæ aggravantes, ita pariter probabiliter ſatisfit præcepto confeſſionis confitendo peccatum dubium; etiamſi deinde, quando deprehenditur certum, non iterum ſubjiciatur clavibus.

III. His tamen non refragantibus, cenſeo cum Lugo in praxi amplectendam eſſe ſententiam affimativam Thomæ Sanchez, Turrian., & aliorum cum Perez, qui dicit eſſe communem, ſcilicet teneri pęnitentem confiteri iterum peccatum confeſſum ut dubium, quando deprehenditur certum. Ratio eſt, quia ſententia negativa, quam ſequebatur Pater Pellizarius tract. 5. c. 3. num. 56., quamvis non ſit damnata, nihilominus ab eo Codice eſt expurgata a Sacra Indicis Congregatione, quæ non vult illam tolerare; quare in praxi ab ea abſtinendum. Ratio autem a priori eſt, tum quia judicium notabiliter diverſum formatur de peccato dubio, ac de certo; tum etiam, quia ſi ab initio conſtaret peccatum illud ut certum, deberet ut certum explicari: ergo cum obligatio iſta ceſſarit per accidens, ſcilicet ratione ignorantiæ, ſeu dubii, recedente impedimento dubii, vel ignorantiæ, conſurgit obligatio confitendi peccatum illud ut certum, quæ prius per accidens fuerat impedita.

Neque dicas, quod ſic teneremur bis confiteri idem peccatum.

Nam hoc eſset per accidens; eo prorſus pacto quo qui oblitus eſt circumſtantiæ mutantis ſpeciem, nec poteſt deinde explicare in nova confeſſione circumſtantiam illam, niſi confitendo iterum peccatum præteritum, tenetur per accidens bis confiteri illud peccatum.

IV. Ad celebrem illam paritatem Cardinalis de Lugo reſpondet Perez, quod qui confeſsus eſt, ſe decies circiter blaſphemaſse, ſi habuerit dubium negativum de undecima blaſphemia, tenetur pariter iterum illam confiteri, quando certe deprehendit undecies blaſphemaſse: Verum quia communis ſententia Suarii, & aliorum tenet oppoſitum, ideo aſſignari poteſt diſparitas; dicendo, quod quando dubium eſt de numero peccatorum, judicium non eſt notabiliter diverſum; quia diverſitas eſt ſecundum magis, & minus, ut in circumſtantiis aggravantibus. At quando dubium eſt de ipſo peccato judicium eſt notabiliter diverſum; quia diverſitas eſt circa ſubſtantiam rei, & dubium eſt, ſitne pænitens peccator, an non, in tali ſpecie peccati, ut dicemus de circumſtantiis mutantibus ſpeciem.

Ad ſecundam confirmationem, tranſmiſſo, quod abſolutus a cenſura reſervata dubia non teneatur adire ſuperiorem, quando deprehenditur certa (quod multi negant) paritas eſt nulla; quia reſervatio cum ſit odioſa tollens poteſtatem abſolvendi, ſtricte interpretanda eſt, unde non eſt cenſenda amplius reſervata cenſura illa: Contra vero, lex confeſſionis non eſt ab-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ablatio, ſed communicatio poteſtatis facta a Chriſto Domino Sacerdotibus: quare cum ex praxi Eccleſiæ habeatur voluiſſe Chriſtum Dominum abſolvi peccatum, ſi manifeſtetur, prout eſt in conſcientia, quando dubium, ut dubium, & quando deinde certum ut certum, dicendum, quod teneamur iterum illud confiteri, quando deprehenditur certum.

V. In calce hujus articuli ad quietem ſcrupuloſorum, & timoratorum nonnulla adverte ex Perez, Tambur., & aliis. Et primo quidem multos decipi in eo, quod putent ſe dubios eſſe, ſi non recordentur in particulari Confeſſionis factæ de peccato commiſſo. Nam ſi præſumere poſſunt etiam generali aliqua ratione ducti, ſe ſufficientem diligentiam adhibuiſse ad confeſſionem rite faciendam, præſumere debent, eam eſse rite factam, niſi ſpecialis, & quidem gravis dubitandi ratio obſtet. Unde ſi recorderis, te confeſsum eſse, verbi gratia, duo peccata, & de tertio non recorderis, præſumere debes, quod illud etiam confeſsus ſis; quia ex *l. Quæro . Interlocutorem ff. locati*, actus præſumitur factus ſecundum juris diſpoſitionem. Et idem dicendum, ſi quis confeſsus peccatum, non recordetur, an ſit confeſsus numerum, aut ſpecies; quas tamen confiteri ſolebat, vel ſua, vel confeſsariorum, quibus utebatur, diligentia. Quod circa ſcrupuloſos præſertim præſtandum eſt; nam ſi hi confeſſionem generalem ſemel bona fide, ac diligenter fecerint, non tenentur iterum confiteri peccatum aliquod, ex eo quod non certo ſciant illud ſe fuiſse confeſsos; imo, ſi multum ſcrupulis turbentur, non debent fateri, niſi quæ poſsunt jurare eſſe commiſſa, eſse mortalia, & nunquam eſse confeſsa ex Sanch. lib. 1. cap. 10. num. 85. Quia, ut idem Auctor advertit, credulitas in ſcrupuloſis eſt quaſi certitudo in hominibus pacatæ conſcientiæ: unde niſi hac via occurratur, confeſſio non erit illis in medicinam, ſed in carnificinam, nec laquei tolluntur, ſed injiciuntur. Quod etiam extendit Sanchez ad alios ſcrupuloſos deperditæ vitæ, quorum dubia in mitiorem partem interpretanda ſunt, quoties anguntur ſcrupulis, ſicut bene morigerati.

Secundo adverto ex Tambur., ruſticos, mulierculas, pueroſque, qui bona fide ſuas confeſſiones etiam coram Parocho indocto groſſiori modo fecerunt, quamvis deinde grandiores, & peritiores effecti videant in multis ſe defeciſſe; unde animadvertunt multa dubia dixiſſe pro certis, & multa certa pro dubiis, & unum numerum pro alio, non ſunt cogendi repetere confeſſiones ex Fagund. in ſecundum præceptum Eccleſiæ lib. 3. cap. 4. de Lugo de pœnit. diſp. 16. ſect. 14. a num. 58. Et ratio eſt, quia ex uno capite ſatis ſuperque ſaltem in confuſo confeſſarius eorum peccata percepit, & directe abſolvit: Et ex alio capite praxis fidelium eſt non repetere confeſſiones illas, ad quod ſi fideles obligarentur, omnia ſcrupulis eſſent obnoxia. Verior tamen eſt ratio, quam Fagund. aſſignat, quia ſcilicet ex vitæ præſentis ſtatu paſſim arguit confeſſarius ſtatum totius vitæ præteritæ, & ſufficienter numerum peccatorum a pœnitente commiſſorum: nam hujuſmodi homines uniformem ſolent ducere vitam.

Tertio, qui fecit aliquando cum debita diligentia confeſſionem generalem, explicando numerum peccatorum, qui tunc memoriæ occurrebat, addendo ſemper plus, minuſve, ſi deinde recordetur certe non eſſe confeſſum aliquod peccatum in individuo conſimile illis, intelligitur incluſum in ly plus, minuſve, & rite abſolutum: unde

unde non eſt opus nova confeſſione.

VI. Sed rogabis hic, dum quis fatetur numerum incertum, dicendo verbi gratia, blaſphemavi decies circiter, plus minuſve, quot blaſphemiæ importentur per ly circiter, ut pœnitens liber ſit ab iteranda confeſſione, ſi deprehendat alium numerum blaſphemiarum.

Reſpondeo, Verricel. tract. 1. quæſt. 5. citatum, & merito rejectum a Tambur. ſentire, quod importetur medietas numeri: Unde ſi ille vicies blaſphemavit, non teneatur amplius confeſſionem repetere, ſi deprehenderit blaſphemaſſe tricies; Etſi dixerit centum circiter, non teneatur, ſi deinde deprehendat centum quinquaginta blaſphemias commiſiſſe. Gaſpar Hurtadus apud Dianam part. 3. tract. 4. reſol. 294. dicit decem circiter importare tres, aut quatuor alios. Vaſqu., & de Lugo cenſent, univerſalem regulam aſſignari non poſſe, ſed prudentis arbitrio relinquendum: in quo judicio formando ea regula ſervetur, ut pro majori numero, qui nominatur, major pariter numerus ſubintelligatur per illam particulam, Circiter; non tamen ſervando proportionem arithmeticam; unde Lugo, & Menochius putant, quod ſi quis dixerit, decies circiter ſe peccaſſe, non teneatur confeſſionem iterare, etiamſi deprehendat peccaſſe octies, vel duodecies: ſi tamen dixerit commiſiſſe ad centum peccata, non intelligantur octoginta, aut centum viginti, ſed nonaginta quinque, aut ad ſummum nonaginta, vel centum & quinque, aut centum & decem, hanc proportionem ſervando in majori multitudine, quia quamvis ita ſe habeant duo ad decem, ſicut viginti ad centum: at dum dico decies circiter, poſſunt intelligi etiam duodecim, quia duo alia etiam ſecundum ſe ſunt parva pars: Contra vero; quia viginti ſecundum ſe non ſunt parvus numerus; ideo dum dico centum circiter, non intelliguntur centum viginti.

## ARTICULUS IV.

### De Peccato pure putato.

*I. Quamvis peccatum pure putatum ſit materia neceſſaria Confeſſionis; dubitatur tamen, an ſit materia ſufficiens, ut gratia conferatur.*

*II. Multis arridet ſententia negativa.*

*III. Sed benignior affirmativa eſt valde probabilis.*

*IV. Hinc plura ad praxim deducuntur.*

*V. Cum eadem ſit ratio de peccato pure putato, ac de peccato dubio, ſi revera non fuerit commiſſum, ideo in confeſſione præter peccata dubia, addendum eſt aliquod certum.*

I. Citra controverſiam eſt peccatum pure putatum eſſe materiam neceſſariam confeſſionis, ſeu teneri nos illud confiteri, quia de rebus judicare debemus, non prout ſunt, ſed prout in conſcientia apparent: Unde dixit Apoſtolus, *quod non eſt ex fide, peccatum eſt*, hoc eſt, quod non eſt juxta fidem, ſeu juxta dictamen conſcientiæ, eſt peccatum.

Quæritur tamen, An peccatum pure putatum ſit materia ſufficiens confeſſionis; ſeu an qui putat, ſe commiſiſſe aliquod peccatum, quod revera non commiſit, & illud tantum aperiat in confeſſione, ſacramentum, & novam gratiam recipiat ratione veri doloris cadentis ſupra peccatum non verum?

Reſpondeo, plures Neotericos probabiliter affirmare, tum quia in tali caſu non deeſt materia proxima hujus Sacramenti, quæ eſt dolor; tum et-

etiam quia, ſi peccatum putatum eſt materia remota neceſſaria, congruum eſt, ut ſit etiam ſufficiens. Idque ſimiliter docent de peccato dubio, quod revera non ſit commiſſum; ita ut, ſi ſolum illud ſubjiciatur clavibus, adhuc gratia Sacramentalis conferatur.

II. Rigidior tamen ſententia negat, quia Trident. pro materia proxima hujus Sacramenti non aſſignat dolorem, quemcumque, ſed dolorem de peccato: atqui in caſu noſtro non habetur dolor de Peccato, quamvis habeatur dolor de peccato putato; quia peccatum putatum non eſt peccatum, ſicut homo pictus non eſt homo, niſi æquivoce: ergo in caſu noſtro non habetur materia proxima Sacramenti pœnitentiæ, & conſequenter nec Sacramentum. Unde peccatum putatum non eſt materia remota ſufficiens talis ſacramenti.

Confirmant hanc ſententiam, quia ſi ſufficeret verus dolor de peccato non vero, ſed putato, ſufficeret etiam dolor verus ſubditi non veri, ſed putati, & abſolutio vera confeſſarii putati, ſeu Sacerdotis habentis juriſdictionem putatam, quod nemo dixerit: Præterea ſequeretur, quod poſſet dari Sacramentum Confirmationis per veram unctionem Chriſmatis putati, & Sacramentum baptiſmi per veram abſolutionem aquæ putatæ. Sicut enim peccatum eſt materia remota, & dolor materia proxima Sacramenti pœnitentiæ; ita aqua naturalis eſt materia remota, & ablutio materia proxima Sacramenti baptiſmi: ergo ſi ſatis eſſet dolor verus de peccato putato, ſatis etiam eſſet ablutio vera aquæ putatæ.

Si opponas primo, In judicio forenſi vere ferri ſententiam de crimine putato, ſi fuerit juridice probatum: ergo etiam in judicio Sacramentali.

Reſpondent per inſtantiam de ſubdito putato: nam in judicio forenſi vere fertur ſententia, quando juriſdictio eſt tantum putata; non tamen in judicio Sacramentali. Præterea ſicut Sacramentum pœnitentiæ eſt inſtitutum ad modum judicii, ita Sacramentum baptiſmi ad modum ablutionis, & tamen, ſi ablutio ſit aquæ putatæ, non confertur Sacramentum baptiſmi: ergo ſi abſolutio, & dolor ſint de peccato putato, neque confertur Sacramentum pęnitentiæ. Quare judicium forenſe, & Sacramentale in multis diſcrepant: nam in judicio Sacramentali reus non debet eſſe diſtinctus ab accuſatore, & a teſte; & qui fatetur delictum, abſolvitur; Contra vero in judicio forenſi: ergo poterunt etiam differre in ferenda ſententia de crimine putato; Et quod de facto differant, conſtat ex ratione adducta pro hac ſententia.

Si opponas ſecundo, videri incredibile, quod Chriſtus Dominus noluerit conferri gratiam Sacramentalem ei, qui tenetur peccata putata revelare, & de facto revelat Confeſſario: ergo ex inſtitutione Chriſti Domini peccatum putatum eſt materia ſufficiens. Quod ex eo confirmatur, quia aliter habenti peccatum putatum obeſſet ſua innocentia: ſi enim vere peccaſſet, reciperet gratiam Sacramentalem; quia vero putat, ſe peccaſſe, & de facto eſt innocens, gratiam Sacramentalem non recipit, quod videtur abſurdum.

Reſpondent, negando antecedens; ſicut enim pœnitens tenetur aperire ſuas culpas illi, quem putat eſſe confeſſarium, quin proinde recipiat Sacramentum, ſi ſit tantum Sacerdos putatus; ita in caſu noſtro: ſatis enim eſt, ſi in his caſibus actus eliciti ad ſatisfaciendum obligationi proſint bene operanti ex opere operantis, quin debeant, aut poſſint prodeſ-

deſſe ex opere operato; cum non ſatis ſint ad Sacramentum conficiendum.

Ad confirmationem dicunt, huic obeſſe, ne gratiam Sacramentalem recipiat, non ſuam innocentiam, ſed inſtitutionem Chriſti Domini, qui noluit hoc Sacramentum pro ſanis, & vivis, ſed pro ægrotis in medicinam, & pro mortuis in reſurrectionem inſtituere, quamvis potuiſſet aliter inſtituere: Non eſt autem argumentum efficax ad dicendum, quod de facto ita inſtituerit, ut conferatur gratia Sacramentalis aperienti ſolum peccatum putatum, ad hoc ut ſic etiam hoc Sacramentum innocentibus proſit; Nam ſic poſſemus dicere, quod de facto Sacramentum pœnitentiæ ita inſtituerit, ut ad illud ſuſcipiendum ſatis ſit etiam dolor de peccato, quatenus eſt offenſa Dei, ſive a ſe, ſive ab alio irrogata, ad hoc, ut ſic poſſet ſuſcipi a Beatiſſima Virgine, quæ tantum poterat dolere de offenſa Dei ab aliis irrogata, non vero de peccato ut a ſe commiſſo, ne putato quidem; ut communiſſime docent Doctores contra perpaucos citatos a Raynaudo par. 2. punct. 4. putantes cum Caniſio lib. 1. de Virgine cap. 4. Deiparam ſuſcepiſſe Sacramentum pœnitentiæ, confitendo ſive incongruitatem ad maternitatem Dei, ſive culpam levem conditionaliter exiſtimatam, vel tamquam poſſibilem apprehenſam. Quamvis enim Deipara ſuſceperit Sacramentum baptiſmi, ut charactere Chriſti inſigniretur, & Sacramentum Extremæ Unctionis juxta probabilem ſententiam Suarii, ut muniretur gratia corroborativa in extremo vitæ agone ad ſuperandas mortis anguſtias, non videtur tamen ſuſcepiſſe Sacramentum pœnitentiæ, quod unice voluit Chriſtus Dominus inſtituere ad delenda peccata, non vero ad augendam gratiam innocenti.

III. Equidem hac in re benigniori ſententiæ adhærendum cenſeo, ac valde probabile puto, quod peccatum pure putatum, ſicut eſt materia neceſſaria Confeſſionis, ita ſit etiam materia ſufficiens: Et ratio videtur eſſe, quia potuit Chriſtus Dominus inſtituere hoc pacto Sacramentum pœnitentiæ: ergo probabiliter ita inſtituit: Conſonum quippe divinæ benignitati eſt, ut onus impoſitum confitendi peccatum pure putatum voluerit innocentibus compenſare augmento gratiæ, etiam ex opere operato; unde inſtituerit, quod peccatum etiam putatum eſſet materia remota Sacramenti pœnitentiæ.

Neque obſtant paritates adductæ; quod ſcilicet aqua putata non ſit materia remota Sacramenti Baptiſmi; nec Chriſma putatum materia Confirmationis: Sicut nec dolor putatus de peccato vero eſt materia proxima in Sacramento Pœnitentiæ; nec eſt forma Abſolutio relate ad ſubditum putatum.

Reſpondetur enim, materiam remotam in Sacramento Pœnitentiæ eſſe valde diverſam, ac in Sacramento Baptiſmi, Confirmationis, &c.; nam in hiſce Sacramentis materia remota debet exiſtere, ut habeatur materia proxima; quomodo enim poterit haberi aquæ ablutio, ſi non habeatur aqua? At in Sacramento Pœnitentiæ debet materia remota deſtrui; & perinde ſe habet, ſive tunc deſtruatur per Sacramentum, ſive deſtructa prius fuerit per contritionem, ſive nunquam extiterit, ut quando peccatum eſt putatum. Et in Euchariſtia, ubi ſubſtantia panis debet deſtrui, non poſſunt haberi ſpecies panis, niſi verus panis conſecretur. At poteſt haberi verus dolor de peccato etiam putato.

Neque dici poteſt, quod dolor etiam putatus poſſet dici, eſſe materia

pro-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

proxima hujus Sacramenti, aut abſolutio relate ad ſubditum putatum. Nam univerſim verba Bibliorum, ac Conciliorum ſumi debent in ſenſu proprio, niſi detur valida ratio in contrarium; ſed nulla eſt hujuſmodi ratio ad dicendum, quod ſufficiat dolor putatus, aut ſubditus putatus; nemo enim id ſomniavit; imo ex proſcripta theſi 57. ab Innoc. XI. conſtat, quod ſolus dolor ſupernaturalis ad hoc Sacramentum ſpectet: Contra vero datur ſufficiens motivum, & auctoritas ad dicendum, quod verus dolor de peccato putato ſit ſatis: ergo probabiliter peccatum putatum eſt materia remota hujus Sacramenti.

IV. Ex dictis infertur primo juxta rigidam illam ſententiam non ſatisfieri præcepto confeſſionis annuæ per confeſſionem ſolius peccati putati, atque adeo, qui poſtquam deprehendit peccatum fuiſſe putatum, incideret infra annum in aliquod mortale, teneretur eo anno iterum confiteri, ut præcepto ſatisfaceret. Verum quia ſententia noſtra eſt etiam probabilis, & ut ſupra diximus, abunde ſatisfit præceptis juxta opinionem probabilem, idcirco abſolute, & practice loquendo per hujuſmodi confeſſionem præcepto Eccleſiæ ſatisfieret; quamvis ſpeculative loquendo juxta præfatam ſententiam non ſatisfieret.

Infertur ſecundo, quod dictum eſt de peccato putato, dicendum etiam fore de peccato dubio, ſi vere non eſt commiſſum: Nam peccatum, quod clavibus ſubjectum eſt ut dubium, ſi vere non eſt commiſſum, eſt ſolum peccatum putatum.

Infertur tertio, quod, qui confitetur peccata dubia, debeat pariter aliquod veniale certum addere, non ſolum ut juxta praxim Eccleſiæ abſolutio detur quoad ejus fieri poteſt abſoluta, & non conditionata (ſicut dari deberet, ſi quis tantum peccata dubia confiteretur), ſed etiam ne privetur gratia Sacramentali, quæ juxta ſententiam rigidam non conferretur, ſi peccatum confeſſum ut dubium vere non eſſet commiſſum. Et quamvis ſententia noſtra ſit valde probabilis ſpeculative, tamen quia forte non eſt vera, ideo ne exponatur Sacramentum periculo fruſtrationis, expedit ſemper peccatum aliquod certum dubiis ſuperaddere.

V. Dubium eſt, Utrum hoc cadat ſub conſilium tantum, an ſub obligationem gravem? Martinus Perez tenet cadere tantum ſub conſilium; præſertim ſi difficultatem experiatur pœnitens exponendi materiam aliquam certam. Cenſeo tamen cadere ſub obligationem gravem, ne exponatur periculo fruſtrationis Sacramentum juxta ea, quæ paſſim Doctores docent in expoſitione primæ propoſitionis proſcriptæ ab Innoc. XI. Quod ſi peccatum certo ſit commiſſum, & dubium ſolum ſit, num fuerit mortale, an veniale, tunc talis obligatio non datur, ut patet, cum non exponatur Sacramentum periculo fruſtrationis.

## ARTICULUS V.

### De Peccatis alias confeſſis.

*I. Videntur peccata rite confeſſa, & abſoluta non eſſe amplius materia ſufficiens Confeſſionis.*

*II. Sed communiſſime oppoſitum docent.*

*III. Quomodo forma abſolutoria in hoc caſu non ſit falſa?*

*IV. Num poſſint peccata iſthæc eſſe materia neceſſaria, vel ex voto Pœnitentis, vel ex ſtatuto Superioris?*

*V. Num poſſit Eccleſia præcipere Confeſſionem de venialibus?*

*VI. Quandonam Pœnitens teneatur reſpondere, ſi a confeſſario interrogetur de peccatis alias confeſſis?*

*VII. Utrum poſſit reticere aliqua pecca-*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

*cata alias confeſſa, qui dicit confeſſario velle generalem confeſſionem inſtituere?*

*VIII. Utrum in generali confeſſione explicari debeant, quænam ſint mortalia poſt ultimam confeſſionem commiſſa?*

I. OLim fuit viſum nonnullis apud Martinum Perez, peccata ſemel confeſſa, & abſoluta non eſſe amplius materiam ſufficientem Confeſsionis: Primo quia forma nova Sacramentalis repeti non poteſt ſupra eandem materiam: quis enim iterum conſecret hoſtiam jam conſecratam? Hoc autem præſertim repugnat in forma abſolutionis, quæ ſupponere debet hominem ligatum; cum ſolus ligatus abſolvatur. Secundo, quia, ſi non poteſt Sacerdos peccata confeſſa, & abſoluta retinere, nec poteſt abſolvere: Tertio, quia ſententia abſolutoria eſt definitiva, poſt quam non datur alia.

II. Communiſsima tamen ſententia docet oppoſitum; idque decrevit Benedictus II. in Extravag. 1. de privilegiis. Et ratio eſt, quia unuſquiſque poteſt in eadem cauſa ſæpius judicari, ſi ipſe velit. Secundo, quia poteſt eadem injuria iterum, iterumque remitti; ergo bene poteſt ſæpius abſolvi pœnitens ab eodem peccato. Et confirmatur a pari; quia ſicut renovamus votum paupertatis renunciando, quæ jam non poſsidemus, non ſolum per approbationem præteritæ renunciationis, ſed etiam renovando obligationem, quam jam contraximus: ita poteſt pariter renovari remiſsio injuriæ jam deletæ.

Ad primam rationem in contrarium reſpondent, ſtante eadem materia remota, repeti poſſe formam Sacramentalem ſupra novam materiam proximam; ſicut ſi iterum fiat ablutio, per eandem aquam poteſt alius baptizari: ergo ſi repetatur dolor novus ſupra idem peccatum, poterit iterum abſolutio conferri. Ex quo patet diſparitas circa Euchariſtiam, in qua ſpecies Sacramentales non ſunt materia remota, ſed proxima: unde conſecratio non caderet ſupra eandem materiam remotam, ſed proximam.

III. Ad id, quod additur, falſum eſt, quod forma abſolutoria ſupponat hominem ligatum; aliter conferri non poſſet abſolutio accedenti ad Sacramentum cum contritione: Quare ſenſus illorum verborum, *Abſolvo te*, eſt hujuſmodi, ſcilicet, Confero tibi gratiam abſolutivam, quæ te ſolvat, ſi es ligatus, vel ſolveret, ſi eſſes ligatus: Vel ſenſus eſt, Remitto tibi omnes injurias, & offenſas Dei: Nam, ut diximus, ſicut poſſunt renovari vota, ita & condonationes.

Ad ſecundum: Peccata remiſſa, quamvis non poſsint a confeſſario retineri, poſſunt tamen iterum remitti; quia quando ſunt jam remiſſa, non ex neceſsitate, ſed ad arbitrium pœnitentis, poteſt de iis novum judicium efformari, per quod iterum conferatur ſententia abſolutoria, qua detur nova gratia, quæ ſit remiſsiva peccati tantum in actu primo, non in actu ſecundo. Eo prorſus modo, quo datur abſolutio, & confertur gratia remiſsiva accedenti ad Sacramentum cum contritione. Quare ea ſolum peccata remitti, & retineri ſimul poſſunt, quæ ex neceſsitate, non ad arbitrium, ſubjiciuntur clavibus.

Ad tertium: Sententia definitiva non poteſt revocari in dubium; ſed poteſt approbari, & repeti reo petente.

IV. Quæritur hic primo, an peccatum rite confeſſum, & abſolutum poſsit eſſe materia neceſſaria confeſſionis, vel ex voto pœnitentis; vel ex ſtatuto, cui ſe Pœnitens voluntarie ſubjecit, vel ex pœnitentia injuncta a Confeſſario.

Re-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Reſpondeo cum Suarez diſp. 27. ſect. 7., & Fagund., quod licet peccatum alias confeſſum, & rite abſolutum ex inſtitutione Chriſti Domini non ſit per ſe loquendo materia neceſſaria Confeſsionis, poterit tamen eſſe neceſſaria, tum ex voto pœnitentis; quia quod eſt materia conſilii, poteſt eſſe materia voti; tum ratione ſtatuti, cui quis voluntarie ſe ſubjecit, ut cum quis voluntarie aſſumit ſtatum religionis ſub conditione faciendi ſingulis annis generalem confeſſionem illius anni (ut in Ciſtercienſi religione ſtatutum eſſe ferunt) Hæc enim confert ad perfectionem, & ad obſervantiam regularem.

Nego tamen cum Suar. loc. citato, poſſe abſoluto præcepto a Superiore, vel a Confeſſario imponi obligationem iterum confitendi eadem peccata; Tum quia eſt res valde difficilis, & illa cauſa eſt jam terminata, & nullus videtur eſſe finis, nulla neceſſitas, propter quam expediat tale præceptum, aut talem pœnitentiam injungere; Tum etiam, quia hæc eſt propria materia conſilii, & ideo per ſe non cadit ſub præceptum humanum.

V. Diſputant etiam celeberrimi Doctores, An poſſit Eccleſia præcipere confeſſionem de venialibus, ſaltem de aliquibus? Nonnulli affirmant cum Vaſq., Suar., Lug., Laym.. Nonnulli vero negant cum Leandro, Pal., & aliis: quia non poteſt Eccleſia inſtituere diverſum forum pœnitentiæ ab eo, quod Chriſtus Dominus inſtituit; Cum ergo Chriſtus Dominus tantum obligarit ad mortalia confitenda, non poteſt Eccleſia præcipere confeſſionem venialium.

VI. Quæritur ſecundo, An pœnitens interrogatus a confeſſario de peccato rite confeſſo, & abſoluto, teneatur reſpondere?

Reſpondeo, teneri, quando notitia illius peccati neceſſaria eſt Confeſſario ad pœnitentem in poſterum dirigendum: poſita enim hac neceſsitate, habet Confeſſarius jus ad interrogandum, & conſequenter habet pœnitens obligationem ad reſpondendum. Unde Innoc. XI. damnavit propoſitionem illam quinquageſimam octavam, quæ dicebat, non teneri pœnitentem reſpondere Confeſſario interroganti conſuetudinem peccati. Quando autem talis notitia non eſt neceſſaria, dico cum Suar. diſp. 22. ſect. 1., & Granad., poſſe pœnitentem abſque ullo peccato etiam veniali uti æquivocatione, & non aperire veritatem confeſſario. Et ratio eſt, quia quando judex non interrogat juridice, non mentitur, qui negat factum, quod vere fecit; etenim non cenſetur ſimpliciter negare, quod fecerit, ſed negare quod fecerit ita, ut teneatur in illo foro illud revelare, quæ non eſt reſtrictio mentalis jam damnata ab Innoc. XI. in theſibus vigeſima ſexta, & vigeſima ſeptima, ſed eſt æquivocatio, ſeu reſtrictio non pure mentalis, ut diximus in expoſitione illarum theſium proſcriptarum: Quando enim judex non habet jus interrogandi, nec pœnitens habet obligationem ad ejus mentem reſpondendi. Idem dicas de eo, qui exiſtimans, juxta probabilem opinionem, circumſtantias aggravantes non eſſe explicandas, confitetur peccatum furti, dicendo, furatus ſum rem gravem, & deinde interrogatur a Confeſſario de quantitate furti; tunc enim tenetur reſpondere, quando (ut plerumque accidit) hujuſmodi notitia neceſſaria eſt confeſſario ad judicium rite formandum, & ad medicinam applicandam, aliter non teneretur. In dubio tamen num talis notitia ſit neceſſaria, ut Confeſſarius & qua Judex rite ſententiam ferat, & qua Medicus rite medeatur, ſtandum pro judicio

confeſſarii interrogantis, & conſequenter datur obligatio reſpondendi.

VII. Quæritur tertio, an qui dicit confeſſario, ſe velle generaliter confiteri, teneatur omnia mortalia vitæ præteritæ alias abſoluta revelare?

Reſpondeo, Victor., & Ledeſm. putare, quod teneatur; quia aliter deciperet in re gravi confeſſarium, qui ſi tantum audiret ejus peccata levia, judicaret, eum caſte, & pie vixiſſe; unde non poſſet rite ejus conſcientiam dirigere. At Henr., Suar. Lug., &c. putant, hujuſmodi pœnitentem mentiri leviter, & non peccare graviter; quia mendacium illud non eſt contra Sacramentum pœnitentiæ; cum nihil omittat, quod ſit ſimpliciter de neceſsitate Sacramenti: nec ulli eſt graviter perniciosum; cum non teneatur pœnitens ad confeſsionem generalem, per quam dirigatur a confeſſario.

Hinc ſequitur, ut bene notat de Lugo, neque peccare graviter eum, qui habens duos confeſſarios, uni prius revelat ſolum mortalia, alteri deinde tantum venialia, dicendo ea ſolum perpetraſſe: imo ſi hoc mendacium non ſuperaddat, per ſe loquendo, ne venialiter quidem peccabit; quia velle conſervare bonam famam apud Confeſſarium ordinarium, non eſt hypocriſis: nec videtur ſaltem gravis inordinatio, præſertim in fœminis religioſis, ut docent Villalob., Henr., & alii, quos refert, & ſequitur Dian. part. 2. tract. 4. reſol. 86. Dixi tamen, per ſe loquendo; nam per accidens, ſi ſcilicet hoc eſſet cauſa relabendi ſæpius in eadem mortalia, ut ſæpe fit, hoc eſſet mortale: uti etiam ſi quis confiteatur peccata gravia confeſſario, qui parum illa ponderat, nec pœnitentem objurgat, ſed levem pœnitentiam imponit: Et idem dicas, ſi quis ſemper diverſis Confeſſoribus utatur; unde non poſſit per remedium Confeſsionis facile emendari; timendum enim eſt, quod hic careat ſufficienti dolore de peccatis.

VIII. Quæritur ultimo, an qui facit confeſsionem generalem, teneatur explicare, quænam ſint peccata mortalia commiſſa poſt ultimam confeſſionem?

Reſpondeo, de Lugo diſp. 16. ſect. 2. cum aliis putare, quod non teneatur; quia idem eſt omnino peccatum, quod confitetur, ſive ante, ſive poſt ultimam confeſsionem ſit commiſſum; niſi forte mutatio temporis afferat ſecum circumſtantiam ſpecie diverſam; ut ſi conjugatus confiteatur peccatum contra caſtitatem commiſſum ante conjugium; niſi enim explicetur tempus, facile confeſſarius apprehendet ſpeciem adulterii.

Verum Martinus Perez docet, iſtum teneri explicare mortalia poſt ultimam confeſſionem commiſſa; quia notabiliter variatur judicium confeſſarii, ſi ſciatur circumſtantia temporis, tum in cognoſcenda diſpoſitione pœnitentis, tum in applicanda medicina ſalutari, tum in imponenda prudenti pœnitentia, quæ minor debet eſſe de peccatis alias confeſſis, quam de non confeſſis. Quibus adde, eum, qui vult hoc pacto celare confeſſario conſuetudinem peccati, nec vult ab eo dirigi, facile carere ſufficienti dolore.

Utraque ſententia, ſpeculative loquendo, eſt probabilis; ſed practice videtur ſequenda ſententia Patris Perez; præſertim quia ſi quis confiteatur præſens peccatum ut antiquum, non confitetur peccatum præſens, quod fecit, ſed aliud, quod non fecit: unde ſacrilegam videtur facere confeſſionem.

AR-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

## ARTICULUS VI.

### De Peccatis Venialibus.

*I. Venialia ſunt materia ſufficiens, licet non neceſſaria Sacramenti Pœnitentiæ.*

*II. Quomodo poſſint remitti in hoc Sacramento, quamvis non poſſint retineri?*

*III. Non ſatis eſt, peccata venialia in genere explicare, nulla explicata ſpecie peccatorum, niſi in caſu neceſſitatis.*

*IV. Imperfectiones, quæ non pertingunt ad veniale, laudabiliter exponuntur, ſed non ſunt materia ſufficiens hujus Sacramenti.*

Certum eſt ex Trident. ſeſſ. 14. cap. 5., & canone 7., peccata venialia eſſe materiam remotam, ſufficientem quidem, non tamen neceſſariam hujus Sacramenti. Sunt quidem materia ſufficiens, quia vere remitti poſſunt; non ſunt materia neceſſaria, quia non cauſant naufragium animæ; Sacramentum autem pœnitentiæ tamquam ſecunda tabula eſt ſolum neceſſarium poſt naufragium: Unde Trident. loc. citat. habet: *Venialia quamvis recte, & utiliter in confeſſione dicantur, quod piorum hominum uſus demonſtrat; taceri tamen citra culpam, multiſque aliis remediis expiari poſſunt.*

II. Neque dicas, Chriſtum Dominum dediſſe Sacerdotibus poteſtatem remittendi ſimul ac retinendi peccata: ergo ſi Sacerdotes non poſſunt venialia retinere claudendo Cœlum habentibus illa, (cum poſſint alia via remitti extra Sacramentum) conſequenter non poterunt venialia remittere: unde non ſunt materia ſufficiens confeſſionis.

Nam verba illa, *Quorum remiſeritis, & retinueritis, &c.* intelligenda ſunt juxta capacitatem materiæ: Quare cum ſolum mortalia poſſint retineri; contra vero mortalia ſimul, & venialia poſsint remitti, ſequitur, quod magis late pateat verbum illud *remiſeritis*, quam illud *retinueritis*. Et ratio eſt, quia favor abſolutionis ampliandus eſt, nec debuere illo privari ii, qui parum peccaverunt; quamvis non debuerint comprehendi in retentione, quæ reſtringenda eſt ad eos, qui completam rationem peccati contraxerunt.

III. Quæritur hic primo, an valide, & licite fieri poſsit confeſsio ſolorum venialium, nullum exprimendo veniale in particulari, ſed dicendo, de omnibus venialibus vitæ præteritæ me accuſo.

Reſpondeo, quæſtionem hanc a Recentioribus duntaxat in medium vocari: Suarius diſp. 21. ſect. 1. cum Granad. cenſet ſpeculative loquendo probabile eſſe, quod valide fiat hujuſmodi confeſsio: Sicuti valide, & licite quis confitetur mortalia olim confeſſa, & abſoluta, nullum exprimendo mortale in particulari; eſto melius ſit, & ex Granad. conſulendum, ut ſemper aliquod peccatum in particulari declaretur. Ratio Patris Suarii eſt, tum quia ſi quis in articulo mortis tantum diceret, ſe peccaſſe venialiter, ſine dubio abſolvendus eſſet; tum etiam quia qui confitetur verba otioſa, & turpia, quod ſæpe fit, non magis manifeſtat conſcientiam ſuam, quam qui confitetur peccata venialia in genere, cum verba otioſa, & turpia ſæpe ſint diverſæ malitiæ moralis: ergo ſi ille valide abſolvitur, etiam hic.

Dicaſt. diſp. 1. dub. 9. putat, etiam practice loquendo, hujuſmodi ſententiam eſſe probabilem, atque adeo licere (quod Suarius negat) confiteri tantum venialia in genere. Ratio eſt,

quia idcirco requiritur confeſsio ſpecifica, & numerica mortalium, in quantum aliter non poſſet confeſſarius formare prudens judicium de iis, quæ ſunt materia neceſſaria judicii Sacramentalis; At peccata venialia non ſunt materia neceſſaria, ſed ſolum voluntaria; cum ſponte clavibus ſubjiciantur: ergo ſicuti in omnium ſententia poſſumus omittere numerum venialium, ita pariter poſſumus non explicare illorum ſpecies.

Sententia tamen Suarii videtur amplectenda, tum quia eſt contra praxim Eccleſiæ hujuſmodi confeſsio de ſolis venialibus in genere; tum etiam quia ſequeretur, ſatis eſſe dicere, *Peccavi*, ut poſſet quis recipere abſolutionem; quod eſt contra Eccleſiæ conſuetudinem; tum demum quia debet in confeſsione apponi materia certa, ſi poteſt apponi; peccatum autem veniale in genere non eſt materia certa: ergo non licite apponitur, ſed debet exprimi ſpecies alicujus venialis; Quod ſi aliquando exprimi non poſſet, tunc certe veniale in genere eſſet materia ſufficiens.

IV. Quæritur deinde, an imperfectiones (qualis eſt, verbi gratia, non correſpondere divinis inſpirationibus) ſint materia confeſsionis?

Reſpondeo, laudabile eſſe, illas in confeſsione aperire, tum ut abſolvatur culpa aliqua venialis, quæ ſæpiſſime tales imperfectiones comitatur; tum ut plenior habeatur a Confeſſario notitia pœnitentis, & ſic melius dirigatur. Cæterum, ſi culpa illæ omnino carerent, procul dubio non eſſent materia ſufficiens confeſſionis.

# QUÆSTIO III.

## De prima parte materiæ proximæ hujus Sacramenti, quæ eſt dolor.

CErtum eſt ex Trident., ad valorem Sacramenti pœnitentiæ requiri, ut conſtitutivum illius, dolorem de peccatis, cum propoſito non peccandi de cætero. Quoniam autem dolor vel eſt perfectus, & dicitur contritio, vel imperfectus, & dicitur Attritio, ideo de utroque ſeorſim agendum, inquirendo, Quinam dolor requiratur ad juſtificandum impium, tam extra, quam intra Sacramentum? Et quinam requiratur ad remiſſionem venialium? Ac demum de propoſito ad hoc Sacramentum requiſito multa inquiremus.

### ARTICULUS I.

### De Contritione perfecta.

*I. Perfecta contritio quid ſit?*
*II. Num debeat contritio amorem Dei includere, ut juſtificet?*
*III. An poſſit juſtificare contritio concepta ex alio motivo a Charitate, dummodo aliquod Attributum divinum attingat immediate?*
*IV. Num juſtificet amor Dei ſuper omnia, includens ſolum virtualiter dolorem peccatorum?*
*V. Num contritio juſtificans debeat eſſe dolor ſingulorum peccatorum in individuo?*
*VI. An peccator poſt peccatum commiſſum debeat ſtatim conteri?*
*VII. Quamdiu poſſit peccator citra novam culpam contritionem differre?*
*VIII. Num teneatur ad contritionem ante-*

*tequam annus elabatur, qui toto anno non habuit copiam Confeſſarii?*

I. QUæritur primo, Quid ſit contritio perfecta; & quodnam ejus motivum?

Reſpondeo, eſſe deteſtationem, ac dolorem de peccato commiſſo ſupra omne odibile, in quantum eſt offenſa Dei ſumme dilecti, cum propoſito non peccandi de cætero. In quo differt a contritione imperfecta, ſeu ab attritione, quæ eſt deteſtatio, ac dolor de peccato, vel propter timorem gehennæ, vel propter amorem gloriæ, vel propter turpitudinem ipſam peccati animam commaculantis, vel demum juxta probabiliſſimam opinionem, propter timorem mali temporalis, puta febris, ſuſpendii, &c. prout tamen a Deo culparum vindice infligendi, vel inflicti; ita ut ex hoc motivo dolor induat ſupernaturalitatem requiſitam, ad hoc ut attritio cum Sacramento juſtificet, ut dicemus articulo ſequenti.

Dixi, contritionem eſſe deteſtationem ſimul, ac dolorem, quia ſola deteſtatio, qualis eſt in Beatis ſine dolore de peccato non fert contritionem definitam a Trident. ſeſſ. 14. cap. 4.; Quamvis poſita cognitione de peccato trahente deteſtationem, non poſſit naturaliter in nobis non ſubſequi dolor.

Dixi etiam, ſupra omne odibile, non quidem intenſive, ſed appretiative, quatenus non debet homo cum ea maxima intenſione dolere, quam poteſt homo hic, & nunc exhibere, ut volebat Adrianus in 4. quæſt. 2. de Pœnitentia; Nec debet eſſe cum majori intenſione dolor de peccato, quam ſit dolor de aliis rebus, ut putabat Sotus; quia hæc maxima intenſio de dolore eſt difficillima, nec a Sanctis Patribus, aut Conciliis, vel Scripturis requiritur; neque ratione ſuadetur; quia major, vel minor intenſio eſt contritioni accidentalis, nec variat rationem formalem contritionis, quæ deſumitur ab objecto formali: Quare contritio debet eſſe dolor de peccato ſupra omne odibile appretiative; quia debet eſſe perfecta converſio ad Deum; Non eſt autem perfecta converſio ad Deum, niſi Deum appretiet, & præferat omnibus rebus, ut magis doleat de amiſſione Dei, quam alterius boni.

Neque dicas: Michææ 1. habetur: *Dole, quaſi parturiens*; Et in Euangelio dicitur: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde*: ergo ad contritionem requiritur intenſio maxima doloris de peccato, ac amoris erga Deum offenſum.

Nam reſpondeo, intenſionem doloris, & amoris quoad ejus fieri poteſt maximam nobis non præcipi, ſed de ea dari dumtaxat conſilium; & ſolum præcipi dolorem in ſpecie perfectiſſimum, ſcilicet ſupra omne odibile appretiative; non per comparationem formalem, ſed ſolum virtualem, ſeu cum tali adhæſione ſummo bono, ut ſi quodcumque aliud bonum creatum offerretur, ejus amiſſio præferretur amiſſioni ſummi boni. Quod proteſtabatur Apoſtolus per illa verba ad Romanos 8. *Quis nos ſeparabit a Charitate Chriſti, tribulatio, an anguſtia, an fames, an nuditas? &c. certus ſum, quia neque mors, neque vita, &c. poterit nos ſeparare a Charitate Dei.* Hæc autem prælatio Dei ad omnia creata etiamſi ſit remiſſiſſima, adhuc ſatis eſt ad deſtruendum peccatum; non ſecus ac peccatum, per quod creatura præfertur Deo, etiamſi ſit remiſſiſſimum, ſatis eſt ad deſtruendam omnem gratiam.

Hic autem prudenter advertunt Theologi, comparationem, & prælationem hanc Dei ad omnia creata non

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

non ſolum ſufficere, quod ſit virtualis tantum, & implicita, ſed etiam infirmioribus conſulendum, ut abſtineant ab explicita, & formali comparatione. Quare ſi peccatori ad peccata proniſſimo, dum conteritur, menti occurrat, Quid faceres in tali, vel tali occaſione infamiæ, aut mortis ſubeundæ ad vitandum peccatum? conſulendum eſt, quod reſpondeat, In gratia Dei fiderem, quod peccatum vitarem potius, quam infamiam, aut mortem; etiamſi firmiſſime credat, quod ſpectatis propriis viribus peccaret potius, quam cederet infamiæ, aut morti; hæc enim firma credulitas eſt ſolum actus intellectus, non voluntatis, & ideo non eſt actus demeritorius; Contra vero fiducia illa in Deo eſt actus voluntatis, & meritorius.

II. Quæritur ſecundo, An contritio, quæ eſt dolor de peccato, in quantum eſt offenſa Dei ſumme dilecti, debeat, præter dolorem, includere amorem Dei ſuper omnia, ut poſſit extra Sacramentum juſtificare?

Reſpondeo, & dico primo, dolorem de peccato ſine amore Dei ſuper omnia, ſive explicito, ſive ſaltem implicito incluſo in contritione, non eſſe ſufficientem ad juſtificandum extra Sacramentum. Ratio eſt, tum quia Deuteronomii 4. habetur: *Cum quæſieris Dominum Deum tuum, invenies eum, ſi tamen ex toto corde tuo quæſieris eum.* Ubi oſtenditur, quod dolor peccatorum debeat eſſe ex motivo nobiliſſimo, & proficiſci ex corde, quod totum feratur in Deum per amorem; ita ut qui dolet de peccato, doleat de illo propter malum, ſeu offenſam amati, non propter malum proprium; ſeu dolere debet de culpa, quia Deo diſplicuit, non quia ſibi nocuit: Tum etiam quia juſtificatio impii fert amicitiam cum Deo: ergo ultima diſpoſitio ad juſtificationem debet eſſe ex parte impii amor Dei: Cum enim non poſſit peccator reddere Deo condignam ſatisfactionem pro peccato commiſſo, par fuit, ut exigeret ab illo Deus tamquam diſpoſitionem ad amicitiam gratis illi dandam, perfectiſſimum actum, quem poteſt peccator elicere, ſcilicet dolorem perfectiſſimum, & amorem Dei ſuper omnia.

Dico ſecundo, probabilis eſt ſententia docens extra Sacramentum ad juſtificationem requiri amorem Dei ſuper omnia formalem, & explicitum: Quicquid ſit, an contritio ſit etiam amor Dei ſuper omnia formalis, ut putat Vaſq., an ſolum virtualis, ut putat Suarius?

Probatur, quia Scripturæ exigunt ad juſtificationem amorem Dei; præſertim Joan. 1. aperte habetur; *Qui non diligit, manet in morte:* At Scripturæ interpretandæ ſunt in proprio ſenſu, ſi commode fieri poteſt: ergo verus, & proprius, formalis, & explicitus actus amoris Dei requiritur ad juſtificationem, & non ſatis eſt amor virtualis incluſus in contritione: Sicuti cum exigitur ad ſalutem fides a Scripturis, exigitur fides formalis, non virtualis, quæ v. g. includitur in actu doloris ſupernaturalis, dum quis ſimul veniam petit a Deo, & juſtificationem ex ejus miſericordia expectat, ut oſtendimus in expoſitione primæ Theſis ab Alex. VII. proſcriptæ.

Dico ultimo; Non eſt improbabilis ſententia docens veram contritionem, continentem ſolum virtualiter amorem Dei ſuper omnia, juxta ſententiam Suarii, ſufficere ad juſtificationem.

Quod contritio contineat amorem Dei ſaltem virtualem, probatur facile; Nam per dolorem de offenſa Dei ſuper omne odibile peccator complacentiam habet de ipſo Deo, cujus offenſam, ac malum odit: ergo ſaltem virtualiter Deum amat.

Quod autem hujuſmodi amor virtualis incluſus in contritione ſine novo formalis amoris actu ſufficiat ad juſtificationem etiam extra Sacramentum, colligi videtur ex Scripturis: Nam Pſalm. 31. habetur: *Dixi, confitebor adverſum me injuſtitiam meam Domino, & tu remiſiſti, &c.*. Ezechiel. 3. *Si averterit ſe peccator ab injuſtitia ſua &c.* Et 2. Regum 22. Davidi dicenti, *Peccavi Domino*, reſpondetur, *Dominus quoque tranſtulit peccatum tuum:* ergo contritio ſine novo amoris actu ſatis eſt ad juſtificationem.

III. Dubium eſt, An ſit vera contritio ſufficiens ad juſtificationem illa, quæ concipitur ex motivo alterius virtutis a charitate, dummodo Deum reſpiciat? Verbi gratia, ſi quis ex motivo gratitudinis doleat de peccato, quatenus offenſa Dei Benefactoris; vel ex motivo obedientiæ doleat de peccato, ut offenſa Dei ſupremi Legislatoris; vel ex motivo religionis, aut juſtitiæ doleat de peccato, quatenus offenſa Dei ſumme adorabilis, & ſummum jus habentis, ne offendatur? Nonnulli apud Suar., & Lugo probabiliter affirmant: Communis tamen ſententia (a qua in re tanti momenti non eſt recedendum) docet veram contritionem eſſe ex ſolo motivo charitatis; ſcilicet, quia peccatum eſt offenſa Dei ſumme boni, & amabilis; in quo dolore virtualiter ſaltem amor includatur ratione talis motivi: Quod probatur tum ex Scripturis: Nam Joan. 3. habetur: *Qui non diligit, manet in morte:* Et 1. ad Corinth. 3. *Sine Charitate nihil ſum*: Tum ex ratione adducta, quia diſpoſitio ad amicitiam cum Deo debet congruenter eſſe amor Dei, juxta illud proloquium: *Vis ut ameris? Ama*. Practice tamen in dolore de offenſa irrogata Summo Benefactori ex motivo gratitudinis debitæ videtur includi ſaltem implicite aliquis amor erga talem Benefactorem. Idemque dicas de eo, qui dolet ex motivo aliorum Attributorum Dei.

IV. Quæritur tertio, An ſicut ad juſtificationem extra Sacramentum ſufficit contritio includens ſaltem virtualiter amorem Dei ſuper omnia, ita pariter ſufficiat ſolus amor Dei ſuper omnia includens virtualiter contritionem?

Reſpondeo, certum eſſe primo, in Sacramento pœnitentiæ requiri dolorem formalem, nec ſatis eſſe dilectionem Dei ſuper omnia ſine formali dolore ad illud recipiendum. Ratio eſt, quia ex Trident. dolor conſtituit Sacramentum pœnitentiæ, non ſecus ac ablutio Sacramentum Baptiſmi: ergo ſicut requiritur ablutio formalis, & vera, non virtualis, ac metaphorica ad Baptiſmum; ita ad Pœnitentiæ Sacramentum conſtituendum formalis pariter dolor requiritur.

Certum eſt ſecundo, ad juſtificationem extra Sacramentum requiri etiam aliquem dolorem de peccato commiſſo: Conſtat ex Trident. ſeſſ. 14. cap. 4. ubi poſt definitam contritionem ait: *Fuit autem omni tempore neceſſarius hic contritionis motus ad impetrandam veniam peccatorum*. Et conſtat etiam ex Scripturis: Nam Lucæ 13. habetur: *Niſi pœnitentiam egeritis, omnes ſimiliter peribitis*. Nec ſatis eſſe ad juſtificationem ſolum amorem ſine dolore, ſeu pœnitentia, expreſſius conſtat ex aliis Scripturæ locis. Nam Deuteronomii 4. habetur: *Cum quæſieris Dominum Deum tuum, invenies eum; ſi tamen ex toto corde tuo quæſieris eum, & ex tota perturbatione animæ tuæ*: ubi ly *ex toto corde* ſignificat perfectam dilectionem, & ly *ex tota perturbatione* denotat perfectam contritionem requiſitam ad juſtificationem.

Certum eſt tertio, in amore Dei ſuper omnia includi virtualiter dolorem

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

rem peccatorum ; non ſecus ac in perfecta contritione includitur ſaltem virtualiter dilectio Dei . Ideo enim in contritione continetur virtualiter amor Dei; tum quia qui odit offenſam, & malum alicujus, complacentiam quandam habet circa talem perſonam, & ſic virtualiter amat illam ; Tum etiam quia ex odio offenſæ erga aliquam perſonam facile trahitur amor illius ; Atqui eodem modo qui amat aliquem , habet diſplicentiam quandam de offenſa, & malo illius , & ex amore erga aliquam perſonam facile trahitur diſplicentia, & deteſtatio offenſæ illius ; præſertim ſi talis offenſa menti occurrat: ergo ſicut contritio perfecta eſt etiam amor Dei virtualis ; ita e converſo amor Dei formalis eſt virtualis contritio.

Dubium itaque eſt, Utrum contritio virtualis incluſa in amore Dei ſuper omnia ſufficiat ad juſtificationem extra Sacramentum ſine formali dolore peccatorum ?

Dico primo, probabile eſt non ſufficere . Probatur , quia in loco adducto Deuteronomii 4. quæri debet Deus, tum ex toto corde , tum etiam ex tota perturbatione animæ. Et Ezechiel. 18. habetur : *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis , vita vivet* . Unde ſequitur , quod vita non vivet, nec juſtificabitur ſine dolore . Quod autem dolor ab his Scripturis requiſitus debeat eſſe dolor formalis, & non ſatis ſit dolor virtualis incluſus in amore Dei ſuper omnia, oſtenditur ; quia Scripturis tribuendus eſt proprius ſenſus, cum commode poteſt; & ideo quando a Scripturis exigitur fides ad ſalutem, intelligendæ ſunt de fide formali, non virtuali ; ut ſupra diximus numero ſecundo.

Confirmatur, quia Auguſt. hæc habet: *Peccatores non poſſunt peccata ſua redimere , niſi dolorem ſenſerit animus, qui peccavit: hoc enim juſtum eſt, ut qui contra rationem gaviſus eſt, ſecundum rationem patiatur mœrorem*. Et ſane, ut docet Philoſophus 2. Ethic. 2., nemo peccat , niſi ut ſequatur voluptates, & fugiat triſtitias : omnis autem curatio facienda eſt naturaliter per contraria: ergo cum pœnitentia ſtatuta ſit a Deo , ut medicina peccati, debuit eſſe formaliter doloroſa, ut morbis mederetur.

Advertendum tamen hic eſt, quod ſi dilectio Dei ſit plena , & perfecta ſuper omnia, & occurrat menti peccatum commiſſum , connaturaliter ſubſequatur dolor. Unde peccator non tam debet eſſe ſolicitus de dolore formali, quam de perfectione amoris. Imo addo , quod ſi poſita dilectione Dei ſuper omnia , occurrat menti peccatum, & ſimul advertatur ad obligationem doloris formalis , impoſſibile eſt , quod dolor formalis non conſequatur ; quia impoſſibile eſt velle finem efficaciter , & nolle media neceſſaria : Atqui diligens Deum ſuper omnia vult efficaciter illi complacere ; ergo non poteſt illi diſplicere non ponendo dolorem peccati commiſſi , ad quem teneri habet advertentiam.

Dico ſecundo : Non eſt improbabilis etiam ſententia oppoſita ſuſtinens , quod qui recordatur peccati commiſſi, & diligit ſuper omnia Deum, juſtificetur etiam ſine contritione formali, ſi non advertat ad obligationem dolendi.

Probatur , quia videtur maxime congruere divinæ bonitati, ut cum omittitur dolor ſine culpa, tunc contentus ſit Deus amore perfecto , in quo dolor virtualiter continetur : Præſertim quia Deus Proverbiorum 8. dicit : *Ego diligentes me diligo*. Et in Euangelio: *Si quis diligit me, ad eum veniemus* ; Et 1. ad Timoth. 1. dicitur Charitas eſſe finis

præ-

præcepti, & vinculum perfectionis. Unde qui habet charitatem perfectam, videtur eſſe in ultimo ex mediis, quæ nobis præcipiuntur ad ſalutem: atque adeo videtur ſola dilectio ad juſtificationem ſufficere.

Confirmatur, quia propoſitio 32. Baii damnata dicebat, *Charitas illa, quæ eſt plenitudo legis, non ſemper eſt conjuncta cum remiſſione peccati.* Atqui charitas, quæ eſt plenitudo legis, non requirit dolorem in eo, qui memor peccati commiſſi non advertit ad obligationem dolendi: ergo charitas in tali caſu ſine dolore formali juſtificat. Quod ſi homo memor peccati putaret obligari ad dolendum, certe ſine dolore non juſtificaretur; quia non ſatisfaceret huic obligationi putatæ: Si tamen diligens Deum ſuper omnia non ſit memor peccati jam obliti, probabiliter per ſolam charitatem, ut diximus, juſtificaretur.

Dico ultimo, quamvis probabile ſit, ad juſtificationem ſufficere tam ſolam contritionem includentem virtualiter amorem Dei ſuper omnia, quam ſolum amorem includentem virtualiter contritionem; nihilominus expedit, ut peccator ad utrumque actum, amoris, & doloris, conetur; præſertim in mortis articulo. Ratio eſt, quia alterutrum ſufficere, ſpeculative tantum loquendo, eſt probabile, & peccator debet in eo præſertim articulo adhibere media certiſſima ad ſalutem, & non ſolum probabilia, & minus certa. Utrum autem ad hoc teneatur ſub mortali, conſtabit ex dicendis articulo ſequenti.

V. Quæritur quarto, an ad perfectam contritionem requiratur, ut homo de ſingulis peccatis in particulari doleat, ſicut debet in Sacramento ſingula peccata in particulari manifeſtare? Et an ſaltem ad perfectam contritionem requiratur, quod dolens poſt exactum examen memoriam habeat diſtinctam ſingulorum peccatorum, juxta ſententiam Cani, Soti, Medinæ, & aliorum?

Reſpondeo cum D. Th., & communi Doctorum negative. Debet quidem dolor eſſe de omnibus peccatis; ad quod ſufficit, ut peccator doleat ex motivo univerſali; quia ſcilicet peccatum eſt offenſa Dei ſumme boni; quo poſito, virtualiter omnia peccata deteſtatur; non debet tamen ſingula in particulari deteſtari; imo nec de ſingulis memoriam, aut recognitionem habere; cum hujuſmodi memoria nec exigatur neceſſitate præcepti, quod nuſquam extat; neque neceſſitate medii, quia aliter ſequeretur, quod ſi quis perfecte dolens de peccatis omnibus in confuſo ſtatim moreretur, ſalvari non poſſet.

Neque dicas, in Scriptura exigi omnium peccatorum recogitationem: Nam Iſaiæ 38. habetur: *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ:* Et Ezechiel. 18. *Si impius fecerit pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis, & fecerit judicium,* (ideſt examen, & inquiſitionem peccatorum) *vita vivet, & non morietur.*

Nam Vaſq. optime reſpondet, Iſaiam tantum velle, id fieri eſſe valde utile ad contritionem excitandam; non autem neceſſarium. Et Ezechielem velle, ut impius faciat judicium, ideſt recte judicet in cauſa proximi, vel ut reddat proximo, quod debet.

Oppones: Niſi contritio ſit dolor de ſingulis peccatis in particulari, ſequeretur, quod poſſet quis dolere de aliquo peccato ex motivo univerſali, quia ſcilicet peccatum eſt offenſa Dei ſumme dilecti, quin eatenus doleret de omnibus peccatis, & ſic per veram contritionem non juſtificaretur. Sequela eſt abſurda: ergo. Pro-

Probatur ſequela, quia univerſim poteſt quis amare objectum formale amore imperfecto, & ſic unum objectum materiale amare, non aliud: Verbi gratia, poteſt quis ex amore miſericordiæ miſereri uni pauperi, non alteri; & ex motivo juſtitiæ velle reſtituere decem, non centum; ergo poteſt pariter quis ex motivo Dei dilecti deteſtari unum peccatum, verbi gratia furti, non reliqua.

Reſpondeo, contritionem, ut ſit ſufficiens ad juſtificationem, debere eſſe de omnibus peccatis, non tamen in particulari, ſed ſaltem in confuſo. Quare ſi poſſet quis odio habere unum peccatum ex motivo univerſali, quia eſt offenſa Dei, quin ſimul virtualiter odio haberet omnia peccata, quæ ſunt pariter offenſa Dei; (ſicut poteſt quis ex motivo miſericordiæ univerſali miſereri uni pauperi, non alteri; & ſicut poteſt quis deteſtari mortale, quia eſt gravis offenſa Dei, quin ſimul virtualiter deteſtetur per talem actum peccata venialia) de quo diſputant Theologi, certe talis contritio, quæ non eſſet de omnibus peccatis commiſſis, non ſufficeret ad juſtificationem.

VI. Quæritur quinto, An peccator teneatur ſtatim poſt peccatum commiſſum elicere actum contritionis, vel attritionis cum Sacramento?

Affirmat Gulielmus Pariſienſis, & Argentina, tum ob auctoritatem ſcripturæ dicentis Eccleſiaſt. 5. *Ne tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem*: Et cap. 21. *Quaſi a facie colubri fuge peccatum*: a facie autem colubri ſtatim eſt fugiendum: Tum ob rationem; quia qui alteri intulit injuriam, tenetur ſtatim ſatisfacere, ſicut qui intulit alteri damnum, tenetur ſtatim illud reſarcire; ergo qui intulit Deo injuriam per peccatum, ſtatim debet ſatisfacere, & conteri.

Reſpondeo equidem cum communi Doctorum apud Lugo, e Con. negative. Ratio eſt, quia hæc obligatio ſtatim dolendi poſt peccatum nulla ſufficienti ratione probatur; & praxis Eccleſiæ videtur eſſe in contrarium; Nam cum aliquis confitetur, verbi gratia, blaſphemiam hebdomadæ, ſeu menſis, aut anni præteriti, quam diſtulit toto hoc tempore intermedio confiteri, unum peccatum dumtaxat ſolet reputari; ergo differre pœnitentiam per aliquod tempus non eſt novum peccatum: Quare D. Th. in 4. diſt. 17. quæſt. 3. art. 1. ait: *Non eſt de neceſſitate ſalutis corporalis, quod infirmus ſtatim medicum quærat, niſi quando neceſſitas curationis incumbit; ſimiliter eſt de morbo ſpirituali.*

Ad auctoritates Eccleſiaſtici in contrarium adductas reſpondeo, cap. 5. laudato Eccleſiaſticum inculcare acceleratationem pœnitentiæ ob periculum moriendi in ſtatu peccati; quamvis enim non ſit novum peccatum non ſtatim pœnitere, eſt tamen perſeverantia in priori peccato; perſeverare autem in ſtatu peccati eſt periculoſum. In cap. 31. Eccleſiaſticus non loquitur de peccato commiſſo, ſed committendo, a quo debemus fugere, & timere, ſicut a facie colubri.

Ad rationem in contrarium adductam nego univerſaliter antecedens; non enim eſt ſemper novum peccatum non reparare ſtatim injuriam, & damnum illatum, cum ſæpe differri poſſit per aliquod tempus; præſertim quando ex dilatione non ſequitur novum damnum; & a fortiori, quando per actionem injurioſam nullum de facto damnum eſt illatum: Verbi gratia, qui fruſtra conatus eſt alterius domum, vel ſegetes comburere, injuriam fecit alteri, ſed non intulit damnum, unde nec ad reſtitutionem tenetur, quamvis teneatur ad aliquam ſatisfactionem pro offenſa,

ſa, quam tamen non tenetur ſtatim poſt attentatum facinus exhibere; poteſt enim ſine nova culpa aliquantiſper ſatisfactionem debitam differre: eſto ſi damnum fuerit ſecutum, teneatur, ſtatim ac commode poteſt, illud reſarcire.

VII. Quæritur ſexto, quandonam peccator ad contritionem per ſe obligetur, ita ut illam omittere, ſit novum peccatum?

Antequam reſpondeam, explico terminos: Dicitur obligari per ſe, & directe peccator ad contritionem, quando ad illam obligatur præciſe, quia peccavit, nec poteſt aliter remiſſionem obtinere, ut accidebat in lege veteri: Dicitur vero per accidens, & indirecte obligari ad contritionem, quando per illam diſponi debet ad rite aliquod agendum, puta ad audiendas Confeſſiones, vel ad communionem, quando urget neceſſitas, nec eſt copia Confeſſarii: His poſitis

Directe nunc dico, peccatorem per ſe obligari ad contritionem in articulo mortis, ſi non adſit copia Confeſſarii; quia tunc tenemur facere, quantum in nobis eſt, ut reconciliemur cum Deo, ejuſque gratiam aſſequamur: Quod ſi adſit copia Confeſſarii, etiam in articulo mortis ſatis eſſe attritionem cum Sacramento, dicemus articulo ſequenti; quamvis ex præcepto charitatis requiratur in articulo mortis amor Dei ſuper omnia, ut noſtræ ſaluti cum omni morali ſecuritate per conjunctionem cum Deo perfectam conſulamus.

Extra mortis articulum, ſi non adſit copia Confeſſarii, etiam obligatur per ſe ad contritionem, qui diu perſeveravit in peccato. Ita Lug., Suar., & Recentiores communiter contra Durand., Adrian., & alios. Ratio eſt, quia qui longo tempore ſponte perſeverat in divina inimicitia, interpretative divinam amicitiam parvipendit, atque adeo graviter peccat. Unde dicit Coninck, eum peccare mortaliter, qui expreſſe & ſignate vult differre pœnitentiam uſque ad mortem. Quod ſi extra mortis articulum ſit copia Confeſſarii, quamvis non habeat obligationem contritionis, obligatur tamen ex præcepto Eccleſiæ ſingulis annis confiteri, & ex præcepto divino non differre diuturno tempore pœnitentiam.

Neque dicas, non poſſe aſſignari certum tempus, intra quod peccator ad pœnitentiam teneatur: ergo non tenetur, niſi in articulo mortis.

Nam, conceſſo antecedente, nego conſequentiam; commune enim eſt multis rebus, quæ pendent ex æſtimatione morali, ut non poſſit aſſignari certa, & determinata menſura rei, vel temporis. Unde Innoc. XI. ſolum damnavit quintam propoſitionem, quæ dicit: *An peccet mortaliter, qui actum dilectionis Dei ſemel tantum in vita eliceret, condemnare non audemus:* Et propoſitionem ſextam, quæ dicit: *Probabile eſt, ne ſingulis quidem rigoroſe quinquenniis per ſe obligare præceptum charitatis:* Nec non ultimam, ubi dicitur: *Satis eſt ſemel in vita credidiſſe myſteria fidei.* Nec ſtatuit Pontifex, quo tempore teneamur hos actus elicere; quia non eſt facile illud ſtatuere: Multi enim apud Suar. putabant, quod ſingulis diebus feſtis; multi, quod bis in anno; alii, quod ſingulis annis; ſed certe prudentis arbitrio decernendum eſt, ſpectata conditione hominum, ut fuſius diximus in expoſitione primæ theſis ab Alexandro VII. proſcriptæ.

VIII. Quæritur ſeptimo, An peccator, qui non poteſt aliquo anno ex defectu confeſſarii confiteri, teneatur ad contritionem, antequam annus elabatur?

Affirmat Dominicus Soto in 4. diſt.



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

15.q.2., quia præceptum pœnitendi divinum, quod ex ſe indeterminatum eſt, jam ab Eccleſia eſt determinatum ad ſingulos annos; Quare ſi nequeat peccator ex defectu Confeſſarii illam pœnitentiam agere, quæ ab Eccleſia præcipitur, videlicet ſuſcipiendo Sacramentum, tenebitur agere illam, quando poteſt, ſcilicet eliciendo actum contritionis, juxta regulam illam; *Qui non poteſt quantum debet, ſolvat quantum poteſt*; & illam aliam; *Qui non poteſt totum, reddat partem, quam poteſt*.

Reſpondeo equidem cum Con., & aliis communiter negative: falſum eſt enim, quod Eccleſia determinarit tempus illud indeterminatum pœnitendi in genere, ad quod obligamur ex divino præcepto: Solum enim determinavit tempus confitendi indeterminatum; cum autem in tali caſu ſit impoſſibilis confeſſio, non videtur peccator teneri ad contritionem: Et ratio ulterior eſt, quia cum conteri ſit aliquod mere internum, non cadit ſub præceptum Eccleſiæ, neque ratione ſui, & directe, ut patet, neque ratione alterius, & indirecte, hoc eſt ratione Sacramenti; quia cum ſatis ſit attritio ad Sacramentum ſuſcipiendum, jam contritio non eſt aliquid, ſine quo nequeat valide, aut licite ſuſcipi Sacramentum confeſſionis, atque adeo non poteſt cadere in tali caſu ſub præceptum Eccleſiæ indirecte: Sicut e contra cadit, quando quis memor peccati mortalis, & non habens copiam confeſſarii, debet aliquod Sacramentum ſuſcipere, aut adminiſtrare. Præterquamquod in caſu adducto non poteſt Sacramentum confeſſionis ſuſcipi; ergo non poteſt indirecte, ſeu ratione Sacramenti præcipi ab Eccleſia contritio, quæ eſt actus mere internus. Verum quidem eſt, quod præceptum divinum contritionis obliget peccatores ad non differendam diu, & uſque ad mortem pœnitentiam: Hinc tamen non fit, quod impotens aliquo anno ſuſcipere Sacramentum Pœnitentiæ teneatur ſaltem conteri, quia, ut modo diximus, præceptum illud divinum, ſpectata diverſa hominum conditione, diverſimode obligat ad citius, vel ſerius eliciendam contritionem poſt mortale aliquod patratum.

Ad regulas adductas, *Qui non poteſt quantum debet, ſolvat quantum poteſt*; &c. Reſpondeo, eas valere, quando totum, & partes ſunt homogenea, ſeu ejuſdem rationis, & differunt ſolum ſecundum magis, & minus, non vero quando ſunt heterogenea, & diſſimilia, ut explicatur in materia de voto. Do exemplum primi caſus in jejunio, & ſecundi in peregrinatione: Si quis ex voto teneatur jejunare quindecim dies, nec poteſt niſi decem, ex regulis traditis tenetur ad hæc decem jejunia, quia cum res debita ſit jejunium, ſive ponat decem, ſive quindecim, ſemper ponit jejunium, adeoque rem debitam; Etenim quindecim jejunia a decem ſolum differunt, quod illa ſint plura, quam iſta. Contra vero, ſi quis ex voto teneatur peregrinationis cauſa Romam contendere, & non poſſit niſi Cajetam uſque ire (quia, verbi gratia, ſcit in reliquo itinere parari ſibi inſidias) certe non tenetur ire Cajetam, nec militant regulæ adductæ, *Qui non poteſt totum* &c.. Et ratio eſt; quia ire Cajetam non eſt peregrinatio Romana, quam vovit, quamvis ſit pars itineris, quo itur Romam: Eodem pacto, licet contritio eſſet pars neceſſaria Confeſſionis Sacramentalis, non eſt tamen confeſſio; adeoque ſi peccator conteratur, recte quidem facit, nullo tamen pacto implet præceptum Eccleſiaſticum Confeſſionis Sacramentalis, quod in tali circumſtantia non tenetur imple-

re,

re, cum nemo ad impoſſibile teneatur.

## ARTICULUS II.

### De Attritione Supernaturali.

*I. Quodnam debeat eſſe motivum Attritionis ſupernaturalis!*

*II. Num poſſit eſſe Supernaturalis attritio, ſi moveatur ex motivo pœnarum temporalium?*

*III. Num ſufficiat in Sacramento Attritio naturalis, vel quæ ſit putata ſupernaturalis?*

*IV. Quomodo poſſit dici actus honeſtus Attritio, quæ ſit deteſtatio culpæ ex motivo pœnarum?*

*V. Qui odit culpam propter pœnam, nonne magis odit pœnam, quam culpam?*

*VI. Num attritio ex motivo gehennæ ſit peccati deteſtatio ſuper omnia?*

*VII. Certumne ſit Attritionem cum Sacramento Pœnitentiæ juſtificare?*

*VIII. Utrum in articulo mortis Confeſſioni præmitti debeat Contritio?*

*IX. Ex eo, quod in Sacramentis conferendis non liceat ſequi opinionem probabilem de eorum valore, omiſſa tutiore, non ſequitur debere confeſſioni præmittere contritionem. Nec ſequitur, quod non poſſit conferri abſolutio cum juriſdictione ſolum probabili.*

*X. Quonam pacto dicatur homo in Sacramento ex Attrito fieri Contritus?*

I. EX iis, quæ diximus in expoſitione theſis quinquageſimæ ſeptimæ ab Innoc. XI. proſcriptæ conſtat, ad valide, ac fructuoſe ſuſcipiendum Sacramentum Pœnitentiæ ſufficere Attritionem naturalem, hoc eſt quæ moveatur a motivo cognito lumine naturali, ut ſi quis doleat de furto commiſſo propter ſuſpendium; Quare hic ſolum inquirimus de Attritione ſupernaturali.

Quæritur autem primo; Quid ſit attritio, & unde moveatur?

Reſpondeo, Attritionem definiri a Trident., quod ſit dolor de peccato, vel ex turpitudinis peccati conſideratione, vel ex gehennæ, & pænarum metu conceptus.

Dices, non ſufficienter a Trident. motiva attritionis aſſignari; Primo, quia poteſt quis atteri etiam ex deſiderio gloriæ. Secundo, quia eſto gehenna, ſeu pœna æterna, utpote lumine fidei cognita, ſit motivum attritionis ſupernaturalis; pœnæ tamen temporales non videntur poſſe eſſe motivum attritionis; quia nobis objiciuntur lumine naturali, non fidei; Unde actus attritionis ex metu pœnarum temporalium conceptus non eſt ſupernaturalis, ſicut requiritur, ut poſſit cum Sacramento juſtificare: Ergo dum dicit Trident. ex gehennæ, & pœnarum metu, verbum illud Pœnarum, eſt ſuperfluum.

Reſpondeo, nego antecedens. Ad primum dico, attritionem differre a contritione per hoc quod iſta deteſtatur peccatum ut malum Dei, & quia illi diſplicet; attritio vero deteſtatur ut malum proprium peccatoris, & quia ſibi nocet. Unde merito attritio dicitur etiam contritio imperfecta, quia non attingit ſummam peccati odibilitatem, quam poteſt, quæ eſt contrarietas cum divina bonitate, quam lædit: Deteſtatio enim eo eſt imperfectior, quominus attingit odibilitatem objecti; ſicut amor eo eſt imperfectior, quominus attingit amabilitatem ſui objecti: Quare ſicut in corporalibus dicuntur attrita, quæ aliquo modo diminuta ſunt; contrita vero dicuntur, quæ in particulas minutiſſimas ſunt comminuta; ita cor dicitur per motiva attritionis ſolum atteri, & imperfecte conteri. Quia tamen

men motivum attritionis, ut diximus, eſt peccatum, inquantum eſt malum peccatoris, & peccatum dupliciter eſt malum peccatoris; Primo formaliter, inquantum illum deturpat, & fœdat; Secundo cauſaliter, inquantum cauſat illi pœnas: idcirco duplex a Trident. aſſignatur motivum attritionis. Primo fœditas ipſa peccati, Secundo pœna. Et quia pœna, quæ per peccatum infligitur, eſt amiſſio boni æterni, gehenna, & pœna temporalis, ideo ex Lugo, Suar., & aliis habetur veriſſima attritio, tam ex timore amiſſionis gloriæ, ſeu ex deſiderio gloriæ, quam ex timore gehennæ; & utrumque motivum a Trident. comprehenditur ſub timore gehennæ, quia gehenna per pœnam damni privat gloria æterna.

II. Ad ſecundum; quando Trident. addit verbum illud *Pœnarum*, ſignificat, quod habeatur veriſſima attritio ſupernaturalis etiam per timorem pœnarum temporalium, ut ſentiunt Suar., aliique communiter contra Vaſq., qui videtur ſemper exigere motivum aliquod æternum ad attritionem. Probatur, quia Trident. adducit exemplum Ninivitarum, qui ad Jonæ prædicationem pœnitentiam egerunt, timentes ſolum pœnam temporalem, ſcilicet excidium civitatis: ergo dolor etiam ex pænarum temporalium metu conceptus ex Trident. ſatis eſt ad veram attritionem.

Verum quidem eſt, pænas temporales objici nobis lumine naturæ, ut infligendas a creaturis, puta ſuſpendium a judice; at objiciuntur nobis lumine fidei pœnæ temporales, inquantum infligendæ a Deo, & inquantum indicant ejus iram, quæ puniendo in hac vita dat peccatori inchoamentum ſupplicii æterni. Unde ſub hoc motivo pœnæ temporales cauſant attritionem ſupernaturalem; quæ, ut advertit Lugo diſp. 5., Valent., aliique, reſpectum debet habere ad Deum, ut poſſit cum Sacramento juſtificare; cum enim peccatum ſit averſio a Deo, diſpoſitio ad reconciliationem debet eſſe converſio ad Deum. Unde qui atteritur attritione diſpoſitiva ad reconciliationem in Sacramento, debet reſpicere tamquam motivum doloris ipſum Deum, atque adeo dolor oriri debet ex timore pœnarum, ut a Deo infligendarum, ſeu ex timore omnipotentiæ divinæ, quæ poteſt nos juxta noſtrum demeritum punire. Et ſane ſicuti ſpe ſupernaturali ſperamus a Deo non ſolum gloriam, ſed etiam bona temporalia; ita timore ſupernaturali timere poſſumus ab Omnipotentia Vindice non ſolum pœnas æternas, ſed etiam temporales, ſcilicet deformitatem animæ, amiſſionem meritorum antecedentium, lapſum facilem in novas culpas, conſcientiæ turbationem, pænas purgatorii, & pœnas hujus vitæ corporales.

III. Quæritur ſecundo, Utrum attritio diſponens in Sacramento ad juſtificationem poſſit eſse vel naturalis, vel ſupernaturalis putata, an vero debeat eſſe vere ſupernaturalis?

Reſpondeo, ab Innoc. XI. damnatam eſſe propoſitionem 57. quæ habet: *Probabile eſt ad Sacramentum pœnitentiæ ſufficere attritionem naturalem, modo honeſtam*. Et ratio eſt, quia in eodem genere debet eſſe diſpoſitio, & forma, cum diſpoſitio habilitet ſubjectum ad recipiendam formam; ergo ſi gratia eſt ſupernaturalis, debet pariter eſſe ſupernaturalis attritio diſponens ad illam. Unde Trident. ſeſſ. 14. c. 4. appellat illam Donum Dei, & Spiritus Sancti impulſum. Et ſeſſ. 6. cap. 5., & can. 3. dicit eam fieri per gratiam adjuvantem, & excitantem, ac per prævenientem Spiritus Sancti inſpirationem; Atqui omnes actus, qui fiunt hoc modo, ſunt ſuper-

per-

pernaturales ſimpliciter, & quoad ſubſtantiam; alioquin non eſſet, cur diceremus, actus fidei, ſpei, & charitatis eſſe ſupernaturales quoad ſubſtantiam, licet nequeant fieri ſine ſpeciali auxilio, & adjutorio Spiritus Sancti; ergo attritio diſponens ad juſtificationem in Sacramento debet eſſe ſupernaturalis. Quod fuſius explicavimus in expoſitione hujus theſis profligatæ.

Hinc ſequitur, erraſſe Canum, cum dixit ſufficere ad juſtificandum attritionem ſolum putatam ſupernaturalem: hæc enim non eſt ex adjutorio, & impulſu Spiritus Sancti, ſicut debet eſſe ex Trident.: ergo ſola attritio vera ſupernaturalis diſponit in Sacramento ad juſtificationem. Aliqui apud Machado exiſtimarunt, attritionem naturalem ſufficere ad valorem Sacramenti, non vero ad ejus fructum: Unde ex illa putarunt fieri Sacramentum validum, & informe: Alii vero cum Soto, Cano, Hurtado, Valent. apud Leand. de pœnitentia putarunt, attritionem naturalem ſufficere etiam ad fructum Sacramenti. Dubium eſt num utraque hæc ſententia damnata ſit ab Innoc. XI. an ſolum ſecunda. Equidem puto cum Lumbier, quod utraque; atque adeo attritio vere ſupernaturalis requiritur non ſolum ad fructum, ſed etiam ad valorem Sacramenti pænitentiæ.

Eſt autem attritio vere ſupernaturalis, ſi habeat pro motivo Deum, inquantum cognitum lumine ſupernaturali; verbi gratia, ſi quis, ut diximus, doleat de peccato ex metu pænarum, ut infligendarum a Deo peccati vindice. Unde fit, ut ipſa conſideratio turpitudinis peccati tunc ſolum cauſet attritionem ſupernaturalem, quando turpitudo peccati conſideratur cum reſpectu ad Deum per oppoſitionem, quam dicit peccatum cum aliqua Dei excellentia, verbi gratia cum reverentia, gratitudine, obedientia, juſtitia illi debita; vel ſi conſideratur peccatum ut oppoſitum virtutibus ſupernis, quibus dumtaxat conſequi poſſumus vitam æternam, quæ lumine ſuperno attingitur. Quod ſi fœditas peccati non conſideretur cum reſpectu ad Deum, ſed tantum per difformitatem, quam habet ad rectam rationem, & ad convictum humanum; quia hæc conſideratio non exigit lumen ſupernaturale, non cauſat attritionem ſupernaturalem, ut advertunt Lugo diſp. 5. num. 142., Valent., aliique.

IV. Quæritur tertio, quomodo Attritio, quæ eſt deteſtatio peccati ex motivo gehennæ, & pœnarum, ſit actus honeſtus?

Reſpondeo, Bajum, Janſenium, eorumque aſſeclas damnare ut vitioſam deteſtationem peccati ex metu pœnarum, eo quod videatur talis deteſtatio magis abhorrere pœnas, quam culpam; propter quod enim unumquodque tale, & illud magis. Catholici autem omnes eam ut honeſtam commendant; cum Trident. ſeſſ. 14. cap. 4. appellet illam Donum Dei, & Spiritus Sancti impulſum; & Scripturæ ſæpe hunc timorem ſuadeant, ut Lucæ 12. *Timete eum, qui poſtquam occiderit corpus, poteſtatem habet mittere in gehennam*. Et ratione probatur, quia ſi timere pænas, & propter illas culpam fugere, eſſet vitium, jam malum eſset pænas imponere, cum idcirco imponantur pænæ, ut terreant, & terrore ſuo retrahant a culpis. Quomodo enim impoſitio pænæ eſset honeſta, ſi ejus finis eſset pravus? finis enim pænæ eſt timor, qui per adverſarios eſt pravus. Præterea pænæ ſunt ex ſe juxta rationem naturalem timendæ; ergo juxta rationem naturalem, atque adeo honeſte timeri poſsunt, & timor hic ordinari poteſt ad finem bonum, ſcilicet

ad

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ad culpam fugiendam, & deteſtandam.

Dices primo: Inhoneſte operatur, qui ordinat majus bonum ad minus; ſed qui deteſtatur culpam propter timorem pœnæ, ordinat carentiam culpæ, quæ eſt majus bonum, ad carentiam pœnæ, quæ eſt minus; ergo inhoneſte operatur.

Reſpondeo, diſtinguo majorem, ſi majus bonum ultimate ordinatur in bonum minus, concedo; ſi non ultimate, nego majorem; & omiſſa minore, nego conſequentiam. Chriſtus Dominus non inhoneſte operatur ordinando ſua merita, quæ ſunt bonum majus, in noſtram ſalutem: nec nos inhoneſte operamur, ordinando Sacrificium Miſſæ ad obtinendum bonum temporale; quia hoc ipſum ordinatur ultimate ad divinam gloriam, quæ eſt bonum maximum. Ita qui deteſtatur culpam propter pœnam, ordinat quidem immediate, & proxime carentiam culpæ ad carentiam pœnæ; vult enim carere culpa, quia vult carere pœna; ſed hoc ultimate eſt referibile in gloriam divinam, & virtualiter refertur in Deum tamquam in ultimum finem.

V. Dices ſecundo: qui deteſtatur culpas propter pœnas, plus odit pœnas, quam culpas, *Propter quod enim unumquodque tale, & illud magis*. Sic qui odit filium propter patrem, plus odit patrem, quam filium: ſed odiſſe plus pœnas, quam culpas iniquum eſt, & præpoſterum; ergo attritio non eſt actus honeſtus.

Confirmatur; nam qui odit peccatum ob metum gehennæ, videtur eſſe cum ea animi præparatione, & affectu conditionato, ut ſi non daretur gehenna, non odiſſet peccatum, quod certe iniquum eſt.

Reſpondeo, in peccato duplicem reperiri malitiam, & odibilitatem, alteram ex eo, quod ſit injuria Dei, alteram ex eo, quod ſit inductiva pœnarum; Prior malitia eſt longe major, & non poſtponibilis ſecundæ; Poteſt tamen quis attingere ſecundam ſine obligatione attingendi primam; quia ſicut in actibus intellectus *Præſcindentium non eſt mendacium*, ita in actibus voluntatis *Præſcindentium non eſt malitia*. Itaque qui ex motivo pœnarum odit culpam, odit quidem per hunc actum magis pœnas, quam culpam; ſed poteſt per alium actum attingentem odibilitatem, quam habet culpa, inquantum eſt injuria Dei, magis odiſſe culpam, quam pœnas: ſic qui odit filium propter inurbanitatem patris, odit quidem hoc actu magis patrem, quam filium; ſed poteſt alio actu odiſſe magis filium, quam patrem, ſi attingeret, verbi gratia, filium ut homicidam. Hinc fit, nullam haberi deordinationem in deteſtanda culpa propter pœnam, ita ut per hunc actum magis pœna, quam culpa odio habeatur, quandoquidem poteſt culpa odio haberi magis, quam pœna, ſi attingatur odibilitas culpæ, inquantum eſt injuria Dei, a quo motivo hic, & nunc præſcinditur ſine ulla culpa; eo quod præſcindentium non eſt malitia.

Ad confirmationem, nego antecedens: ſicuti quando David dicebat in Pſalmo 112. *Inclinavi cor meum ad faciendas juſtificationes tuas in æternum propter retributionem*, non erat David cum ea præparatione animi, & affectu conditionato, ut nollet ſervare legem Dei, niſi conſequeretur retributio; ſed ſolum hoc motivo adjuvabatur ad id, quod cæteroqui etiam vellet, ſi tale motivum non adeſſet: ita in caſu noſtro. Quæ omnia fuſius elucidantur in expoſitione decimæ quartæ, ac decimæ quintæ theſis ab Alex. VIII. confixæ.

VI. Quæritur quarto, an attritio ex motivo gehennæ, & turpitudinis pecca-

ca-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

cati ſit deteſtatio peccati ſuper omnia?

Reſpondeo, attritionem ex motivo gehennæ non eſſe ſuper omnia; quia ex vi hujus actus non poteſt pœnitens habere affectum ſubeundi potius pœnas, quam carendi culpa, cum ratione hujus actus magis pœnas, quam culpam deteſtetur. Unde hic actus, licet ſit honeſtus, ut diximus, quatenus ordinat ad deteſtationem peccati medium ordinatum a Deo ad talem deteſtationem, non eſt tamen actus perfectiſſimus: Contra vero qui illuſtratus lumine ſuperno odit peccatum ob ejus turpitudinem, odit peccatum ſuper omnia, quia malum culpæ excedit omne aliud malum: ergo vi hujus motivi deteſtatio peccati eſt ſuper omnia; quamvis non habeatur formalis, ſed virtualis tantum comparatio peccati cum aliis malis pœnarum.

VII. Quæritur quinto, Certumne ſit attritionem cum Sacramento pœnitentiæ juſtificare?

Reſpondeo cum Lugo, Salas, Perez, aliiſque, eſſe id moraliter certum poſt Trident. ſeſſ. 14. cap. 4., ubi loquens de attritione, hæc habet: *Quamvis ſine Sacramento pœnitentiæ ad juſtificationem perducere peccatorem nequeat, tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento pœnitentiæ impetrandam diſponit.* Non loquitur autem Concilium de diſpoſitione remota ad gratiam impetrandam, cum etiam extra Sacramentum habeat attritio talem diſpoſitionem: ergo loquitur de diſpoſitione proxima; atque adeo ex verbis Tridentini ſi minus de fide, certum tamen moraliter eſt, attritionem cum Sacramento ſatis eſſe ad juſtificationem. Quod etiam patet ex inſtitutione hujus Sacramenti, quippe quod eſt Sacramentum mortuorum, & non vivorum, ſi autem deberet ſemper præſupponi contritio, nunquam per Sacramentum pœnitentiæ conferretur vita, & nunquam Sacerdos remitteret, ſed ſupponeret peccata per contritionem remiſſa. Præterquamquod Sacramentum pœnitentiæ in lege gratiæ novum onus adderet ſine ſpeciali prærogativa, (quam certe tribuit) ſi tantum exigat a nobis attritionem facilem, non contritionem, quæ maxime difficilis eſt.

Non nego, plures Doctores ante Trident., imo aliquos poſt Trident. aſſerere, attritionem non eſſe ſufficientem ad juſtificandum cum Sacramento. Verum hæc opinio poſt Trident., tamquam improbabilis, rejicitur communiſſime, ut conſtat ex iis, quæ fuſe dixi in Trutina Theologica in expoſitione 14., & 15. theſis ab Alex. VIII. confixæ. Fuit quidem opinio probabilis ante Trident. ſuffulta auctoritate magnorum virorum, ſed poſt Trident. omnem probabilitatem amiſit; ſicut plures opiniones, quæ quondam probabiles fuerunt, poſtquam a Pontificibus damnatæ ſunt, probabilitatem omnem exuerunt.

VIII. Quæritur ſexto; Num in articulo mortis teneamur ob majorem ſecuritatem, & ne exponamur periculo damnationis, excitare nos ad contritionem ante ſuſceptionem Sacramenti, an ſatis ſit attritio, etiam cognita ut talis? Ubi etiam quæritur, utrum poſtquam damnata eſt prima propoſitio ab Innoc. XI. dicens, non eſſe illicitum in Sacramentis conferendis ſequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore, teneamur nunc practice ſequi ſententiam tutiorem aſſerentem, requiri ad Sacramentum pœnitentiæ contritionem?

Reſpondeo cum Lug., Laym., Perez, Becan., Fagund., Turrian., aliiſque contra Suar. diſp. 15. ſect. 4 num. 19., ne in articulo quidem mortis obligari nos ad præmittendam contritionem Sacramento pœnitentiæ. Et ratio eſt, quia præcepta hominibus im-

poſita non obligant, niſi humano modo, & juxta hominum conditionem; non ad diligentiam metaphyſicam, & exquiſitiſſimam, ſed ad humanam, & moralem; aliter eſſent intolerabilia, & ſupra vires humanas, & nunquam ita ſatisfactum eſſet, ut non ſupereſſet nova diligentia adhibenda: Quare etiam in negotio æternæ ſalutis ſatis eſt adhibere ea media, in quibus nullum eſt periculum morale, & probabile, etiamſi ſubſit dubium aliquod, & periculum valde remotum; Alioquin qui peccavit, teneretur ſtatim conteri de peccato, quia dubium aliquod eſt, an ſit repente moriturus; Nec poſſet quis eſſe contentus elicuiſſe ſemel actum contritionis, & ſemel confeſſum eſſe; nam cum ſit incertum, an contritio, & confeſſio fuerint valida, deberent iterum, atque iterum repeti; Deberet etiam homo procurare iterationem Baptiſmi ſub conditione, ſi forte primus fuit invalidus; Quæ tamen ſunt abſurda, & onus hominibus intolerabile: Cum ergo ſententia putans, attritionem ſufficere in Sacramento ad juſtificandum, ſit moraliter certa, nec ullum ſit prudens dubium, aut periculum probabile de ejus falſitate, ſatis, ſuperque præcepto aſſecurandi ſalutem æternam ſatisfacimus per attritionem in Sacramento etiam in articulo mortis. Urget certe in articulo mortis obligatio ponendi actus amoris Dei ſuper omnia, ratione cujus peccator juſtificatur; Hoc autem poſito, nullatenus teneretur deinde contritionem Sacramento pœnitentiæ præmittere, quia adhibendo attritionem poſt præmiſſum actum amoris Dei, adhibetur medium ad ſalutem, in quo nullum eſt probabile periculum: Immo id etiam probabiliter verum eſt, quamvis poſt præmiſſum actum amoris Dei, moribundus iterum peccaret, & peccatum clavibus ſubjiceret. At in tali caſu ad ſecuritatem ſalutis æternæ actus amoris Dei repetendus eſſet.

Hinc patet, a fortiori licere extra mortis articulum præmittere attritionem Sacramento pœnitentiæ, etiam poſt primam illam propoſitionem damnatam ab Innoc. XI., quia in tali caſu non ſequimur, relicta tutiore, opinionem probabilem, ſed moraliter certam, atque adeo tutam, quod non eſt prohibitum;

IX. Nonnemo dixit, ab Innoc. XI. ſolum damnari, quod liceat ſequi opinionem probabilem, omiſſa tutiore in conferendis Sacramentis; atque adeo in iis ſolum, quæ pertinent ad Miniſtrum conferentem Sacramenta, non vero in iis, quæ pertinent ad ſuſcipiendum illa, ut eſt attritio.

Sed merito rejicitur a Lumbier Obſervat. 15. §. 4., quia attendendus eſt ſcopus prohibitionis, quæ vult vitare periculum fruſtrandi Sacramenta; atque adeo tam comprehendit, quæ pertinent ad Miniſtrum conferentem, quam quæ pertinent ad ſuſcipientem Sacramenta. Advertit tamen idem Lumbier obſervat. 3. §. 5. diſtinguenda eſſe duo genera opinionis tutioris: Alterum eſt tutioris in executione, & relate ad conſequendum effectum: Alterum vero tutioris in genere doctrinæ; Verbi gratia, ſtatus anachoreticus dicitur tutior in ordine ad conſequendam ſalutem æternam, non tamen eſt tutius docere nos obligatos eſſe ad talem ſtatum; Sic etiam tutius eſt iterare Baptiſmum ſub conditione, ſi forte prior fuerit invalidus; tutius etiam eſt in executione iterare contritionem ſingulis momentis, &c., ſed hæc non ſunt tutiora in genere doctrinæ, quia ſi doceamus, eſſe obligatos homines ad hanc iterationem, innumeris anxietatibus, & oneri intolerabili ſubderentur; quod in deſperationem illos vocaret; Idem dicit in caſu de attritione, & aliis ſimi-

milibus ; tutius quidem eſt in ordine ad Sacramentum non fruſtrandum adhibere contritionem , ſed non eſt tutius in genere doctrinæ docere , homines obligatos eſſe ad illam præmittendam Sacramento pœnitentiæ . Eodem modo diſcurri poteſt , dum quæritur , An poſita damnatione illius propoſitionis , teneamur de ſingulis peccatis explicite dolere , ut ſentit Vivaldus ? An teneamur habere propoſitum formale ? An teneamur immediate ante abſolutionem elicere dolorem , ut habeatur major propinquitas moralis inter partes eſſentiales Sacramenti ? An dolor procedere debeat ex intentione confeſſionis ? An teneamur attritioni addere aliquem amorem Dei ? Quod paucis abhinc annis adeo pugnaciter controverſum fuit , ut Alex. VII. Bullam hac de re expedierit die 5. Maji *1667.* , in qua præcipit , ne quis de hoc puncto agens contrariam ſententiam cenſurare audeat : Quæ , & his ſimilia procul dubio tutiora ſunt in executione , non vero in genere doctrinæ , ut explicavimus . Quinam autem ſit amor Dei initialis , qui in Attritione ſupernaturali includitur , fuſe oſtendimus in expoſitione theſis 15. confixæ ab Alex. VIII. , ubi oſtendimus , ſine ullo amore Dei formali Attritionem eſſe honeſtam , & ſupernaturalem .

Ex hac etiam doctrina infertur , licite poſſe Sacerdotem cum juriſdictione ſolum probabili abſolvere ; atque adeo ſimplicem Sacerdotem in articulo mortis , etiam præſente Parocho , abſolvere poſse ab omnibus peccatis , & cenſuris moribundum ; quia hæc opinio eſt tuta , imo tutior in genere doctrinæ , quamvis oppoſita ſententia ſit tutior in executione , ut explicavimus in Trutina exponendo eam theſim . Innoc. autem XI. damnans propoſitionem aſſerentem , quod poſſimus ſequi in conferendis Sacramentis opinionem probabilem , omiſſa tutiore , non damnat , quod poſſimus ſequi opinionem tutiorem in genere doctrinæ , ſeu moraliter certam , omiſſa tutiore in executione , ut accidit in his , & ſimilibus caſibus .

X. Quæritur ultimo , Quomodo attritio fieri poſſit contritio .

Reſpondeo , non formaliter , ſed æquivalenter ; non enim unus actus poteſt evadere alius , ſed poteſt attritio æquivalere contritioni , ſi componatur cum Sacramento ; & in hoc ſenſu communiter dici ſolet , quod peccator in Sacramento ex attrito fiat contritus ; quia in Sacramento attritio æquivalet contritioni , cum diſponat ultimo ad gratiam , non ſecus ac contritio extra Sacramentum . Præterea poteſt etiam attritio æquivalere contritioni , ſi componatur cum actu amoris Dei ſuper omnia ; Nam qui habet attritionem cum actu amoris Dei ſuper omnia , eodem modo eſt diſpoſitus ad gratiam , ac qui habet contritionem . Hinc ſequitur , quod in iis caſibus , in quibus vel per ſe , vel per accidens obligatur peccator ad contritionem , ſatisfaciat ſuæ obligationi , ſi loco contritionis ponat vel attritionem cum Sacramento pœnitentiæ , vel attritionem cum actu amoris Dei ſuper omnia .

## ARTICULUS III.

### De dolore ad Sacramentum Pœnitentiæ requiſito .

*I. Non ſufficit in Sacramento dolor virtualis incluſus aut in amore Dei , aut in propoſito non peccandi de cætero .*

*II. Nec ſufficit in Confeſſione venialium mera non complacentia de illis cum animo ſuſcipiendi Sacramentum .*

*III. Non eſt tamen mortale non dolere de ſingulis venialibus , quæ ſubjicien-*

*ciuntur clavibus.*

*IV. Num dolor, debeat aut confeſſionem, aut ſaltem abſolutionem prairre?*

*V. Num dolor elici debeat ex intentione ſuſcipiendi Sacramentum?*

*VI. Quamdiu poſſit dolor confeſſionem praire?*

*VII. Qualiter dolor de venialibus revocetur?*

*VIII. Num poſſit ſine novo dolore abſolutio iterari?*

*IX. Nequit Superior, auditis ſolis reſervatis, Sacramentaliter abſolvere.*

*X. Probabilius videtur, quod dari poſſit Pœnitentiæ Sacramentum validum, & informe ex defectu doloris illimitati.*

*XI. Non tamen ex variis aliis capitibus olim admiſſis ab Auctoribus.*

*XII. Ex quibus omnibus plura inferuntur.*

I. DIximus, ad Sacramentum Pœnitentiæ non ſufficere actum amoris Dei, in quo dolor virtualiter includitur; eo quod dum a Trident. requiritur ad Sacramentum dolor, intelligendum eſt de dolore proprie dicto, ſeu de dolore formali, juxta communiſſimum Theologorum ſenſum, ſive iſte dolor ſit contritio, ſive attritio. Non me latet, Petrum Soto, Sylveſtrum, Gabrielem, Roſellam, & alios ante Trident. exiſtimaſſe, ſufficere dolorem virtualem: Vaſq. tamen appellat hanc ſententiam poſt Trident. erroneam, & Suar. temerariam. Unde ſequitur, nec ſufficere dolorem, quod non doleas, contra Navar., Sylveſtr., & Sà, quia Concilium exigit dolorem de peccato, non vero dolorem de negatione doloris; Nec ſufficit ſolum propoſitum non peccandi de cætero; quia tale propoſitum non ſolum non eſt dolor, ſed etiam ſtare poteſt cum complacentia actuali de peccato commiſſo.

II. Quæritur tamen primo, An in confeſſione venialium ſatis ſit pro dolore voluntas ſuſcipiendi hoc Sacramentum ſine actuali complacentia peccati; eo quod in tali voluntate virtualis quædam deteſtatio contineatur?

Reſpondeo, Sententiam affirmantem non diſplicere Præpoſito, Roſellæ, & Tambur., qui aſſerit Patrem Franciſcum Quiros Societatis Jeſu in Theologia morali apprime verſatum eam reputare veram; quia ſcilicet Trident. ſeſſ. 14. cap. 4. requirit ad valorem hujus Sacramenti motum proprium pœnitentis, (qui certe habetur in eo, qui voluntatem habet ſuſcipiendi hoc Sacramentum, ejuſque effectum) & in confeſſione ſolum mortalium requirit Trident. deteſtationem. Unde ſolum in confeſſione mortalium videtur, quod dolor debeat eſſe formalis, & non tantum virtualis.

Verum communis ſententia docet, requiri dolorem formalem, etiam in confeſſione venialium; & practice ſententiam hanc tutiorem tenemur ſequi, quia tenemur evitare periculum fruſtrandi Sacramentum; & quidem ſub mortali, etiamſi Sacramentum conferatur ſuper re levi, videlicet ad remiſſionem ſolorum venialium: Quicquid in contrarium ſenſerit quidam Recentior apud Lug. de Pœnit. diſp. 14. ſect. 8.

III. Quæritur ſecundo, an ſit mortale non habere dolorem de omnibus venialibus, quæ in confeſſione explicantur?

Reſpondeo cum Suar., Lug., & aliis communiter negative; quia defectus talis doloris non obſtat valori, & fructui Sacramenti. Ex quo ſequitur, quod quando confeſſio eſt de ſolis venialibus, non teneamur ponere dolorem univerſalem.

Dices primo; apponere pro materia Sacramenti materiam ineptam, eſt pec-

peccatum mortale; ut ſi quis apponeret ad conſecrandum cum hoſtiis triticeis aliquas hordeaceas; ergo peccat etiam mortaliter, qui confitetur aliqua venialia ſine dolore, etiamſi de aliis dolorem habeat; quandoquidem ex defectu doloris illa venialia non ſunt materia idonea Sacramenti.

Reſpondeo cum Suar. nego conſequentiam: Et diſparitas eſt, quia forma conſecrationis per ſe primo reſpicit materiam; Unde ſub mortali debet apponi ſolum materia idonea ad conſecrationem: Contra vero forma hæc abſolutionis, Abſolvo te, non reſpicit per ſe primo materiam, ſed perſonam, & effectum gratiæ ex ſe remiſſivæ peccati; & quia ſemper ac abſolvitur perſona, confertur gratia, ſive habeat illa dolorem de omnibus, ſive de aliquibus ſolum venialibus; idcirco non eſt mortale non habere dolorem univerſalem de omnibus venialibus. Eodem modo diſcurrendum in Sacramento Baptiſmi, quod non reſpicit materiam, ſed perſonam. Non enim eſt mortale miſcere aquæ naturali guttas aliquas aquæ roſaceæ in collatione baptiſmi; quia ſignificatio formæ, & ejus effectus habetur, etiamſi materia non ſit uſquequaque idonea ad Baptiſmum.

Dices ſecundo; apponere in confeſſione peccatum mortale falſum, eſt mortale; ergo etiam eſt mortale apponere veniale ſine dolore; cum utrobique materia non idonea apponatur.

Reſpondeo, concedo antecedens, contra Sylveſtrum, qui putat eſſe tantum veniale, V. *Confeſſio*, quæſt. 8., nego tamen conſequentiam. Diſparitas eſt, quia in primo caſu decipitur Judex in re gravi; ſecus vero in ſecundo caſu decipitur tantum in re levi, dum putat, pœnitentem dolere de omnibus venialibus, quæ confitetur, & revera de aliquibus tantum dolet, Dicimus proinde contra Sylveſtrum, non poſſe pœnitentem pro libito augere numerum ſuorum peccatorum, non quia peccaret mortaliter contra charitatem imponendo ſibi crimina, quæ non fecit; nam non inferret ſibi grave nocumentum, cum infamatio in confeſſione cenſeatur levis; ſed quia non poſſet Sacerdos exercere circa pœnitentem judicium prudens; Tam enim variatur notabiliter judicium ex occultatione criminis veri, quam ex confeſſione criminis falſi.

IV. Quæritur tertio; An dolor debeat Confeſſionem, aut ſaltem abſolutionem præire?

Reſpondeo, certum eſſe, dolorem poſt abſolutionem elicitum non ſufficere ad Sacramentum. Dubium eſt, an debeat confeſſionem antecedere? Quod ſi non debeat; Num ſatis ſit ſi ponatur in eo ipſo inſtanti, in quo completur abſolutio, an vero requiratur, ut abſolutionem ſaltem antecedat?

Circa primum, Coninck diſp. 4. dub. 2. putat, dolorem debere Confeſſionem præire: Tum quia confeſsio debet eſſe ſignum illius doloris; ergo debet dolorem præſupponere; tum etiam quia cæteroqui poſſet quis per modum hiſtoriæ narrare Sacerdoti ſua peccata, deinde dolere, & abſolvi.

Sed communis ſententia negat, debere dolorem præire confeſsionem; quod probatur ex praxi fidelium, qui communiter poſt confeſsionem ad dolorem a Sacerdote excitantur, & putant ſuæ obligationi ſatisfeciſſe, etiamſi ſufficientem dolorem ex inadvertentia non præmiſerint.

Ad rationes in contrarium Coninck reſpondetur, dolorem etiam conſequentem poſſe fieri ſenſibilem per confeſsionem; quia, ut bene notat de Lugo, ut confeſsio ſit ſignum doloris, non oportet, ut ſit doloris effectus; ſed ſatis eſt, ut fiat confeſsio ad obti-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

tinendam remiſsionem, ad hoc ut confeſsio ſit ſignum doloris interni, etiamſi hic conſequatur confeſsionem: Hoc enim ipſo quod confeſsio eſt facta ad hunc finem, ſatis ſignificat, pœnitentem velle ponere omnia requiſita ad talem finem, inter quæ eſt dolor: Quare qui confitetur peccata, ut recipiat illorum remiſsionem, ſenſibiliter declarat, quod vel jam habeat dolorem, vel mox ſit illum habiturus ante abſolutionem, ſicut oportet.

Quibus adde, non ſolam confeſſionem eſſe Signum ſenſibile doloris interni, cum ipſamet expectatio abſolutionis, & tacita ejus poſtulatio videatur ſatis ſignificare ſenſibiliter dolorem internum, non ſolum ut ponendum, ſed ut jam poſitum.

Ad ſecundam objectionem reſpondeo, verum quidem eſſe, quod narratio hiſtorica peccatorum, ad quam ſequatur dolor, non ſatis ſit ad Sacramentum; Et ratio eſt, quia ad Sacramentum requiritur narratio, quæ ſit accuſatio, ſeu ordinata ad obtinendam abſolutionem in judicio Sacramentali, quæ certe haberi poteſt, etiamſi dolor poſt illam conſequatur. Ubi adverte, quod qui hiſtorice narravit ſua peccata Sacerdoti, poteſt narrationem illam ordinare ad Sacramentum, non quidem ſolo actu interno, cum confeſſio debeat eſſe per ſe ſenſibilis, ſed actu externo, dicendo verbi gratia, De peccatis narratis me accuſo, & ſic poteſt abſolvi; quia ſic breviter ſe accuſavit de omnibus peccatis narratis, & poſuit ſufficientem Confeſſionem externam.

V. Dubitatur tamen hic, An ſicut confeſſio debet eſſe ordinata ad Sacramentum recipiendum, ita pariter dolor elici debeat ex intentione Sacramenti?

Reſpondeo cum communi contra Perez diſp. 19. ſect. 6., Reginaldum tom. 1. lib. 5., & Bonacin. negative. Ratio eſt, quia ideo confeſſio debet eſſe ordinata ad Sacramentum recipiendum, quia debet eſſe accuſatio; nec eſt accuſatio, niſi ordinetur ad abſolutionem in judicio Sacramentali: Contra vero nulla eſt ratio, quæ ſuadeat, dolorem debere elici ex intentione Confeſſionis. Quod etiam conſtat ex praxi fidelium: nam ſi quis, verbi gratia, audiendo concionem excitetur ad dolorem, & deinde ex eo dolore moveatur ad Confeſſionem, hic reputatur bene diſpoſitus, etiamſi deſiderium Confeſſionis oriatur a dolore, & non dolor a deſiderio, & intentione Confeſſionis.

Non negaverim tamen, dolorem, ut fiat aliquo modo ſacramentalis, debere dirigi ad confeſſionem, cum ad conficiendum Sacramentum neceſſaria ſit intentio Sacramenti, & partium illius in ordine ad ejus conſtitutionem; Dico tamen, non debere dolorem a principio ad confeſſionem dirigi, & ex deſiderio confeſſionis oriri, cum ſatis ſit, ſi dolor præteritus ad Confeſſionem dirigatur.

Neque dicas, actiones Sacramentales debere fieri a principio ex intentione Sacramenti; Unde ablutio, verbi gratia, quæ non ſit a principio ordinata ad Sacramentum, non poteſt deinde referri ad illud, & conjungi cum forma Baptiſmi; ergo cum dolor ſit pars Sacramenti, debet a principio referri ad illud, & fieri ex intentione Sacramenti.

Nam contra eſt, quia illæ dumtaxat actiones Sacramentales debent a principio referri ad Sacramentum, & fieri ex intentione illius, quæ pertinent ad formam Sacramenti, ſeu quæ fiunt a Miniſtro; Hic enim cum debeat operari in nomine Chriſti, debet operari ex fine intento a Chriſto Domino; Pœnitens autem in hoc Sacramento non eſt miniſter, licet po-

nat dolorem conſtitutivum illius, tamquam partem materialem; & ideo non debet ejus dolor elici, tamquam ab operante nomine Chriſti, & intendente facere Sacramentum; Quod idem dicitur de eo, qui conficit panem, qui eſt materia Euchariſtiæ.

Circa ſecundam difficultatem, An ſcilicet dolor præire ſaltem debeat abſolutionem? Communis Doctorum ſententia affirmat; mihi tamen arridet ſententia Meratii, Granado, Perez, aliorumque, qui cenſent, ſatis eſſe, ut dolor non ſit poſt abſolutionem, etiamſi ponatur in eo ultimo inſtanti, in quo perficitur abſolutio. Et ratio eſt, tum quia vere tunc abſolutio cadit ſupra peccata cum dolore expoſita, tum etiam, quia voluntas ſuſcipiendi Sacramentum reddit narrationem illam peccatorum, quod vere ſit confeſſio, & accuſatio ſui doloroſa per dolorem, qui vel jam ſit habitus ante confeſſionem, vel mox ſit habendus, ita ut non conſequatur abſolutionem.

Neque dicas primo; Ante abſolutionem, quæ eſt ſententia judicialis, debet præire non ſolum confeſſio Rei, ſed etiam notitia de dignitate, vel indignitate rei ad obtinendam remiſſionem; ſed Reus tunc eſt dignus abſolutionem recipere, quando dolet de peccatis confeſſis; ergo ſi ante ſententiam judicialem præcedere debet notitia de confeſſione doloroſa, quæ reddit reum dignum remiſſione, conſequenter ante abſolutionem debet poni dolor.

Nam reſpondeo, concedendo, quod ante abſolutionem præcedere debeat notitia de dignitate Rei ad obtinendam remiſſionem; Dico tamen, hanc notitiam haberi, ſi ſciatur, quod pœnitens confiteatur peccata, & velit Sacramentum recipere; Si enim vult Sacramentum recipere, vult ponere dolorem, qui non ſit poſt abſolutionem, & conſequenter etiamſi dolor non præcedat abſolutionem, nihilominus ante abſolutionem habetur ſufficiens notitia de dignitate, ſeu congruitate pœnitentis ad abſolutionem recipiendam.

Neque dicas ſecundo, dolorem eſſe diſpoſitionem ad gratiam, quæ in ultimo inſtanti abſolutionis producitur; Univerſim autem diſpoſitio præcedere debet formam; ergo & dolor abſolutionem.

Nam ultima diſpoſitio non debet præcedere tempore, ſed ſolum natura ipſam formam; ſicut de facto contritio non præcedit tempore gratiam, ad quam diſponit.

VI. Quæritur quarto, quanto tempore poſſit dolor confeſſionem præire?

Reſpondeo, Leandr. citatum a Tambur. docere cum Hurt., & Candido, quod ad Sacramentum conficiendum ſatis ſit dolor, qui per quodcumque longi temporis ſpatium Confeſſionem præcedat, dummodo non ſit retractatus vel per actum contrarium, ſcilicet per complacentiam de peccato præterito, vel per quodcumque aliud peccatum mortale.

Communiter tamen Theologi docent, tamdiu dolorem poſſe præire confeſſionem, quamdiu poſſit virtualiter uſque ad confeſſionem permanere, ita ut cum illa faciat unum moraliter; Dicitur autem virtualiter dolor perſeverare, quando ſi pœnitens interrogetur, cur doluerit, poſſit illico reſpondere, ſe doluiſſe, ut confiteatur, & non retractaſſe dolorem, quia vult confiteri; Sic pariter intentio conficiendi Sacramentum dicitur permanere virtualiter in Miniſtro, quando interrogatus ſine nova deliberatione ſtatim reſponderet, ſe propterea ritum illum externum adhibere, quia vult Sacramentum miniſtrare. In quo diſtinguitur voluntas, ſeu intentio virtua-

tualis ab habituali; Nam virtualis (quæ ſaltem requiritur ad ſuſcipiendum Sacramentum pœnitentiæ, & ad conferenda omnia Sacramenta) debet influere in Sacramentum; ita ut verum ſit, quod ex illa intentione conſequatur Sacramenti pœnitentiæ ſuſceptio, vel collatio cujuſcumque Sacramenti: Contra vero voluntas habitualis (quæ ſatis eſt ad ſuſcipiendum Sacramentum Baptiſmi, Confirmationis, Euchariſtiæ, Extremæ Unctionis, &c.) non debet influere in ſuſceptionem illorum, ſed ſatis eſt, quod ſuſcipiens aliquando eam habuerit, nec retractaverit.

Sed quoad praxim difficultas eſt; Quantum ſit illud tempus, in quo dici poſſit, dolorem virtualiter perſeverare, & facere unum moraliter cum confeſſione?

Reſpondet Tamburinus ex Præpoſito, quod per tres, vel quatuor horas; ex Lugo, quod ſi veſperi, imo etiam die præcedente quis doluerit, cenſeatur bene diſpoſitus ad Sacramentum ſuſcipiendum die ſequenti: Et addit, quod ſicut in judicio forenſi poteſt ſententia proferri ſupra Reum diſcuſſum, etiam poſt quatuor, & quinque dies, quidni etiam in judicio Sacramentali? Hoc tamen non admiſerim, quia non quæcumque permittuntur in judicio forenſi, permittuntur in Sacramentali, nec quæ ſufficiunt ad abſolvendum a cenſuris, (a quibus etiam invitus abſolvi poteſt) ſufficiunt ad abſolutionem Sacramentalem.

VII. Quæritur quinto, quomodo revocetur dolor venialium?

Reſpondeo, difficultatem in eo eſſe, utrum quando pœnitens confitetur mortalia ſimul, & venialia, & omnia deteſtatur ex motivo univerſali offenſæ Divinæ, & deinde poſt hunc dolorem ante abſolutionem committit aliquod veniale, Utrum, inquam, retractet dolorem illum, ita ut ſi ad confeſſionem ſine novo dolore accedat, indiſpoſitus accedat? Et ratio difficultatis eſt, quia communiter docent Doctores, quod qui poſt deteſtationem mortalium committit aliud peccatum mortale, revocat exercite priorem dolorem; ergo qui committit novum veniale, videtur etiam revocare dolorem illum, quo pœnitens deteſtatus fuit omnia peccata, tam mortalia, quam venialia, ex motivo univerſali offenſæ Dei.

Equidem cenſeo cum Lugo, Perez, Tambur., & aliis per novum veniale non revocari adæquate dolorem illum univerſalem; Unde qui commiſit novum veniale poſt illum dolorem, poteſt ſine novo dolore valide abſolvi. Ratio deſumitur tum ex communi praxi Confeſſariorum, & pœnitentium, quæ eſt optima legum interpres; nam ſine ſcrupulo cenſetur communiter diſpoſitus ad Sacramentum, qui poſt dolorem ante confeſſionem in aliquem actum impatientiæ, verbi gratia, vel vanæ gloriæ incidit: tum etiam, quia quamvis deteſtatio ſit univerſalis, non tamen terminatur ad omnia peccata æqualiter, ſed inæqualiter, ita ut magis graviora, & mortalia peccata deteſtetur, quam venialia; unde quamvis deteſtatio peccatorum fuerit unus actus indiviſibilis, non tamen indiviſibiliter, & adæquate revocatur; ſed per novum veniale commiſſum revocatur exercite dolor ille, ſolum inquantum dolor eſt venialium ſimilium, non vero inquantum eſt dolor vel venialium graviorum, vel mortalium. Nihilominus ſanum conſilium eſt, ad meliorem ſecuritatem, & facilitatem, quod pœnitens ſeorſim doleat de mortalibus, qui dolor procul dubio per commiſſionem venialium non revocatur.

VIII. Quæritur ſexto; An requiratur novus dolor in nova confeſſione

pecca-

peccatorum, ſive ea ſint jam expoſita, & abſoluta, ſed iterum ſubjiciantur clavibus; ſive ea fuerint in priori confeſſione oblita?

Reſpondeo, diverſimode diſcurrendum de peccatis oblitis, quæ immediate poſt abſolutionem occurrunt memoriæ, & revelantur, ac de peccatis alias confeſſis, & abſolutis. Nam peccata oblita, quæ immediate poſt abſolutionem revelantur, non indigent novo dolore, ut iterum abſolutio ſuper iis conferatur, ut praxis fidelium oſtendit. Etenim ille prior dolor videtur ad peccata etiam oblita ſe extendere, & facere unum moraliter. Ita communiter Doctores cum Lug., Henr., Perez, Mæratio.

Neque obſtat primo, quod eadem materia proxima, videlicet idem dolor, pluribus formis Sacramentalibus ſubſterneretur; quod non videtur licere. Nam nullum eſt inconveniens, quod eadem materia proxima partialis plura Sacramenta numero diſtincta conſtituat; ſic in Euchariſtia Corpus Chriſti Domini, quod eſt materia proxima partialis illius Sacramenti, ingreditur quodlibet Sacramentum Euchariſtiæ; Et eadem ſatisfactio poteſt ad plura Sacramenta pœnitentiæ numero diſtincta pertinere; cum poſſit eadem numero pœnitentia imponi in diverſis confeſſionibus, juxta communem ſententiam.

Neque dicas ſecundo; Non poteſt eadem Confeſſio ſubſterni duplici abſolutioni; ergo nec idem dolor.

Nam diſparitatem dat de Lugo; quia hoc Sacramentum inſtitutum eſt ad modum judicii. Judicium autem continet eſſentialiter accuſationem, teſtificationem, & ſententiam, quæ omnia debent eſſe nova, ut novum judicium conſtituatur, cum non poſſit ſupra eundem proceſſum proferri ſecunda ſententia poſt primam validam, & perfectam: Contra vero ſine novo dolore poteſt haberi adæquate nova forma judicialis; quia in hoc Sacramento dolor non requiritur ad formam judicialem externam, ſicut requiritur confeſſio: ergo quamvis ſine nova confeſſione non poſſit iterum proferri ſententia abſolutoria, poteſt tamen proferri ſine novo dolore; dummodo prior moraliter perſeveret; ſi enim poſt multum temporis confitearis peccata oblita, puto debere dolorem iterari, ut mox dicemus.

Si loquamur itaque de peccatis jam confeſſis, & abſolutis, ſicut etiam de peccatis oblitis, quæ multo poſt primam confeſſionem ſubjiciuntur clavibus, verbi gratia, poſt decem, vel quindecim horas, quibus elapſis, non cenſetur amplius prior dolor moraliter perſeverare, juxta ſententiam Joannis Præpoſiti; Dico cum communi Doctorum requiri novum dolorem. Et ratio eſt eadem praxis fidelium, qui non audent iterum ad Sacramentum pœnitentiæ accedere, niſi repetito novo dolore.

IX. Neque dicas, in caſu, quo ſuperior non poteſt integram confeſſionem ſubditi audire, ſed auditis tantum reſervatis illum abſolvit, & ad alium Sacerdotem remittit, ut reliqua peccata confiteatur, datur duplex abſolutio Sacramentalis, ut cum multis docet Henr. lib. 6. cap. 15.; non tamen requiritur novus dolor; ergo univerſim poteſt idem dolor plura Sacramenta conſtituere.

Nam nego cum Perez, in tali caſu non requiri duplicem dolorem. Adde, quæ fuſius dixi in expoſitione quinquageſimæ nonæ theſis ab Innoc. XI. proſcriptæ in caſu adducto, ſi non detur neceſſitas dimidiandi confeſſionem, non poſſe ſuperiorem ſacramentaliter abſolvere a ſolis reſervatis. Et quando ſuperior nequit integram confeſſionem excipere, tunc debet tolle-

re reſervationem, & remittere pœnitentem inferiori confeſſario, a quo ſacramentaliter ab omnibus peccatis abſolvatur. Et ſane omnes Doctores apud eundem Henr. docent, pœnitentem abſolutum a Superiore a ſolis reſervatis debere integre confiteri inferiori, exponendo tam reſervata abſoluta, quam non reſervata. Quare ſignum evidens eſt, quod a Superiore non fuerit ſacramentaliter abſolutus a reſervatis; ſed quod ſolum reſervationem abſtulerit: Aliter non deberet iterum exponere inferiori reſervata, ut iterum abſolvatur; Sicut qui abſolutus eſt directe a peccato, verbi gratia, furti, & indirecte ab alio peccato oblito, puta blaſphemiæ, quando recordatur hujus peccati, ſatis eſt, quod illud dumtaxat confiteatur, ut ab eo directe abſolvatur, quin debeat iterum exponere peccatum furti, a quo fuerat non directe abſolutus. Sed hac de re fuſius iterum agendum quæſt. 5. art. 7. quæſit. 2. Rogabis, Num opiniones iſtæ circa dolorem requiſitum in Sacramento Pœnitentiæ ſint ſolum ſpeculative loquendo probabiles poſt primam Theſim proſcriptam ab Innoc. XI. an ſint etiam practice probabiles?

Reſpondeo tam opiniones hactenus expoſitas circa dolorem, quam quas exponemus articulo ſequenti circa propoſitum in ſacramento Pænitentiæ requiſitum, eſſe practice probabiles, quoties in praxim communiter a fidelibus timoratis deducuntur; non ſecus ac eſt opinio de ſufficientia Attritionis in hoc ſacramento; & ratio eſt non ſolum quia theſis proſcripta fert non eſſe licitum in conferendis Sacramentis ſequi opinionem probabilem, omiſſa tutiori; dolor autem, & propoſitum non ſpectat ad collationem, ſed ad ſuſceptionem Sacramenti pœnitentiæ; ſed etiam quia, quamvis nec eſſet licitum in Sacramentis ſuſcipiendis ſequi opinionem probabilem de eorum valore, omiſſa tutiore, ut communius docent; licitum tamen eſt ſequi opinionem moraliter certam; ſicut eſt opinio de ſufficientia Attritionis; necnon opiniones circa dolorem, & propoſitum, quæ paſſim in praxim a fidelibus deducuntur. Aliter paſſim in anguſtias animus redigeretur, & confeſſio redderetur odioſa, nec deſerviret in medicinam, ſed in carnificinam.

X. Quæritur ultimo; An poſſit dari Sacramentum Pœnitentiæ validum, & informe ex defectu doloris?

Reſpondeo, probabilem eſſe utramque ſententiam oppoſitam, quas graves Theologi tuentur.

Et primo quidem probabilis eſt ſententia affirmativa Suarii, & multorum Recentiorum contra Vaſq., Medin., alioſque. Et ratio eſt, quia ſi quis habens duo peccata, verbi gratia furti, & homicidii, & memor ſolius furti eliciat dolorem de illo ex motivo proprio turpitudinis furti, non tamen ex motivo univerſali, & furtum confiteatur, recipiatque abſolutionem; certe in tali caſu ponuntur omnia conſtitutiva Sacramenti. Unde Sacramentum eſt validum; non tamen eſt formatum, ſed informe, hoc eſt ſine forma gratiæ Sacramentalis quippe quæ non poteſt in tali caſu conferri pœnitenti habenti aliud peccatum mortale homicidii, de quo nullatenus doluit; cum non poſſit in præſenti ordine remitti peccatum non retractatum, nec unum mortale ſine alio; Quare ſicuti Baptiſmus eſt validus, & informis, quando cum fictione, ſeu cum mortali recipitur; ita in caſu adducto Sacramentum Pœnitentiæ eſt validum, & informe ex defectu doloris cadentis ſupra utrumque peccatum commiſſum.

Neque dicas primo, Trident. requirere ad validitatem Sacramenti dolo-



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

lorem univerſalem de omnibus peccatis; cum requirat dolorem ex motivo univerſali turpitudinis peccati, aut ex metu gehennæ, quæ motiva cum ſint univerſalia, pariunt dolorem de omnibus peccatis; ſed in caſu dicto non habetur dolor univerſalis de omnibus peccatis; ergo non habetur Sacramentum validum.

Nam communiter exiſtimatur valida confeſſio cum dolore peccati, puta furti, orta ex conſideratione turpitudinis propriæ furti, ſecundum quod furtum eſt, non vero ſecundum quod eſt peccatum; & gratis aſſumitur, quod Trident. exigat dolorem univerſalem, ſeu ortum ex motivo univerſali turpitudinis peccati, inquantum eſt peccatum.

Neque dicas ſecundo, ad validitatem Sacramenti requiritur propoſitum non peccandi de cætero, quod ſit univerſale, requiritur enim propoſitum non committendi non ſolum peccata commiſſa, ſed nec ullum aliud amplius; ergo pariter ad valorem Sacramenti requiritur dolor univerſalis, qui ſcilicet non ſolum ſit dolor de peccatis, quæ ſunt in memoria, ſed etiam de oblitis. Unde qui ſolum dolet de furto, cujus meminit, & non de homicidio, cujus eſt oblitus, non ſolum non conficit Sacramentum formatum, ſed nec etiam validum.

Nam Dicaſtil., aliique negant antecedens; putant enim, ſatis eſſe propoſitum non committendi iterum peccata commiſſa. Verum quia communis opinio requirit propoſitum univerſale non peccandi de cætero, ut loquitur Trident. ſeſſ. 14. cap. 4., ſeu propoſitum non committendi amplius ullum peccatum, ideo conceſſo antecedente, nego conſequentiam. Diſparitas eſt, quia juxta omnes propoſitum debet magis late patere, quam dolor; Etenim dolor ad ſummum debet eſſe omnium peccatorum commiſſorum, non vero peccatorum etiam poſſibilium, ut conſtat ex Tridént. docente, dolorem debere eſſe de peccato commiſſo: Contra vero Propoſitum non ſolum debet eſſe non committendi iterum peccata commiſſa, ſed etiam non committendi amplius ullum mortale poſſibile; ergo ſicut poteſt dolor magis reſtringi, quam propoſitum, adeo ut dolor ſolum cadat ſupra peccata commiſſa; ita poterit magis reſtringi, adeo ut cadat ſolum ſupra peccata, quæ ſunt in memoria, non vero ſupra oblita. Trident. enim cap. 5. dicit: *Nihil aliud in Eccleſia a pænitentibus exigi, quam ut poſt examen ea peccata confiteantur, quibus ſe Dominum mortaliter offendiſſe meminerint.* Si ergo ea peccata, quæ ſunt in memoria, ſolum debemus confiteri, pariter de iis ſolum debemus dolere ad validitatem Sacramenti. Et ſane videtur certum, quod ſi quis habens ſolum peccatum furti, & de eo tantum doleat ob motivum particulare turpitudinis propriæ furti, hic Sacramentum, & ejus fructum recipiat. ergo ſi præter peccatum furti habeat etiam homicidium, cujus tamen ſit invincibiliter oblitus, unde de eo non doleat, recipiet quidem Sacramentum, ſed non ejus fructum; unde habebitur Sacramentum pænitentiæ validum, & informe ex defectu doloris de homicidio.

Deinde probabilis etiam videtur ſententia negativa oppoſita, quam ſequuntur Vaſq:, Con., Gabriel, & alii negantes, dari poſſe hoc Sacramentum validum, & informe. Ratio eſt, quia ex Trident. ſeſſ. 14. cap. 4. habemus, dolorem requiſitum ad hoc Sacramentum non ſolum eſſe ceſſationem a peccato, & vitæ novæ propoſitum, & inchoationem, ſed veteris etiam odium continere, juxta illud Ezech. *Projicite a vobis omnes iniquita-*

*tes veſtras, in quibus prævaricati eſtis, & facite vobis cor novum, & ſpiritum novum*. Cum ergo Trident. requirat ad validitatem Sacramenti odium veteris vitæ, videtur requirere dolorem, qui ſit ex motivo univerſali, & complectatur tum peccata, quæ ſunt in memoria, tum etiam oblita. Unde ſi quis doleat ex motivo particulari turpitudinis furti, etiamſi ſolum furtum commiſerit, vel dicendum, quod non recipiat Sacramentum, ob defectum doloris ex motivo univerſali turpitudinis peccati, qui videtur a Trident. requiri ad valorem Sacramenti; vel ſi hoc videatur durum, & contra communem ſententiam, dici poteſt, quod recipiat Sacramentum, & gratiam, quando habet ſolum peccatum furti, quia tunc dolendo de ſolo furto, vere dolet de omnibus peccatis commiſſis, eo quod ſolum furtum commiſerit; quando vero, præter peccatum furti, habet etiam homicidium, tunc, ſi doleat de ſolo furto, non recipiat nec gratiam, nec Sacramentum; quia non habet dolorem univerſalem de omnibus peccatis, qui videtur a Trident. requiri ad valorem Sacramenti; Atque adeo probabiliter non datur Sacramentum pænitentiæ validum, & informe: Quamvis Adverſarii conentur difficultatem hanc evacuare, dicendo per ly odium veteris vitæ ſignificari a Trident. dolorem omnium peccatorum, quæ ſunt in conſcientia.

Confirmatur a Vaſq. quæſt. 92. art. 2.; quia ex Trident. ſeſſ. 14. cap. 4. dolor, qui poteſt eſſe pars hujus Sacramenti, debet ſufficienter in hoc Sacramento ad Dei gratiam impetrandam diſponere, ſed niſi ſit dolor peccatorum etiam oblitorum, non poteſt diſponere ad gratiam, ut patet; ergo nec poteſt eſſe pars hujus Sacramenti. Unde ſequitur, quod in eo caſu, in quo quis dolet de furto ſolum, & non de homicidio oblito, non habeat dolorem ſufficientem ad validitatem Sacramenti; & conſequenter dari non poteſt Sacramentum pœnitentiæ validum, & informe ex defectu doloris. Ex quo Vaſq. diſparitatem aſſignat, quare Sacramentum Baptiſmi poſſit eſſe validum, & informe, non vero Sacramentum pænitentiæ, quia ſcilicet in ſolo Sacramento pænitentiæ materia proxima, quæ eſt dolor, debet eſſe diſpoſitio ad gratiam; ubi e contra ablutio, quæ eſt materia proxima Baptiſmi, non debet eſſe diſpoſitio ad gratiam Sacramentalem recipiendam.

Scio, Suarium huic difficultati reſpondere, quod, per ſe loquendo, dolor in Sacramento pœnitentiæ ſit diſpoſitio ad gratiam, non vero per accidens; Ut accidit, quando quis immemor homicidii commiſſi, dolet de ſolo furto ex turpitudine propria furti. Et idcirco diximus, utramque ſententiam eſſe probabilem, quamvis probabilior mihi videatur ſententia Suarii. De qua fuſius locutus ſum in Theologia Scholaſtica part. 8. diſp. 4. quæſt. 2. art. 3.

XI. Putant etiam aliqui primo cum Dominico Soto, Cano, Victoria, & aliis, poſſe dari Sacramentum pœnitentiæ validum, & informe ex defectu materialis integritatis confeſſionis; dummodo talis defectus directa intentione non intendatur; quamvis vincibilis ignorantia, & moraliter culpabilis intercedat ob defectum examinis.

Sed merito communiter rejiciuntur, præſertim a Cajet., & Navar.; quia quando culpabiliter omittitur integritas confeſſionis, vel hujus culpæ habetur remorſus, & memoria, quando ſuſcipitur Sacramentum; & ſic non habetur propoſitum non peccandi de cætero, atque adeo non habetur Sacramentum validum: Vel talis culpæ non

habetur memoria, nec remorſus; & tunc ſi dolor peccatorum ſit ex motivo univerſali, recipietur Sacramentum, & fructus Sacramenti, quia indirecte talis culpa oblita remittitur; ſi vero dolor non ſit univerſalis, juxta ſententiam Vaſq., nec gratia, nec Sacramentum recipitur.

Putant alii ſecundo cum Cajet., & Cano, contingere Sacramentum hoc validum, & informe ex defectu doloris, quando quis non dolet, & neſcit ſe non dolere, confitetur tamen talem indiſpoſitionem, ut ſalvetur integritas Confeſſionis.

Sed errant; quia defectus doloris eſt defectus partis conſtituentis Sacramentum; unde ſicut ſine aqua non eſt validus Baptiſmus, ita ſine dolore pœnitentiæ Sacramentum non eſt validum.

Putant alii tertio cum Petro Soto lect. 8. de Confeſſ., evenire poſſe Sacramentum validum, & informe ex defectu doloris, non quidem extenſive, juxta ſententiam Suarii, ſeu qui non ſe extendat ad omnia peccata commiſſa, ſed intenſive, quia ſcilicet ponitur dolor, ſed non in tanta intenſione, quanta requiritur ad fructum Sacramenti.

Sed contra eſt, quia nulla determinata intenſio doloris a Trident. requiritur ad hoc, ut in hoc Sacramento ad gratiam diſponat.

Demum alii admittunt Sacramentum validum, & informe, dicendo, quod ad valorem, non ad fructum hujus Sacramenti ſatis ſit attritio putata, vel attritio naturalis exiſtimata ſupernaturalis, vel attritio ſupernaturalis ſine firmo propoſito non amplius peccandi, vel dolor de peccatis cum ſuo propoſito, quando poſt dictum dolorem committitur novum peccatum, cujus deinde non habetur memoria, dum ſuſcipitur Sacramentum: Quæ tamen omnia ex verbis Trident., & hactenus dictis facile refelluntur.

XII. Colliges ex dictis primo, quod in caſu Suarii, in quo probabiliter Sacramentum pœnitentiæ eſt validum, & informe, qui confeſſus eſt peccatum furti, non tenetur deinde iterum confiteri peccatum furti, quando recordatur homicidii obliti, cum ſatisfecerit obligationi ſubjiciendi directe clavibus peccatum illud furti. Quod ſi Sacramentum pœnitentiæ non fuiſſet validum, juxta ſententiam Vaſq., certe teneretur iterum confiteri peccatum furti, quando recordatur homicidii.

Colliges ſecundo, per Sacramentum validum, & informe ſatisfieri præcepto annuæ Confeſſionis. Nam ab Alex. VII. ſolum damnatur illa propoſitio decima quarta, quod per confeſſionem voluntarie nullam ſatisfiat præcepto Eccleſiæ; qui autem ſuſcepit Sacramentum pœnitentiæ validum, licet informe, non fecit Confeſſionem voluntarie nullam, nec ſacrilegam; ergo ſatisfecit præcepto ſuſcipiendi Sacramentum pœnitentiæ: Sicut etiam per Sacramentum Euchariſtiæ validum, & informe ſatisfit præcepto Eccleſiæ de Communione Paſchali; eſto non ſatisfiat per communionem ſacrilegam, ut oſtendimus in expoſitione theſis 55. proſcriptæ ab Innoc. XI.. Quamvis enim finis hujus præcepti ſit conſecutio gratiæ, quæ per Sacramentum validum, & informe non obtinetur; nihilominus finis hic eſt extrinſecus præcepto, nec cadit ſub præceptum, ut notat Perez diſp. 23. ſect. 5. Suar. diſp. 35. ſect. 4. Ledeſma, uterque Soto, & alii apud eundem Suarium. Tunc autem communio eſſet valida, & informis, ſed non ſacrilega, quando quis communicaret cum aliquo mortali invincibiliter oblito, nullum habens dolorem ſupernaturalem neque contri-

tritionis, neque ſaltem attritionis de illo.

Colliges tertio, Sacramentum Pœnitentiæ validum, & informe habere effectum ſuum ex opere operato, ſtatim ac tollitur fictio, ſeu obex illius peccati obliti; non ſecus ac Sacramentum Baptiſmi cum fictione ſuſceptum cauſat fructum ſuum, & gratiam baptiſmalem, recedente fictione; In communi autem ſententia recedit fictio, & tollitur obex ad gratiam, tam relate ad Sacramentum Baptiſmi, quam relate ad Pœnitentiam per ſolam attritionem, quæ cum Sacramento præterito, quod reviviſcit, vim habet Contritionis.

## ARTICULUS IV.

### De propoſito ad Sacramentum Pœnitentiæ requiſito.

*I. Quando dolor procedit ex motivo particulari, non ſufficit propoſitum virtuale in eo dolore incluſum.*

*II. Moraliter loquendo, dolor formalis de culpis præteritis non ſejungitur a formali propoſito non peccandi in poſterum.*

*III. In Confeſſione venialium quodnam propoſitum requiritur?*

*IV. Triplex datur diſcrimen inter propoſitum requiſitum in confeſſione mortalium, ac in venialium confeſſione.*

*V. Quænam dicatur occaſio proxima peccandi, de qua vitanda tenemur habere propoſitum?*

*VI. Quid ſi vitari non poſſit abſque gravi incommodo?*

*VII. Quonam pacto occaſio de ſe proxima, quæ phyſice vitari non poteſt, evadere poſſit remota?*

*VIII. Recenſentur proſcriptæ theſes circa proximas occaſiones vitandas.*

*IX. Quandonam occaſio proxima cenſetur voluntaria, quando involuntaria?*

*X. Etiam occaſio proxima peccandi dubia fugienda eſt.*

*XI. Num confeſſioni præter dolorem, & propoſitum, præmitti debeant actus Fidei, & Spei?*

*XII. De quibus myſteriis fides præerequiratur ad Sacramentum ſuſcipiendum?*

*XIII. Non ſatis eſt Trinitatis, & Incarnationis myſteria credidiſſe, ita ut eorum deinde detur oblivio.*

I. Quæritur primo; Num præter dolorem de peccato commiſſo requiratur propoſitum explicitum, & formale non peccandi de cætero; An vero ſatis ſit propoſitum virtuale incluſum in ipſo dolore? Quandoquidem qui dolet de peccato commiſſo propter metum gehennæ, verbigratia, virtualiter non vult amplius peccare, & effici Reus gehennæ; aliter amaret, quod odio haberet.

Reſpondeo cum diſtinctione ex Con. diſp. 4. num. 39.: Quando dolor peccatorum procedit ex motivo particulari turpitudinis talis peccati, tunc requiritur propoſitum formale, & explicitum non peccandi de cætero. Ratio eſt, quia ad Sacramentum Pœnitentiæ requiritur propoſitum univerſale non committendi amplius ullum peccatum, nec ſufficit ſolum propoſitum non committendi iterum peccata commiſſa, ut diximus art. ſuper. cum communi contra Dicaſt., atqui propoſitum univerſale non peccandi de cætero, ut loquitur Trident., ſeu non committendi amplius ullum peccatum, non continetur virtualiter in dolore ſolius peccati commiſſi, orto ex motivo particulari turpitudinis talis peccati, ut patet: ergo in tali caſu, præter dolorem, requiritur propoſitum explicitum, & formale.



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Quando vero dolor procedit ex motivo univerſali, quia virtualiter continet propoſitum univerſale, cenſeo, ſatis eſſe propoſitum virtuale implicitum in ipſo dolore. Ita Suar. diſp. 20. ſect. 4. Lugo, Laym., & alii communiter contra Medin., Tolet., Bellarm.; Ratio eſt, tum quia cæteroqui non tres, ſed quatuor eſſent partes conſtituentes materiam proximam Sacramenti pœnitentiæ, ſcilicet dolor, propoſitum, confeſſio, & ſatisfactio; ubi nonniſi tres enunciantur a Tridentino: tum etiam, quia ſæpiſſime in Scriptura remiſſio exhibetur, vel promittitur deteſtanti ſolum peccata præterita: tum demum, quia Trident. exigit ſolum attritionem, quæ voluntatem peccandi excludat; Atqui ſine propoſito formali attritio concepta ex motivo univerſali voluntatem peccandi excludit, ut diximus; quia aliter homo amaret, quod odio haberet; ergo propoſitum formale non requiritur, quando dolor eſt ex motivo univerſali.

Neque dicas ex Bellarm.: Non ſatis eſt in Sacramento pœnitentiæ ſolum propoſitum formale, in quo includatur virtualiter dolor; ergo neque ſatis erit ſolus dolor formalis, in quo virtualiter contineatur propoſitum.

Nam, conceſſo antecedente, nego conſequentiam. Diſparitas eſt primo, quia ex verbis Trident. requiritur dolor, qui voluntatem peccandi excludat; ergo requiritur dolor proprius, & formalis, nec ſatis eſt dolor virtualis in propoſito incluſus: Præſertim quia propoſitum non peccandi non includit virtualiter dolorem de peccatis commiſſis, ſtare enim poteſt cum complacentia de illis; ſicut miles poſt pericula militiæ poteſt proponere, ſe nunquam amplius militaturum, ita tamen, ut complacentiam habeat de militia præterita: Contra vero dolor de peccatis præteritis propter motiva attritionis conceptus ſtare non poteſt cum voluntate peccandi in poſterum; ergo dolor includit virtualiter propoſitum, non vero propoſitum dolorem, & ideo ſolus dolor ſufficit, non vero ſolum propoſitum. Secunda diſparitas ex Suar. eſt, quia Sacramentum pœnitentiæ cum ferat accuſationem de peccato præterito, magis requirit deteſtationem illius, quam animi diſpoſitionem ad non peccandum in poſterum; ergo eſt major ratio, cur dolor debeat eſſe formalis, quam propoſitum.

II. Adverte tamen cum Perez, moraliter loquendo, dari non poſſe propoſitum non peccandi de cætero ex motivo ſupernaturali, & univerſali, quin detur dolor formalis peccati præteriti; Sicut nec dari poteſt, moraliter loquendo, dolor peccati præteriti, ex eodem motivo, ſine propoſito formali non peccandi de cætero, ſi menti occurrat diſpoſitio de vita futura.

III. Quæritur ſecundo; quodnam propoſitum requiratur in confeſſione ſolorum venialium?

Reſpondeo cum Laym., & communi Doctorum, requiri ſaltem propoſitum virtuale non relabendi iterum in venialia ſimilia illis, quæ revelantur in confeſſione.

Ratio eſt, quia ex una parte ad gratiam Sacramentalem recipiendam non requiritur carentia cujuſcumque venialis; (ſicut requiritur carentia cujuſcunque mortalis) ergo neque requiritur dolor de omnibus venialibus commiſſis, & conſequenter nec requiritur propoſitum non committendi amplius ullum veniale; (ſicut requiritur propoſitum non committendi ullum mortale in Confeſſione mortalium) Ex altera parte, ut conferatur gratia in Sacramento pœnitentiæ,

tiæ, requiritur Confeſſio, dolor, & propoſitum; ergo ſicut ſatis eſt confeſſio, & dolor de aliquo veniali, non vero de omnibus venialibus commiſſis; ita ſatis eſt propoſitum non committendi amplius venialia ſimilia illis, de quibus eſt dolor; quod propoſitum virtualiter in ipſo dolore includitur. Quare in confeſſione venialium ſatis eſt ſolus dolor formalis alicujus ſpeciei peccati venialis, ex motivo tamen ſupernaturali; quia in eo dolore efficaci continetur propoſitum requiſitum; Imo, ut advertit Lugo apud Tambur., ſi quis confiteatur frequentiam venialium, ſatis eſt dolor de illa, etiamſi de nullo particulari veniali habeatur dolor, & conſequenter ſatis eſt propoſitum non relabendi in frequentiam illam, de qua eſt dolor.

IV. Hic autem adverte triplex diſcrimen traditum a Conick inter propoſitum requiſitum ad remiſſionem mortalium, & venialium. Nam primo illud debet ſe extendere ad omnia mortalia, nullo excepto; ſecus vero propoſitum requiſitum ad remiſſionem venialium. Secundo, illud debet ſe extendere ad omnia, tum collective, tum diſtributive: Contra vero propoſitum venialium non ſolum poteſt eſſe propoſitum vitandi illa ſola venialia, de quibus eſt dolor, ſed præterea non debet eſſe propoſitum vitandi omnia venialia collective ſumpta; quandoquidem ſine ſpecialiſſima gratia Dei, quæ non datur omnibus, vitari non poſſunt omnia venialia collective: Etenim aliqua venialia cum plena libertate committuntur; aliqua ex ſurreptione, & cum imperfecta deliberatione; Quamvis autem illorum collectionem vitare poſſimus, iſtorum tamen ſine ſpeciali privilegio non poſſumus longo tempore vitare: (quod Beatæ Virgini conceſſum fuiſſe, tenet Eccleſia, ut docet Trident. ſeſſ. 6. can. 23.) Hinc non poſſumus habere propoſitum efficax non committendi venialia omnia collective ſumpta, ſeu omnia omnino, ſed ſolum de ſingulis diſtributive ſumptis, quæ vitari poſſunt, habere poſſumus propoſitum. Tertium diſcrimen eſt, quia tenemur habere propoſitum vitandi non ſolum mortalia, ſed etiam occaſiones proximas peccandi mortaliter, non vero occaſiones proximas peccandi venialiter; quia ſunt innumeræ, & inevitabiles; unde oporteret de mundo exire, ut loquitur Apoſtolus, ſi teneremur illas vitare: Quamvis occaſiones proximas peccandi venialiter deliberate, & cum advertentia poſſimus, & teneamur vitare, ſi facile poſſumus, cum certum ſit, quod qui amat periculum peccandi, amet ipſum peccatum.

Ex quo ſequitur primo, facilius abſolvendum illum, qui frequentius incidit in eadem venialia, quam qui in eadem mortalia; non ſolum quia non tenemur habere dolorem univerſalem de omnibus venialibus, quæ confitemur, ſicut de mortalibus tenemur; verum etiam quia ille relabitur in eadem venialia ex occaſionibus proximis, quas non tenetur vitare; Hic autem ſi relabatur in eadem mortalia ex occaſionibus proximis, cum teneatur illas vitare, ſi non vitet, non habet ſufficiens propoſitum, atque adeo non eſt abſolvendus.

Sequitur ſecundo, ſtare poſſe propoſitum vitandi omnia venialia, etiamſi quis certo ſciat, ſe in aliquod veniale lapſurum; quia tale propoſitum, ut notat Suar., eſſet veluti conditionatum, quantum ſcilicet in homine fuerit; quod ſatis eſt ad confeſſionem; & bene cohæret cum ſcientia, quam habet pœnitens, quod non omnia vitabit; (alioquin, qui propter pravam conſuetudinem vix ſperat,



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ſe non relapſurum in idem mortale, non poſſet abſolvi, etiamſi proponeret illud vitare, quantum eſt ex parte ſua; quod eſt falſum) Et ratio a priori eſt, quia ad confeſſionem ſufficit propoſitum, quod excludat voluntatem peccandi; ſed tale propoſitum eſt hujuſmodi; quia ſcire ſe peccaturum, eſt actus intellectus, non voluntatis; ergo tale propoſitum ſufficit ad confeſſionem.

V. Quæritur tertio; quænam ſint occaſiones proximæ peccandi mortaliter, de quibus vitandis tenemur habere propoſitum in confeſſione?

Reſpondeo, occaſionem proximam a Doctoribus dici illam, quæ ex ſe multum incitat ad peccatum, & frequenter ad peccatum inducit: & ideo iſta occaſio dicitur proxima, quia inter ipſam, & certitudinem moralem peccati futuri nihil mediat. Talis eſt detentio concubinæ domi, habitatio viri cum fœmina, qui debeant frequenter ſoli verſari, & alia hujuſmodi. Occaſio vero remota eſt illa, in qua homo poſitus non judicatur prudenter, ac moraliter lapſurus; ut eſt exercitium militiæ, mercaturæ, &c. Et univerſim omnes illæ occaſiones, in quibus homines non ſolent ſemper, aut fere ſemper peccare.

Unde inferunt Perez, Leand., Lugo, aliique, poſſe abſolvi adoleſcentes, qui verſantur cum fœminis, laborando, vel converſando cum iis, quæ in eadem domo non habitant; quia licet aliquando in tali occaſione mortaliter peccent conſenſu, tactibus, & etiam copula, ea tamen occaſio cenſetur de ſe remota; quandoquidem non ſolent homines ex tali occaſione ſemper, aut fere ſemper peccare mortaliter, & aliunde ad tollendam talem occaſionem, oportet de hoc mundo exiſſe, ut habet Apoſtolus 1. ad Cor. 5. ut omni commercio mulierum liberi eſſemus. Non negaverim tamen, aliquam occaſionem de ſe remotam poſſe eſſe alicui proximam, eo quod ex pravo habitu, & virtutis imbecillitate fere ſemper in ea labatur: Verbi gratia, frequenter verſari cum fœminis laborando, poteſt eſſe alicui occaſio proxima, quamvis de ſe ſit remota, & in tali caſu vitanda eſt ab eo, qui experitur, fere ſemper in tali occaſione labi; nec eſt abſolvendus, ſi illam non vitet.

VI. Quæritur quarto; Quando occaſio proxima relinqui non poteſt abſque ſcandalo, infamia, aut gravi detrimento ſpirituali, aut temporali, tenemurne illam vitare?

Reſpondeo, duo eſſe certa apud Doctores, ex quibus ſequitur reſolutio quæſiti. Primum eſt, non teneri nos ad vitandas occaſiones proximas, quas vitare eſt moraliter impoſſibile, ſeu quæ vitari non poſſunt ſine magna difficultate: hujuſmodi enim occaſiones proximæ dicuntur involuntariæ, quæ potius permittuntur, quam quæruntur: Alterum eſt, occaſiones proximas in caſu adducto dici involuntarias, quia vitare illas cum ſcandalo, infamia, aut gravi detrimento, eſt moraliter impoſſibile, ob difficultatem in iis fugiendis, quæ ſuperat humanam fragilitatem; Unde fit, non teneri nos ad illas phyſice vitandas.

Advertendum tamen, quod licet non teneamur illas vitare phyſice, tenemur tamen vitare moraliter; ſeu tenemur procurare, ut occaſiones hujuſmodi, quæ de ſe ſunt proximæ, evadant nobis occaſiones remotæ; unde permittendo illas ex una parte vitemus ſcandalum, infamiam, &c. & ex altera parte non verſemur in periculo proximo peccandi; cum certum ſit peccare eum, qui voluntarie in proximo periculo peccandi verſatur, juxta illud, *Qui amat periculum, peribit in illo.*

VII. Quod ſi petas, Quonam pacto

fiet, ut occaſio de ſe proxima, nobis evadat remota? Verbi gratia, filiusfamilias, qui ſæpe cum ſorore, vel famula peccat, nec poteſt moraliter, ſeu ſine magna difficultate domo fugere, aut illas expellere, quid efficere debet, ut occaſio hujuſmodi proxima reddatur remota, & ſic non ſit ille in proximo periculo peccandi?

Reſpondeo, debere inſtruere ſe propoſito firmiſſimo, necnon pœnitentiis, orationibus, frequentia Sacramentorum, aliiſque cautelis ſe munire; ſic enim occaſio proxima evadit remota, & utrumque vitatur, ſcilicet periculum peccandi proximum ſimul, & ſcandalum, ſeu infamia, &c. Et ſane Pontifex in cap. *Conſultationi de frigidis, & maleficiatis* declaravit, duos, qui contraxerunt matrimonium invalidum propter impotentiam coeundi, poſſe ſimul cohabitare in eadem domo, ut fratrem, & ſororem propter ſcandalum, & infamiam; cum tamen ea de ſe phyſice ſit occaſio proxima tactuum, & aliorum peccatorum; ergo eodem modo filiusfamilias, qui ſæpe cum ſorore, & famula peccat, nec poteſt ſine gravi detrimento, aut ſcandalo ab earum convictu ſejungi, non tenetur phyſice tollere hujuſmodi occaſiones proximas, quæ cenſentur involuntariæ; Tenetur tamen eas reddere ſibi occaſiones remotas iis mediis, quæ Confeſſarius, & propria conſcientia judicabit: verbi gratia, nunquam in earum faciem conjiciendo oculos, nunquam cum iis colloquendo, niſi in præſentia aliorum, frequentando preces, pœnitentias, Sacramenta, & alia hujuſmodi, quibus occaſio illa evadat remota. Et idem dicas de eo, qui ſæpiſſime ſolus in pollutionem cadit, in mendacia jurata, in cogitationes turpes, &c. *Facienti enim quod in ſe eſt, Deus non denegat gratiam ſuam*, ut habet celebre Theol. effatum.

Hinc fit, Confeſſarium, qui ex experientia, quam habet pœnitentis, quod non adhibuerit remedia ad reddendam remotam eam occaſionem, quæ erat proxima, prudenter exiſtimat, quod hic, & nunc non habeat propoſitum firmum adhibendi ea remedia, teneri abſolutionem denegare, quantumcumque dicat pœnitens, ſe dolere; eſt quippe indiſpoſitus ex carentia propoſiti debiti, ſæpe enim indiſpoſitus ad abſolutionem dicit, ſe eſſe diſpoſitum; Quod tamen ex experientia, quam habet de illo, Confeſſarius debet judicare, credendo potius factis, quam dictis pœnitentis; Hinc proſcripta eſt ab Innoc. XI. propoſitio 60. dicens: *Pœnitenti habenti conſuetudinem peccandi contra legem Dei, naturæ, aut Eccleſiæ, etſi emendationis ſpes nulla appareat, nec eſt neganda, nec differenda abſolutio, dummodo ore proferat, ſe dolere, & proponere emendationem.* Ex qua propoſitione damnata clare conſtat, quod quamvis pœnitens ſit ſimul reus, & teſtis in hoc Tribunali, non proinde verbis illius, ſed potius factis credendum ſit. Quare, ſi bis, vel ter, aut ad ſummum (ut docent aliqui cum Leandro) quater propoſuit pœnitens occaſiones proximas vitare, aut rem alienam reſtituere, nec deinde vitavit, nec reſtituit, &c. abſolutio differenda, quouſque de vero propoſito fiat certior Confeſſarius.

Si tamen poſſit prudenter Confeſſarius exiſtimare, quod hic, & nunc pœnitens vere habeat ſufficiens propoſitum, quamvis poſſit abſolutionem impertiri, poterit etiam aliquando, ut Judex, & Medicus ſpiritualis talis animæ, abſolutionem differre, ut ab experientia certitudinem habeat majorem de tali propoſito, & ut pœnitens cautius agat, & fortius proponat adhibere remedia, dum videt ſibi abſolutionem differri. Non nego, ab-

ſo-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ſolutionem differri non poſſe ſine juſta cauſa; Dico tamen, cauſam diſferendi eſſe juſtam, ut certificetur Confeſſarius de diſpoſitione pœnitentis; Imo etiam, ut docet de Lugo, propter ejus utilitatem, & confirmationem in bono propoſito: In quo caſu ad contritionem eſt excitandus, ne forte in ſtatu peccati mortalis interim decedat.

VIII. Sciendum denique, circa occaſiones proximas ab Innoc. XI. damnatas eſſe hujuſmodi propoſitiones, videlicet 61., quæ dicit: *Poteſt aliquando abſolvi, qui eſt in proxima occaſione peccandi, quam poteſt, & non vult omittere, quinimo directe, & ex propoſito quærit, aut ei ſe ingerit:* Et 62., quæ dicit: *Proxima occaſio peccandi non eſt fugienda, quando cauſa aliqua utilis, aut honeſta non fugiendi concurrit:* Et 63., quæ habet: *Licitum eſt quærere directam occaſionem peccandi proximam pro bono ſpirituali, vel temporali noſtro, vel proximi:* Damnata pariter eſt ab Alexandro VII. propoſitio 41. dicens: *Non eſt obligandus concubinarius ad ejiciendam concubinam, ſi hæc multum eſſet utilis ad oblectamentum concubinarii, vulgo Regalo, dum deficiente illo nimis ægre ageret vitam, & aliæ epulæ tædio magno concubinarium afficerent, & alia famula nimis difficile inveniretur.* Et ratio omnium eſt manifeſta ex illo Chriſti Domini Matth. 16. *Quid prodeſt homini, ſi mundum univerſum lucretur, animæ vero ſuæ detrimentum patiatur?* Et ex illo Matth. 18. *Si manus tua, vel pes tuus ſcandalizat te, abſcinde eum, & projice abs te. Bonum tibi eſt ad vitam ingredi debilem, vel claudum, quam duas manus, aut duos pedes habentem mitti in gehennam; Et ſi oculus tuus ſcandalizat te, erue eum, &c.*

IX. Ex quibus deducitur, requiri propoſitum tollendi occaſionem, quæ de ſe eſt proxima, etiamſi adſit cauſa utilis, aut honeſta non fugiendi illam; quia in tali caſu occaſio proxima cenſetur eſſe voluntaria, cum facile tolli poſſit: Contra vero ad vitandum ſcandalum, & grave damnum ſolum phyſice ea permitti poteſt, quia tunc cenſetur involuntaria.

Hinc ſequitur etiam, quod Confeſſarius, cui confeſſionale eſt occaſio proxima peccandi ſenſualiter, teneatur abſtinere ab audiendis confeſſionibus: Contra Chirurgus, cui eſt occaſio proxima curatio fœminarum, ſi non poſſit aliter juxta ſuum ſtatum vivere, quia talis occaſio proxima cenſetur involuntaria, debet tantum reddere illam ſibi remotam, prout explicavimus. Et idem dicas de Parocho, qui ex officio tenetur Confeſſiones audire; non ſecus ac filiusfamilias, qui non poteſt ſejungi a ſorore, vel famula, cum qua ſæpe peccat. In hoc enim caſu conſilium eſſet, non præceptum peregrinari, aut domo fugere, niſi quando alio modo eſſet moraliter impoſſibile peccatum vitare, quibuſcumque aliis remediis adhibitis; quandoquidem bonum eſt ſine oculo ad vitam intrare, quam duos oculos habentem mitti in gehennam.

X. Ubi adverte, non ſolum fugiendam eſſe occaſionem proximam certam, ſed etiam dubiam; tum quia etiam occaſio proxima dubia exponit (quamvis non adeo proxime) periculo peccandi; tum etiam, quia qui ſcienter facit opus, quod eſt dubium, an ſit licitum, procul dubio peccat, niſi prius illud deponat. Ita Leand., Lopez, & alii.

XI. Quæritur demum, an teneamur cum propoſito conjungere in confeſſione expreſſos actus fidei, & ſpei? Præſertim cum Trident. dicat, propoſitum conjungi debere cum ſpe veniæ.

Reſpondeo cum Leand. tract. 8. de



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Pœnitent. diſp. 1. quæſt. 48., qui pro ſe citat Sanch., Bonac. Filliuc., Valent., contra Hurtad., Turrian., & alios, non requiri hos actus expreſſos, cum numquam fideles, nec confeſſarii fuerint de iis ſolliciti; ſicut ſolliciti ſunt de dolore: Quare vel ſufficit actus fidei, & ſpei præteritus non retractatus, vel actus fidei, & ſpei imbibitus in ipſo dolore. Nam qui dolet ex motivo ſupernaturali, cognoſcere debet, atque adeo credere Deum Judicem, & remuneratorem, & qui dolet ex motivo pœnarum inferni, ſperat aliquo modo beatitudinem.

XII. Dubium eſt; Quænam fides prærequiratur ad Sacramentum Pœnitentiæ valide recipiendum.

Reſpondeo, damnatam eſſe ab Innoc. XI. propoſitionem 64., quę dicit: *Abſolutionis capax eſt homo, quantumvis laboret ignorantia myſteriorum fidei, & etiamſi per negligentiam, etiam culpabilem, neſciat myſterium Sanctiſſimæ Trinitatis, & Incarnationis.* Thomas Sanchez nixus in Symbolo D. Athanaſii putat, eſse neceſsariam neceſsitate medii fidem explicitam circa hæc duo myſteria Trinitatis, & Incarnationis poſt promulgationem Evangelii; & conſequenter non poſſe valide hoc Sacramentum ſuſcipi non præmiſſa fide horum Myſteriorum; ſicut non poteſt valide ſuſcipi Sacramentum Pœnitentiæ non præmiſso Baptiſmo, nec poteſt homo per Baptiſmum aut flaminis, aut fluminis juſtificari, non præmiſsa fide ſupernaturali myſteriorum, quæ neceſsitate medii credenda ſunt: Alii vero communius cenſent, neceſsitate medii eſse ſolum neceſsariam fidem Dei, & Dei Remuneratoris, juxta illud Apoſtoli, *Accedentem ad Deum oportet credere quia eſt, & quia inquirentibus ſe remunerator eſt*; (damnatur enim ab Innoc. XI. propoſitio 21. dicens: *Nonniſi fides unius Dei neceſſaria videtur neceſſitate medii, non autem explicita Remuneratoris*) neceſſitate vero præcepti eſſe neceſſariam fidem explicitam myſteriorum Trinitatis, & Incarnationis. Quare certum eſt, quod qui culpabiliter ea myſteria ignorat, indiſpoſitus eſt ad Sacramentum recipiendum; & quamvis illum pœniteat de hac ignorantia, non proinde capax eſt Sacramenti pœnitentiæ, donec illa myſteria cognoſcat; quia debet Sacramentum recipere, cognoſcendo illud eſſe inſtitutum a Chriſto Domino Filio Dei per merita ſuæ paſſionis; Unde explicite cognoſcere debet, Deum eſſe Trinum, & Filium Dei Incarnatum.

XIII. Damnatur etiam ab Innoc. XI. propoſitio 65. dicens: *Sufficit illa myſteria* (ſcilicet Trinitatis, & Incarnationis) *ſemel credidiſſe:* Quod duplicem ſenſum habet, primo, quod non ſatis ſit ea credidiſſe, ſi deinde eorum oblivio, & ignorantia habeatur. Secundo, quod non ſatis ſit, ea credidiſſe ſemel in vita; ſicut enim damnata fuit propoſitio 6. dicens: *Probabile eſt, ne ſingulis quidem rigoroſe quinquenniis per ſe obligare præceptum charitatis*: & propoſitio 17. *Satis eſt, actum fidei ſemel in vita elicere:* Ita damnatur hæc propoſitio dicens, quod ſatis ſit, myſteria Trinitatis, & Incarnationis ſemel in vita credidiſſe, cum debeat hujuſmodi actus fidei iterari. Sed quod attinet ad theſes iſtas, aliaſque proſcriptas, conſule, quæ fuſius explicavi in Trutina damnatarum Theſium.

QUÆ-

# QUÆSTIO IV.

## De Confeſſione Sacramentali.

SEcunda pars materiæ proximæ Sacramenti Pœnitentiæ eſt Confeſſio; De hac itaque examinabimus, primo, ſitne neceſſaria neceſſitate medii? Secundo, an ſit neceſſaria neceſſitate præcepti Divini? Tertio, an ſit etiam neceſſaria neceſſitate præcepti Eccleſiaſtici? Quarto demum, quænam, & qualis ſit confeſſio, quæ præcipitur? Rejicimus tamen ad ſequentem quæſtionem præcipuam Confeſſionis conditionem, quæ eſt integritas, de qua plurima occurrunt diſcutienda.

### ARTICULUS I.

An Confeſſio ſit neceſſaria neceſſitate medii?

*I. Quidnam dicatur neceſſarium neceſſitate medii, quid vero neceſſitate præcepti?*
*II. Num Confeſſio neceſſitate medii ſit neceſſaria, ſaltem in voto?*
*III. Votum pœnitentiæ implicitum in contritione incluſum ſufficit ad juſtificationem.*
*IV. Diverſimode ad ſalutem requiritur votum Pœnitentiæ, & votum reſtitutionis.*

I. SUppono, illud dici neceſſarium neceſſitate medii ad ſalutem, ſine quo etiam invincibiliter omiſſo ſalus obtineri non poteſt, ut eſt gratia, Baptiſmus ſive in re, ſive in voto ſuſceptus, & in adultis fides actualis Dei Remuneratoris. Neceſſarium vero neceſſitate præcepti dicitur illud, ad quod ſub mortali obligamur; Unde requiritur, ne ſit obex ſaluti; ut eſt reſtitutio, jejunium, &c. quod proinde ſi inculpabiliter omittatur, non idcirco ſalus æterna amittitur. Et hinc ſequitur, ea, quæ ſunt neceſſaria neceſſitate medii, concurrere ad ſalutem poſitive, quatenus ponunt id, quod ad ſalutem diſponit; ea vero, quæ ſunt neceſſaria neceſſitate præcepti, concurrere ad ſalutem negative, quia efficiunt, ne in mortale labamur, quod impedit ſalutem.

II. Quæritur nunc primo; Sitne Confeſſio Sacramentalis neceſſaria neceſſitate medii, & Quomodo?

Reſpondeo, de fide eſſe, Confeſſionem lapſis poſt Baptiſmum eſſe neceſſariam neceſſitate medii poſt Incarnationem, non tamen determinate in re, ſed disjunctive, ſive in re, ſive in voto.

Prima pars probatur ex Trident. ſeſſ. 14. cap. 2., ubi hæc habentur: *Eſt autem hoc Sacramentum Pœnitentiæ lapſis poſt Baptiſmum ad ſalutem neceſſarium; ut nondum regeneratis ipſe Baptiſmus*; Atqui Baptiſmus eſt neceſſarius neceſſitate medii; ergo etiam Pœnitentia. Secundo probatur ex Suar., & Dicaſt., quia alioquin fruſtranea eſſet poteſtas retinendi peccata, quam dedit Chriſtus Dominus Sacerdotibus: Quomodo enim poſſent Sacerdotes peccata retinere, ſi poſſet peccator alia via ſe vinculis expedire?

Se-

Secunda pars conſtat etiam ex Trident., quod ſeſſ. 14. cap. 4. habet: *Contritionem charitate perfectam aliquando reconciliare hominem Deo, priuſquam Sacramentum actu recipiatur*: Et addit, *Reconciliationem Deo ipſi contritioni, ſine Sacramenti voto, quod in illa includitur, non eſſe aſcribendam*; ergo confeſſionis votum incluſum in Contritione ſatis etiam eſt ad ſalutem; non ſecus ac ſatis eſt ad ſalutem Baptiſmus flaminis, ſeu Baptiſmi votum incluſum in amore Dei ſuper omnia; atque adeo non eſt neceſſarium neceſſitate medii Sacramentum Pœnitentiæ determinate in re, ſed indeterminate, vel in re, vel in voto ſuſceptum.

III. Quæritur ſecundo; An votum Pœnitentiæ debeat eſſe explicitum?

Reſpondeo cum communi contra Canum, ſatis eſſe votum implicitum: Ratio eſt, quia ex Trident. ad juſtificationem extra Sacramentum non requiritur aliud votum, quam quod includitur in contritione. Quare, ſi quis poſt lapſum amet Deum ſuper omnia, & de peccatis conteratur, proponatque omnia præcepta ſervare, juſtificabitur, etiamſi non occurrat menti cogitatio confeſsionis, atque adeo non proponat explicite confeſsionem peccatorum: Etenim propoſitum non peccandi de cætero includit implicite votum, ſeu propoſitum ſervandi omnia præcepta; cum autem inter præcepta ſit præceptum confeſsionis, ideo in eo propoſito non peccandi de cætero implicite votum, ſeu propoſitum confitendi includitur.

Confirmatur, quia ex D. Th. 3. part. quæſt. 69. art. 4. ſatis eſt ad juſtificationem votum implicitum Baptiſmi incluſum in amore Dei ſuper omnia; Unde qui ignorans invincibiliter Baptiſmum credit myſteria neceſſaria, & concipit affectum amoris, & contritionis ſine voto explicito Baptiſmi juſtificatur; ergo etiam ſatis eſt votum implicitum Pœnitentiæ.

IV. Neque dicas, hinc ſequi eodem modo requiri ad ſalutem votum confeſſionis, ac votum, verbi gratia, reſtitutionis, atque adeo ſicut reſtitutio non eſt neceſſaria neceſſitate medii, ita nec confeſſio; Vel ſi dicatur neceſſaria neceſsitate medii ei, qui peccavit, Confeſsio, ſaltem in voto, quia requiritur contritio, quæ eſt votum adimplendi hoc præceptum; ita pariter ei, qui furatus eſt, erit neceſſaria neceſsitate medii reſtitutio, ſaltem in voto, quia requiritur contritio, quæ eſt votum adimplendi præceptum reſtitutionis.

Nam reſpondeo, Confeſsionem ei, qui peccavit, eſſe neceſſariam neceſſitate medii, ſaltem in voto, non vero reſtitutionem ei, qui furatus eſt. Ratio eſt, quia confeſsio directe, & per ſe influit ad juſtificationem, unde votum illius eſt votum influentis per ſe, & directe ad gratiam, & ſic ad ſalutem; Deus enim ex ſua Miſericordia voluit gratiam, & ſalutem concedere vel per confeſsionem, vel ſaltem per contritionem, inquantum eſt votum confeſsionis: Contra vero reſtitutio non influit per ſe, & directe ad juſtificationem, ſed ſolum requiritur, ne impediat ſalutem: Unde votum reſtitutionis incluſum in contritione non requiritur tamquam ſupplementum ejus, per quod danda eſt ſalus, ſicut eſt votum confeſsionis, ſed requiritur ſolum, ne ſalutem impediat: Unde non dicitur neceſſaria neceſsitate medii, ſed præcepti.



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

## ARTICULUS II.

### Quomodo Confeſſio Sacramentalis ſit neceſſaria neceſſitate præcepti divini?

*I. Jure divino poſitivo præcepta nobis eſt Confeſſio.*

*II. Hoc præcepto ligantur omnes, & ſoli Fideles poſt lapſum: Præceptum vero Communionis etiam Infideles ligat, ita ut etiam vi hujus præcepti debeant baptizari.*

*III. Quandonam obliget præceptum divinum Confeſſionis?*

*IV. Quomodo Medici monere debeant infirmum de confeſſione facienda?*

I. DE fide eſt, Confeſſionem mortalium non ſolum eſſe a Chriſto Domino inſtitutam, ſed etiam ab eodem præceptam; unde jure divino obligat. Conſtat ex Trident. ſeſſ. 14. can. 6., ubi habetur: *Si quis negaverit, Confeſſionem Sacramentalem vel inſtitutam, vel ad ſalutem neceſſariam eſſe jure divino, &c. Anathema ſit.* Unde infertur, non jure divino naturali, ſed jure divino poſitivo eſſe præceptam; tum quia ex nullo capite probari poteſt hoc præceptum naturale; tum etiam, quia Sacramentum Pœnitentiæ non eſt de jure naturæ, ſed ex ſola divina inſtitutione, quæ ſolum in novo teſtamento locum habet. In veteri autem teſtamento, quamvis fuerit lex offerendi Sacrificium pro peccato, immo & confitendi aliqua peccata ad auferendas aliquas irregularitates annexas; nunquam tamen fuit inſtituta, aut præcepta confeſſio ſingulorum mortalium, etiam internorum in ordine ad remiſſionem quoad culpam.

II. Quæritur nunc primo; Quinam obligentur præcepto divino Confeſſionis?

Reſpondeo, omnes, & ſolos lapſos in mortale poſt Baptiſmum obligari, ut habetur ex Trident. ſeſſ. 14. cap. 5. Quare de fide eſt, etiam Hæreticos, & Apoſtatas hoc præcepto aſtringi: quamvis enim non ſint Chriſtifideles, ſed Infideles; ſunt tamen lapſi in mortale poſt Baptiſmum. Communis etiam ſententia docet, Infideles non baptizatos hoc præcepto non obligari ex defectu materiæ, quia ſcilicet non habent peccata commiſſa poſt Baptiſmum, quæ confiteri teneantur. Unde infero, præceptum divinum Communionis latum iis verbis, *Niſi manducaveritis carnem filii hominis &c.*, ligare omnes, etiam Infideles, qui etiam ex hoc capite tenentur baptizari, ut ſatisfaciant præcepto Communionis; At non tenentur baptizari, ut ſatisfaciant præcepto Confeſsionis; quia non tenentur poſt Baptiſmum ad Confeſsionem abſolute, (ſicut tenentur ad Communionem) ſed ſolum ſub conditione, quod poſt Baptiſmum peccaverint.

III. Quæritur ſecundo; Quo tempore præceptum divinum Confeſsionis obliget?

Reſpondeo, certum eſſe obligare in articulo, vel probabili periculo mortis, ut communiter docent Doctores; quia aliter exponeret ſe peccator periculo nunquam confitendi, & adimplendi hoc præceptum. Extra articulum vero mortis præceptum hoc divinum non obligare per ſe cenſent D. Th., Scotus, aliique graves Theologi cum Dicaſt. diſp. 7. dub. 2. quia ſcilicet nullum eſt fundamentum talis obligationis; cum poſſit vi contritionis peccator ſe Deo reconciliare. Verum communius docent cum Suario, etiam extra articulum mortis obligare, quia gravis injuria videtur irrogari tali Sacramento, ſi nunquam peccator eo utatur; præſertim quia de contritione ex ſe difficili non habetur fir-

firma ſecuritas.

Dubium tamen eſt; Quandonam extra articulum mortis obliget? Alii putant, quod tempore ab Eccleſia determinando; Alii ſtatim poſt peccatum commiſſum; Alii quoties periculum eſt, ne peccator peccati commiſſi obliviſcatur. Equidem cenſeo juxta dicta quæſt. 3. art. 1., cum de obligatione contritionis extra mortis articulum, arbitrio prudentis tempus hoc decernendum inſpiciendo neceſſitatem, & opportunitatem, quam habet peccator illud ſuſcipiendi.

Demum præceptum divinum Confeſsionis obligat per accidens, tum antequam ſumatur Euchariſtia; tum etiam in eventu, quo aliter ſuperari moraliter non poſſet tentatio, aut reincidentia in peccatum.

IV. Sciendum hic, quod ut præcepto Confeſsionis in articulo mortis ab omnibus ſatisfiat, voluit poſt Conſtitutionem Innocent. III. Pius V. anno 1566., ut juramentum exigatur a Medicis ante gradum doctoratus, quod monituri ſint infirmos, ut confiteantur, & quod non ſint illos viſitaturi ultra tertium diem, niſi ipſis conſtet de facta confeſsione per fidem in ſcriptis. Et in hac Neapolitana Diœceſi tranſgreſsio hujus juramenti reſervatur ſine cenſura.

Advertendum tamen ex Suar., Sanch. & aliis relatis a Dian. part. 3. tract. 4. reſol. 43. primo, Medicum poſſe per alios fide dignos infirmum monere. Secundo non teneri ad hanc monitionem, niſi infirmitas ſit gravis, vel in principio ſit morale periculum, quod fiat gravis. Tertio, non teneri monere, nec deſerere infirmum, ſi nulla ſit ſpes, quod ille ſit confeſſurus, & probabile mortis periculum immineat, ſi deſeratur. Quarto, in uſu jam eſſe, ut medicus non exigat in ſcriptis fidem confeſsionis, ſed ſatis ſit teſtis fide dignus: Juramentum denique ſervandi hanc conſtitutionem Pii V. non obligat, niſi ad ſervandam prout jam uſu recepta eſt.

## ARTICULUS III.

### De Præcepto Eccleſiaſtico annuæ Confeſsionis.

*I. Sub quibus pœnis Eccleſia Confeſſionem quotannis præcipiat?*
*II. Num Eccleſia ad Confeſſionem annuam obliget eos, qui mortaliter non deliquerunt?*
*III. Num ſaltem iſti præſentare ſe debeant Parocho?*
*IV. Quomodo relate ad hanc obligationem annus computandus ſit.*
*V. Qui aliquo anno Confeſſionem omiſit, ad quid deinde tenetur?*
*VI. An teneatur prævenire, qui prævidet defuturam copiam Confeſſarii?*
*VII. Præcepto Eccleſiaſtico Confeſſionis obligantur etiam Hæretici Excommunicati, Meretrices, Pueri, dummodo ſint doli capaces.*
*VIII. Impuberes non incurrunt pœnas latas contra hujus præcepti tranſgreſſores.*
*IX. Pœnæ iſtæ quænam ſint? Et an ipſo facto incurrantur? An etiam ab eo, qui ficte confitetur?*
*X. Num teneamur confiteri aut per Interpretem, aut per Scripturam, ſi aliter non poſſimus?*
*XI. Quibus de cauſis a Confeſſione annua excuſari poſſimus?*

I. Confeſsionem ſingulis annis præceptam eſſe ab Eccleſia definit Trident. ſeſſ. 14. cap. 5., & can. 8. contra Durand., qui putavit eſſe conſilium, non præceptum. Quod conſtat etiam, quia ejus tranſgreſſores gravibus pœnis puniuntur. Nam *Viventes arceantur ab ingreſſu Eccleſiæ, & morientes careant Eccleſiaſtica ſepultura*, ut habetur in cap.. *Omnis utriuſque*

*uſque ſexus*: Quamvis iſtæ pœnæ latæ contra tranſgreſſores præcepti ſive Confeſsionis, ſive Communionis annuæ ( ut notat Suar. diſp. 35. ſect. 8. ) non incurruntur ipſo facto, ſed poſt ſententiam judicis quicquid in contrarium nonnulli putent, docentes cum Avila 2. p. cap. 2. Sylv. & aliis cenſuram incurri ipſo facto, quoties fertur per verbum Imperativi modi, quin ſignificetur miniſterium Judicis, ut ea pœna infligatur; puta ſi dicatur: Qui hoc fecerit, excommunicetur. In diœceſi autem Neapolitana non ſolum incurritur ipſo facto tale Interdictum, ſed etiam Archiepiſcopo reſervatur. Præterea per confeſſionem voluntarie nullam, & per communionem Sacrilegam his Eccleſiaſticis præceptis non ſatisfieri definierunt Alex. VII., & Innoc. XI. Eſto ſatisfiat, ut diximus quæſt. 3. art. 3. cum communi contra Vaſq. per Sacramentum Pœnitentiæ, ſicut etiam Euchariſtiæ, validum, & informe. Demum quamvis præceptum Confeſſionis ſit divinum, certum tamen eſt, relate ad circumſtantiam temporis eſſe Eccleſiaſticum; Sicut etiam certum eſt contra Adrian., præceptum Confeſſionis annuæ obligare per ſe, & non per accidens, (puta ratione Euchariſtiæ ſemel in anno ſumendæ ) ut conſtat ex Trident. loc. citat. Ubi nulla Euchariſtiæ fit mentio.

II. Quæritur nunc primo; An præcepto Confeſſionis annuæ teneantur etiam ii, qui nullius mortalis ſunt ſibi conſcii?

Reſpondeo negative cum communiſſima ſententia contra Bonaventuram Alenſem, Riccardum, & alios antiquos. Patet ex Trident. ſeſſ. 14. cap. 5., ubi docet, per Eccleſiaſticum præceptum præſcribi ſolum tempus, quo præceptum divinum de Confeſſione tenemur implere; Atqui præceptum divinum ex eodem Concilio non eſt de venialibus, ſed ſolum de mortalibus confitendis; ergo qui caret mortali, nullatenus tenetur præcepto divino, & conſequenter etiam Eccleſiaſtico Confeſſionis. Et idem communius docent Doctores cum Suar. contra Rodriq., Sanch. alioſque de eo, qui lucraturus eſt jubilæum, vel indulgentiam, ad quam lucrandam præſcribitur Confeſſio, & Communio: non enim imponitur confeſſio, ſicut imponitur eleemoſyna, & Communio, ſcilicet tamquam opus injunctum, ſed imponitur eo modo, quo præcipitur a Chriſto Domino, ut reconciliativa cum Deo; atque adeo qui nullius mortalis eſt conſcius, non tenetur ad illam.

III. Utrum autem qui in Paſchate non confitetur ex defectu mortalium, debeat ſe ſiſtere coram Parocho, & illi dicere, ſe non habere conſcientiam mortalium?

Affirmant D. Th., Scotus, Suar., Henr., aliique: Sed probabilius puto cum Vaſq., Lug., Fagund., & aliis apud Leand., non teneri ex vi præcepti Confeſſionis, ſed ſolum teneri ex vi ſcandali ſedandi, ſi quod occurrat; quia non debet proprius Paſtor cognoſcere vultum ſuæ ovis, niſi in judicio Confeſſionis; ergo ſi ceſſat obligatio talis judicii, ceſſat pariter obligatio comparendi apud proprium Paſtorem.

Sequitur ex dictis primo, quod qui præter venialia habet aliquod mortale, quod ex juſta cauſa non tenetur in confeſſione aperire, neque aſtringatur præcepto confeſsionis, ſed ſatis ſit, quod contritionem Communioni præmittat.

Sequitur ſecundo, quod qui confeſſus eſt venialia per annum, oblitus alicujus mortalis, quando recordatur illius, teneatur ante finem anni ad confeſsionem; quia per confeſsionem venialium non ſatisfecit huic præce-

pto: Quod tamen eſt contra nonnullos apud Dian. part. 4. tract. 4. reſol. 206. qui putant ſatisfeciſſe.

Sequitur tertio, quod qui confeſſus eſt ſemel in anno, & deinde iterum in mortalia incidit, non teneatur iterum eo anno ad confeſsionem; quia præcipitur confeſsio mortalium ſemel in anno. Ita Lug., Leand., Vaſq.: Quod tamen eſt contra Suar., & alios, qui putant præcipi ſingulis annis confeſſionem omnium mortalium, quæ eo anno commiſſa ſunt, non vero omnium mortalium, quæ ad validam confeſsionem ſemel faciendam fateri neceſſe eſt. Unde putant teneri iterum ad confeſſionem eum, qui ante finem anni poſt primam confeſsionem iterum labitur in mortale, vel recordatur mortalis obliti, vel poteſt deinde, ſublato impedimento, confiteri mortale, quod juſta de cauſa in prima confeſsione reticuit.

Ex quibus etiam ſequitur, quod abſolutus a reſervatis indirecte in caſu neceſsitatis propter ſcandalum vitandum, vel communionem urgentem, a non habente poteſtatem in reſervata, teneatur infra annum proprio Prælato iterum confiteri. Et ratio eſt, quia Eccleſia præcipit, ut quiſque ſemel in anno proprio Sacerdoti confiteatur, ut habetur in cap. *Omnis utriuſque ſexus*. Nomine autem proprii Sacerdotis venit, qui vel ordinariam, vel delegatam poteſtatem habet abſolvendi pœnitentem ab omnibus ejus peccatis; ergo cum abſolutus indirecte a reſervatis non ſit confeſſus proprio Sacerdoti, tenetur iterum infra annum confiteri.

IV. Quæritur ſecundo, quomodo computandus ſit annus a Januarione ad Januarium juxta Vaſq., Becan., Lug.; Dian., An ab uno Paſchate ad alterum, ut cenſent Leand., Suar., Filliuc., Laym.; An vero a die ultimæ confeſsionis, cum Sot., Granad.; An demum cum aliis a primo peccato mortali, quod poſt ultimam confeſſionem commiſſum eſt?

Reſpondeo, probabilem eſſe ſententiam Suar., quod ab uno Paſchate ad alterum; quia ſic ſolet a fidelibus communiter computari annus pro impletione hujus præcepti: Sed probabilior videtur ſententia Vaſq., quod a Januario ad Januarium; quia præcipitur in Cap. *Omnis utriuſque ſexus*, quod ſemel in anno, non vero ſemel infra annum, vel duodecimo quoque menſe quiſque confiteatur; ergo cum annus cumputari ſoleat a Januario ad Januarium, probabile eſt, ut inquit Lug., quod qui hoc anno confeſſus eſt primo die Januarii, & anno ſequenti confitetur ultimo die Decembris, huic præcepto ſatisfaciat; Eſto videatur differre confeſsionem per duos annos: Per accidens tamen obligari poſſet in Paſchate ad confeſsionem ratione Euchariſtiæ ſumendæ.

V. Quæritur tertio; An qui culpabiliter, vel inculpabiliter omiſit aliquo anno confeſsionem mortalium, teneatur ad illam ſtatim in initio anni ſequentis, an poſsit illam uſque ad finem ſequentis anni differre?

Reſpondeo, aliquos cum Sylveſt.; & D. Antonino apud Dian. part. 2. tract. 4. reſol. 130. putare, obligationem hanc tranſacto anno finire; ſicut obligatio recitationis officii elapſo die ceſſat: Quod probabile tenet Filliuc.. Communis tamen ſententia cum Vaſq., Suar., aliiſque docet oppoſitum; quia univerſim terminus præfixus alicui operi, ſive ex præcepto, ſive ex voto, &c., vel præfigitur ut terminus executionis, ultra quem ſcilicet non differatur executio; ut ſi quis voveat ingreſſum religionis ante finem hujus anni; Vel ut terminus obligationis, ultra quem ſcilicet nulla ſit obligatio, ut cum præcipitur die feſto auditio miſſæ. Hoc autem quo-

mo-

modo diſcerni poſſit, explicant Suar. diſp. 36., & Sanch. lib. 4. Summæ cap. 14., dicendo, id colligi ex materia, fine, aliiſque circumſtantiis voti, vel præcepti. In caſu noſtro terminus præfixus confeſſionis eſt terminus executionis, non obligationis; ut patet, quia præcipitur, quod ſaltem ſemel in anno quiſque confiteatur, quod eſt dicere, quod ultra annum non differatur confeſſio; ergo elapſo anno ſine confeſſione tenetur peccator ſtatim initio anni ſequentis ad Confeſſionem; Non ſecus ac qui omiſit reſtituere, quando debebat, tenetur deinde ſtatim ad reſtitutionem; ita ut vel ſit novum peccatum, quoties de novo, oblata opportunitate confitendi, non confitetur, ut docet Bonac.; vel (ut putant Laym., Leand., Valent.,) augeat prius peccatum, & tanto magis augeat, quanto diutius differt: ut ſi quis per integrum diem perſeveraret in mala voluntate occidendi; unde quando confitetur, ſatis eſt, ſi dicat tempus, quo culpabiliter omiſit confiteri.

Confirmatur; tum quia finis Eccleſiæ præcipientis confeſſionem annuam eſt tollere infrequentiam Confeſſionis; tum quia ſolet ea excommunicare tranſgredientes hoc præceptum, nec abſolvere non præmiſſa confeſſione; ergo ſignum eſt, Confeſſionis obligationem elapſo anno non deſinere: Contra vero, in articulo mortis, ſi quis omittat confeſſionem præceptam, non tenetur elapſo periculo mortis quamprimum confiteri; (quicquid in contrarium ſentiat Henr.) quia præceptum obligat ſolum pro illo periculo, ut docent communiter cum Leand. quæſt. 45.

Utrum autem qui initio anni ſatisfacit præcepto Confeſſionis pro elapſo anno, eo quod anno elapſo ob juſtam cauſam non potuerit confiteri, ſatisfaciat unica confeſſione præcepto utriuſque anni?

Affirmant Pal., Leand., Con., & alii; Negat vero communis Doctorum ſententia cum Suar., Bonac., Becan., Sot., Martin., Navar., aliiſque ex D. Th. Ratio affirmantium eſt; quia vere hoc anno ſatisfecit obligationi confitendi ſemel in anno. Ratio negantium eſt; quia per illam confeſſionem ſatisfecit pro obligatione anni præcedentis, & conſequenter pro obligatione anni præſentis debet iterum confiteri: Sicuti ſi quis voveat facere eleemoſynam ſingulis diebus, ſi uno die omittat illam, tenetur die ſequenti ad duas eleemoſynas, & poſt viginti dies ad viginti.

Probabilior tamen, & juxta uſum Eccleſiæ videtur ſententia affirmativa, quam ſequuntur etiam Hurtad., Perez, & alii; dummodo in ea confeſſione, quæ fit pro anno præterito, aperiantur etiam mortalia præſentis anni. Quod ſi nullum in ea mortale anni præſentis habeatur, & deinde incidat pœnitens hoc anno in mortale, videtur, quod debeat iterum confiteri eodem anno.

VI. Quæritur quarto; An teneatur in principio anni confiteri, qui prævidet, defuturam ſibi deinde opportunitatem, aut obliturum peccata commiſſa?

Reſpondeo, certum eſſe non teneri ad præveniendum, ne obliviſcatur peccata commiſſa, ut docent communiter Doctores apud Dian. part. 3. tract. 4. reſol. 155. contra Majorem, Medin. Marſil., Nugn.. Ratio eſt, quia tantum obligamur confiteri peccata, quæ memoriæ occurrunt; quod ſi teneremur ſtatim confiteri, quando eſt periculum, ne obliviſcamur peccata, ſequeretur, quod fideles communiter tenerentur pluries in anno confiteri; quod eſt contra ſenſum Eccleſiæ: Contra vero, ſi ſit in fine anni defutura opportunitas confeſſio-

 nis,

nis, tenemur in principio anni currentis prævenire. Et ratio eſt, quia præceptum obligat pro toto anno in ea parte anni, in qua poſſumus. Eodem pacto diſcurrendum de auditione Sacri; Tenemur enim primo mane audire Sacrum, ſi deinde ſit defutura opportunitas. Idem dicas de Communione, (quæ tantum obligat per quindecim dies Paſchatis) tenetur pariter die Palmarum communicare, qui deinde non poſſet.

Circa recitationem officii exiſtimat Henr. lib. 4. cap. 4., & probabile putat Leſſ., & Sanch., quod qui veſpere propter febrim, vel aliud impedimentum neceſſarium non poteſt recitare veſperas, non teneatur illas recitare mane; quia horæ canonicæ ſunt addictæ ſuo tempori determinato, & pro illo tantum tempore obligant, & ſolum ex privilegio permittitur illarum anticipatio. Quare ſi impedimentum non eſt voluntarium, non tenemur ad illarum recitationem; Sicut qui ſuſcipit ſubdiaconatum hora tertia, non tenetur illo die ad matutinum, & primam.

Alii tamen putant probabilius, quod impeditus recitare veſperas ſuo tempore debeat illas recitare mane; ſicut etiam recitare matutinum veſperi, qui non potuit mane; quia totus dies aſſignatur pro recitatione omnium horarum ejus diei, & diſtributio horarum non pertinet ad ſubſtantiam præcepti, ſed ad quandam circumſtantiam, & ad convenientiam. Quia tamen procul dubio eſt privilegium poſſe recitare ante ſolis occaſum matutinum ſequentis diei, ideo qui ſequenti die non poteſt illud recitare, non obligatur ad præveniendum.

An autem qui nequit toto anno confiteri, teneatur prævenire in fine anni antecedentis confeſſionem? & eodem modo, ſi nequit communicare in quindecim diebus Paſchatis, teneatur ante illos communicare? Azor. negat; tum quia non eſt ea praxis Eccleſiæ; tum etiam quia qui non poteſt audire Sacrum die dominico, non tenetur anticipare die Sabbati. Sed Leand., Fagund., Suar., Vaſq., & alii communiter affirmant; quia obligatio Confeſſionis, ſicut & communionis non eſt affixa tempori determinato, ſicut eſt affixa obligatio audiendi Sacrum. Quare ſicut non tenetur audire Sacrum die lunæ, qui non potuit die dominico, ita nec tenetur prævenire die Sabbati, ſi habiturus eſt impedimentum die dominico: Contra vero ſicut tenetur anno ſequenti confiteri, qui non potuit confiteri intra annum; ita qui prævidet per totum annum impediendum fore, vel navigando, vel ex alio capite, tenetur prævenire anno antecedenti confeſſionem mortalium poſt ultimam confeſſionem commiſſorum. Idem dicendum de eo, qui habens reſervata prævidet, ſe non habiturum opportunitatem adeundi Superiorem pro abſolutione; quia obligamur confiteri ſemel in anno proprio Sacerdoti, ſeu confeſſario habenti poteſtatem abſolvendi omnia mortalia commiſſa; atque adeo habens reſervata tenetur directam abſolutionem procurare a Superiore.

VIII. Quæritur quinto; Quinam obligentur præcepto Confeſſionis Eccleſiaſtico?

Reſpondeo, omnes fideles, ſeu baptizatos, qui poſt uſum rationis mortalia commiſerunt, a quibus non ſint directe abſoluti, hoc præcepto obligari, ut conſtat ex Cap. *Omnis utriuſque ſexus*: Infideles vero, qui Baptiſmum non ſuſceperunt, cum non ſint ſubditi Eccleſiæ, non obligantur.

Summus Pontifex eo præcepto obligatur, non per vim coactivam, ita ut teneatur ſubire pœnas debitas tranſgreſſoribus; cum legislatores non te-



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

teneantur vi coactiva ſuas leges ſervare; ſed per vim directivam; cum ex vi legis naturalis teneatur caput membris ſe conformare ad bonum regimen, & directionem illorum, ut communiter docent Doctores in tractatu de Legibus. Ratio eſt, quia Princeps cum non ſit ſibi ſubditus, non poteſt ſe ipſum obligare, ſed ex conditione Principis provenit, ut jus naturale dictet, Principem debere pati legem, quam ipſe ſuis ſubditis imponit, *leg. 1. ff. quod quiſque juris*, & *cap. Cum omnes de Conſtitutionibus*. Quod tamen intelligendum, ſi ratio legis æque in utriſque locum habeat; Unde Princeps non poteſt pro arbitrio ſe ſuis legibus eximere, ſed tantum juſta de cauſa; aliter peccabit. Notant etiam Doctores cum Leſſ., & Pal., quod ſi Princeps ſine juſta cauſa uno, vel altero actu contra ſuam legem faceret, non peccaret mortaliter, ſi ſcandalum abeſſet; quia cum non teneatur ea lege, niſi quia debet caput ſuis membris ſe conformare, non videtur gravis deordinatio, quod, ſi abſit ſcandalum, in uno, vel altero actu, ſe ſuis ſubditis non conformet: Unde ſi Pontifex aliquando differret tempus ad implendam confeſſionem a Chriſto Domino præceptam, verbi gratia per annum cum dimidio, ſecluſo ſcandalo, non peccaret mortaliter: At ſubditi, etiam ſecluſo ſcandalo, tenentur legibus Superioris; Unde damnata eſt ab Innoc. XI. propoſitio 52. dicens: *Præceptum ſervandi feſta non obligat ſub mortali, ſepoſito ſcandalo, ſi adſit contemptus.*

Hæretici, utpote Eccleſiæ ſubditi, & baptizati ſine dubio obligantur ad annuam confeſſionem; præſertim quia tale præceptum eſt quoad ſubſtantiam divinum, & ſolum quoad circumſtantiam temporis Eccleſiaſticum.

Excommunicati tenentur tollere vinculum excommunicationis, ut huic præcepto ſatisfaciant. Ita Laym., licet multi contrarium ſentiant cum Dian. part. 11. tract. 7. reſol. 14.

Meretrices, & publici peccatores etiam ad Confeſſionem annuam tenentur; ſicut hæretici. Neque obſtat, quod hoc præceptum ob eorum pervicaciam ſit illis in perniciem, & deſtructionem, non in ædificationem. Nam, ut aliquod præceptum ſit rationabile, & ad ædificationem, ſatis eſt, ſi ſit utile toti communitati, licet noceat alicui ob ſuam perverſitatem. Probabile tamen eſt, quod nonnulli docent cum Vivald., Rodriq. & aliis apud Fagund. 2. pr. lib. p. cap. 4. meretrices non incurrere pœnas latas contra tranſgreſſores talis præcepti; tum quia nunquam ſolent denunciari, etiamſi per multos annos non confiteantur; tum etiam quia earum miſerrimus ſtatus ab Eccleſia permittitur ad vitanda majora damna; non diceretur autem permitti, ſi ab Eccleſia punirentur pœna maxima excommunicationis.

Demum pueri obligantur ad annuam confeſſionem, quando habent uſum rationis, ſuntque doli, & peccati capaces; ſeu cum cor incipit malefacti pudere: Quod conſtat ex verbis citati Capitis dicentis: *Cum ad annum diſcretionis pervenerint*: Anni autem diſcretionis communiter tam in maſculis, quam in fœminis incipiunt anno ſeptimo, atque adeo multo ante pubertatem, quæ fere habetur anno 14. a maſculis, & 12. a fœminis. Et ſane præceptum confeſſionis, cum ſit divinum, obligat omnes peccati mortalis capaces; Cum ergo poſt ſeptennium ſoleant eſſe capaces peccati mortalis pueri, etiam poſt ſeptennium obligantur ad Confeſſionem præceptam a Deo, & conſequenter etiam ad confeſſionem annuam determinatam ab Eccleſia; ſicut etiam tenentur audire miſſam, & abſti-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

abſtinere a carnibus: Quicquid contradicant Sot., & Henr.

Neque dicas, pueros non obligari præcepto communionis poſt ſeptennium; ergo neque præcepto Confeſſionis.

Nam Eccleſia in dicto capite excludit a Præcepto Communionis pueros per ea verba, *Niſi ex conſilio Confeſſoris duxerit differendam*. Eſt autem prudenter conſuetudine introductum, ut a Communione abſtineant pueri, quouſque ſciant Euchariſticum cibum a pane diſtinguere, & Dominum in eo deliteſcentem venerari, ac plene cognoſcant tanti Sacramenti dignitatem: Præſertim quia Communio non eſt adeo ſaluti neceſſaria, ſicut confeſſio.

VIII. Concedo tamen, quod pœnæ contra tranſgreſſores hujus præcepti non incurrantur ab impuberibus; quia, ut communiter Doctores docent, cum Fagund., Sanch. & aliis, lex Eccleſiaſtica univerſim non punit cenſuris, niſi adultos, quoties non comprehendit expreſſe pueros; ut videntur a Trident. ſeſſ. 25. de Regularibus cap. 5. comprehendi expreſſe, dum prohibetur illis ingreſſus intra ſepta Monaſterii ſub pœna excommunicationis. Immo Palud., Graff., & Bellochius volunt, pueros ante pubertatem nec ſubjacere reſervationi caſuum: Quod quamvis alii negent, verum tamen eſt relate ad Diœceſim Neapolitanam, ut conſtat ex tabella caſuum expoſita, in qua impuberes excipiuntur.

Si dubium ſit, An poſt ſeptennium pueri habeant uſum rationis? tenentur confiteri mortalia, illiſque dari debet ſub conditione abſolutio, ut docent Perez, Ledeſm., & Sanch.; quia cum communiter contingat uſus rationis poſt ſeptennium, præſumitur rationabiliter uſus rationis adeſſe; ſecus vero ante ſeptennium; licet in articulo mortis debeat etiam illis impertiri abſolutio ſub conditione in dubio uſus rationis. Et ſi certo conſtet de uſu rationis ante ſeptennium, certo tenentur præcepto confeſſionis annuæ, quamvis non in foro externo.

IX. Quæritur ſexto; Quibus pœnis ſubjaceant tranſgreſſores hujus præcepti Eccleſiaſtici?

Reſpondeo, in cap. *Omnis utriuſque ſexus* duas pœnas imponi omittentibus Confeſſionem annuam, & Communionem, vel omittenti alterutram ex his, ut communiter Doctores docent cum Suar., videlicet in vita arceri ab ingreſſu Eccleſiæ, & in morte privari Eccleſiaſtica ſepultura; quæ pœnæ, ut ſupra diximus numero primo, non incurruntur ipſo facto, ſed poſt ſententiam judicis, juxta communiorem cum Suario; unde debet talis tranſgreſſio in judicio probari. Præter has pœnas, ſolent Epiſcopi ex conſuetudine, ſeu per Conſtitutiones Synodales injungere pœnam excommunicationis ipſo facto incurrendam. Et quamvis Durand. putet, hujuſmodi excommunicationem non incurri ipſo facto, ſi delictum ſit occultum, quod probari non poſſit; At communiſſima, & vera ſententia docet oppoſitum; Sicut enim hæreſis externa, licet occulta, quæ probari non poſſit in judicio, ſubeſt juriſdictioni Eccleſiæ; ita etiam tranſgreſſio hujus præcepti, quamvis occulta; cum ſatis ſit, quod ſit peccatum externum: Præterquam quod poteſt facile talis omiſſio probari; Primo ſi conſtet, a nullo Confeſſario habuiſſe ſchedulam; Secundo ſi publice, & continue permaneat homo in peccato cum ſcandalo, ut in concubinatu, inimicitia, &c.

Majus dubium eſt, An incurrat hanc excommunicationem, qui ficte confitetur? ſiquidem in tali caſu pecca-

catum eſt ſolum internum, & Eccleſia non judicat de internis.

Negant Granad., Navar., Henriq. apud Perez. Sed communius cum Suar., & Fagund. affirmant; quia poteſt Eccleſia punire exteriorem actionem propter interiorem defectum, quatenus malitia redundat in exteriorem actum, qui proinde dicitur malus; Exempli gratia, poteſt Eccleſia præcipere Sacerdoti ſub pœna excommunicationis ipſo facto, ut baptizet puerum in articulo mortis conſtitutum, in quo caſu ſi Sacerdos faceret exterius omnia, ſine tamen intentione conferendi Sacramentum Baptiſmi, procul dubio incurreret pœnam excommunicationis. Idem prorſus accidit in caſu noſtro.

Confirmatur, quia ſi præcipiatur jejunium ſub pœna excommunicationis ipſo facto, & Petrus falſo dicat, ſe non teneri ad jejunium propter vitium imbecillitatem, & frangat jejunium, certe excommunicationem incurrit; quamvis probari non poſſit in foro externo malitia actus interni, quæ reddit malam actionem exteriorem, circa quam cadit prohibitio; ergo in caſu noſtro licet probari nequeat defectus interior in eo, qui ficte confitetur, vere poteſt in illum cadere pœna excommunicationis propter externam Confeſſionem malam ex malitia actus interni. Similiter, ut bene notavit Sanch. lib. 2. cap. 8. num. 26., ſi quis animo hæretico ita verba componat, vel amphibologice eis utatur, ut poſſit ſubterfugere, eſt verus hæreticus exterior, atque adeo cenſuras hæreticorum incurrit, quia illa fictio non minuit culpam, ſed per accidens occultat. Hinc itaque confixa eſt jure merito ab Alex. VII. theſis 14. dicens: *Qui facit confeſſionem voluntarie nullam, ſatisfacit præcepto Eccleſiæ*; cum autem tali præcepto non ſatisfaciat, jure merito ab Eccleſia puniri poteſt.

X. Quæritur ultimo; an teneamur confiteri per interpretem, ſi aliter non poſſimus?

Reſpondeo cum Suar. tom. 4. in 3. part. diſp. 36. ſect. 6., neque præcepto Eccleſiaſtico, neque divino extra articulum mortis teneri nos ad confeſſionem per interpretem; ſecus vero in articulo mortis, ſi dubium ſit de contritione, quod eſt facillimum dubitare: Quamvis ſatis ſit in tali caſu ſolum confiteri mortalia minoris ruboris, immo ſola venialia, addendo, quod ſe accuſet de omnibus mortalibus, ut ſic ſaltem indirecte per Sacramentum omnia abſolvantur. Ratio autem eſt, tum quia in Cap. *Omnis utriuſque ſexus* habentur hæc verba: *Teneatur ſolus confiteri ſua peccata proprio Sacerdoti*: Si autem per interpretem, jam non ſolus confiteretur: Tum etiam quia præceptum Eccleſiaſticum non obligat cum tanto onere; Præceptum vero divinum Confeſſionis videtur in articulo mortis, ſi dubium ſit de contritione, excuſare ab integritate materiali, quando nonniſi per Interpretem cum magno rubore poſſumus confiteri. Ita Leand., Ægidius, aliique contra nonnullos, qui cenſent, debere nos integre confiteri per interpretem ex præcepto divino.

Quid, ſi aliter non poſſit aliquis confiteri, quam per ſcripturam?

Reſpondeo, multos Doctores cum Dian., Valent., Filliuc. hunc deobligare; quia exponeret ſe periculo amittendi ſcriptum; & quia poſſet eo tamquam publico inſtrumento abuti Confeſſor ad infamiam pœnitentis. Verum communiter cum Suar. Doctores hunc obligant peccata ſcribere, & tradere confeſſario præſenti petendo abſolutionem; quia periculum infamationis eſt valde remotum,

&

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

& poteſt huic periculo occurri, ſi mutus vel in una papyro ſcribat peccata, & in altera numerum, vel indicet in libro aliquo peccata, quæ commiſit, addendo numerum illorum geſtibus, &c. . Quod ſi mutus ne per ſcripturam quidem poſſit confiteri, tenetur confiteri per ſigna, etiamſi confeſſarius per hujuſmodi ſigna nullum peccatum in ſpecie intelligere poſſit, nec alius confeſſor adſit, qui ea melius intelligat. An autem poſſit hujuſmodi mutus extra tempus præcepti ſic confiteri? Affirmat probabiliter Leand. quæſt. 19. quia ſi valide poteſt abſolvi ſemel in anno, ut omnes fatentur, æquum non eſt, ut tamdiu cogatur carere gratia Sacramentali ſine propria culpa.

Ex dictis habes, Pœnitentem ab hoc præcepto excuſari ſolum, quando datur impoſſibilitas, vel phyſica, ut ſi nequeat haberi confeſſarius; vel moralis, ut ſi non poſſit confiteri ſine gravi periculo infamationis, aut alterius gravis damni: Sicut enim hæc excuſant ab integritate materiali confeſſionis; ita excuſant ſimpliciter a confeſſione, quando oritur periculum ab ipſa confeſſione: Ubi etiam advertendum, periculum infamiæ, quod a confeſſione excuſat, debere eſſe ipſi confeſſioni extrinſecum; etenim incommoda confeſſioni intrinſeca non deobligant, ut quod Confeſſarius, qui habebat pœnitentem pro timorato, deinde habeat illum pro magno peccatore, aut quod nimium erubeſcat, &c.; Aliter ſolum publici peccatores, & impudentes tenerentur confiteri.

## ARTICULUS IV.

### De quidditate, & conditionibus Confeſſionis Sacramentalis.

*I. Quid veniat nomine Confeſſionis, quæ præcipitur?*
*II. Num poſſit pœnitens confiteri exhibendo papyrum, in qua ſcripta ſint omnia peccata commiſſa?*
*III. Sexdecim conditiones ab antiquis Theologis requiruntur, ut quis apte confiteatur.*
*IV. Quodnam mendacium in confeſſione prolatum ſit mortale?*
*V. Num ſit mortale, unum individuum peccati fateri pro alio ejuſdem ſpeciei?*

I. EXplicatis præceptis ad confeſſionem pertinentibus, oportet ejus naturam, & qualitates explicare.

Quæritur itaque primo; quœnam ſit confeſſio Sacramentalis præcepta?

Reſpondeo, ex D. Th. & aliis communiter eſſe *Legitimam accuſationem propriorum peccatorum coram Sacerdote habente juriſdictionem, ad illorum veniam virtute clavium obtinendam per abſolutionem*. Brevius confeſſio definitur, *Accuſatio de propriis peccatis*. Unde patet, non ſatis eſſe peccatorum narrationem, licet poſſit aliquis, poſtquam hiſtorice ſua peccata narravit, de illis in confuſo ſe accuſare in ordine ad abſolutionem Sacramentalem.

Ex hoc autem quod accuſatio iſta fieri debeat homini confeſſario, ſequitur, quod debeat fieri ſignis ſenſibilibus, & ex conſuetudine Eccleſiæ graviter obligante fieri debet voce per ſe loquendo; unde verificetur illud Apoſtoli, *Ore ſit confeſſio ad ſalutem*. & ideo Florentinum vocat illam, Oris confeſſionem.

Dixi, juxta conſuetudinem Eccleſiæ; nam, ut notat Suar. diſp. 21. ſect. 2. hac de re nullum extat præceptum, neque divinum, neque humanum.

Dixi etiam, per ſe loquendo, quia mutus, & ſenſibus deſtitutus poteſt etiam aliis ſignis confiteri.

II. Palaus putat, etiam extra neceſſitatem, ut facilius peccata explicentur, non eſſe illicitum Sacerdoti afferre ſcripta propria peccata; & poſtquam illa legerit, de illis in genere ſe accuſare petendo abſolutionem; quia talis confeſſio non cenſetur facta ſcripto, ſed verbis. Certe ſi peccata ſcripta tu legas coram confeſſario, ſine dubio licitum eſt ſic ea confiteri. Quod ſi legat illa Confeſſarius, & tu tantum de illis in genere te accuſes, admittit etiam fieri poſſe Leander diſp. 5. quæſt. 26.: Navar. tamen, & alii communiter putant, id eſſe mortale: Villalob. relatus a Dian. part. 3. tract. 4. reſol. 127., & Leand. in compendio diſp. 6. num. 4. putant, eſſe veniale extra caſum neceſſitatis; Equidem cenſeo cum Lug., Suar., Vaſq., id tantum licitum eſſe ex rationabili cauſa, verbi gratia, quando puella præ magna verecundia ægre poteſt verbis ſua peccata explicare; vel ſi ægrotus præ gutturis angore, aut ex defectu vocis, aut ob ſurditatem Confeſſarii non poteſt facile confiteri voce.

III. Quæritur ſecundo; quænam ſint conditiones bonæ Confeſſionis?

Reſpondeo, ſexdecim ab antiquis Theologis numerari, quæ his verſibus comprehenduntur.

Sit ſimplex, humilis Confeſſio, pura, fidelis,
Atque frequens, nuda, diſcreta, libens, verecunda,
Integra, ſecreta, lacrymabilis, accelerata,
Fortis, & accuſans, & ſit parere parata.

Primo itaque debet eſſe ſimplex, hoc eſt, ut ea tantum explicentur, quæ pertinent ad peccati quantitatem, & qualitatem manifeſtandam, rejectis prolixis narrationibus, & præambulis.

Secundo, Humilis, etiam in geſtu, & habitu externo, puta flexo utroque genu, ſine chirothecis, ſine enſe, niſi pœnitens ſit Religioſus militaris; quamvis veniale tantum ſit ea omittere ob levem irreverentiam Sacramento.

Tertio, Pura, ſcilicet ex puro, & recto fine obtinendi gratiam Sacramentalem, non ob vanam gloriam, aut ob alium finem extrinſecum malum.

Quarto, Fidelis, hoc eſt abſque mendacio.

Quinto, Frequens, ob uberes ejus fructus.

Sexto, Nuda, hoc eſt non palliata coloribus obſcurantibus veritatem, & peccati gravitatem.

Septimo, Diſcreta, primo in verbis, utendo vocabulis honeſtis; Deinde in modo, diſcernendo peccata, & explicando ut diverſa, quæ ſunt diverſa; Demum ſit diſcreta relate ad Confeſſarium, eligendo illum doctum, pium, & idoneum.

Octavo, Libens, ideſt ſpontanea; licet qui importunis precibus, vel metu mortis ad Confeſſionem impellitur, non fruſtretur fructu Sacramenti.

Nono, Verecunda, ſeu cum pudore de fœditate peccati, & offenſa Dei: Unde monet Sylveſter, non expedire, ut fœmina confiteatur cum confeſſario, cum quo peccavit.

Decimo, Integra, hoc eſt integre explicando ſpecies, & numerum peccatorum, ut fuſe dicemus quæſt. ſequenti.

Undecimo, Secreta, ſeu Auricularis: licet enim non ſit contra Chriſti inſtitutionem, ſi quis publice con-

fiteatur, id tamen raro expedit, & ſine rationabili cauſa fieri non debet; quia eſt contra conſuetudinem Eccleſiæ, &, ut ſupra diximus, in Cap. *Omnis utriuſque ſexus* dicitur, quod teneatur ſolus confiteri ſua peccata proprio Sacerdoti.

Duodecimo, Lacrymabilis, hoc eſt cum dolore.

Decimotertio, Fortis, ſeu firma in propoſito, & ne timore, aut pudore aliquod peccatum taceatur.

Decimoquarto, Accuſans, ideſt non excuſans culpas.

Decimoquinto, Accelerata, hoc eſt non longe dilata poſt peccatum.

Demum, Parere parata, tum ad manifeſtanda ea, quæ prudens Confeſſarius judicaverit neceſſaria, tum ad exequenda ea, quæ confeſſarius juſſerit.

IV. Quæritur hic tertio; An mentiri in confeſſione ſit mortale?

Reſpondeo, multipliciter poſſe accidere caſum; Primo enim poſſet quis mentiri in confeſſione circa aliquid nullo modo pertinens ad Confeſſionem; Et hoc Peccatum eſt, veniale, vel mortale, prout eſt ejus materia; Et circumſtantia iſthæc, quod mendacium dicatur in Confeſſione, nullo pacto reddit illud mortale: Etenim proprie loquendo, hic non mentitur in Confeſſione, cum non mentiatur in materia Confeſſionis; quia tamen eſt aliqua irreverentia Sacramento mentiri, dum illud ſuſcipitur, ideo hæc irreverentia eſt levis, & venialis.

Secundo poteſt accidere, ut quis mentiatur in materia Confeſſionis; & hoc quinque modis; Primo, negando ſe feciſſe aliquod veniale, quod fecit; Secundo, negando ſe feciſſe aliquod mortale, quod fecit quidem, ſed non tenetur hic, & nunc confiteri. Tertio confitendo aliquod veniale, quod non fecit; Quarto, confitendo aliquod mortale, quod non fecit; Quinto, negando aliquod mortale, quod fecit, & tenetur confiteri. Qui primo, aut ſecundo modo mentitur, peccat tantum venialiter, ex Suar., Sot., Navar., & aliis; quia hoc mendacium nulli alteri nocet, nec eſt contra jus Confeſſarii, qui nequit exigere, ut pænitens confiteatur venialia, aut mortalia alias confeſſa, & abſoluta, aut quæ non tenetur confiteri, quamvis teneatur aliquando pænitens reſpondere de peccatis præteritis, ſi ea notitia conferat ad judicium Sacramentale rite formandum, & ut melius poſſint vulnera pœnitentis a Confeſſario curari.

Si tertio modo Pœnitens confiteatur ſolum aliquod veniale, quod non fecit, nec aliud peccatum confiteatur, tale mendacium erit peccatum mortale; cum reddat Sacramentum nullum: Si vero cum venialibus commiſſis confiteatur alia venialia non commiſſa, probabilius ex Suar. tale mendacium eſt veniale, quia Sacramentum eſt validum, nec forma abſolutoria ſimpliciter falſificatur, eſto falſificetur relate ad illa venialia non commiſſa; quod cenſetur a Suar. levis tantum irreverentia.

Demum, qui quarto, vel quinto modo mentitur in confeſſione, juxta communem Doctorum peccat mortaliter, quia decipit judicem in re gravi.

V. Dubium eſt, An ſit grave mendacium unum numero mortale fateri pro alio ejuſdem ſpeciei; Verbi gratia, ſi quis occidit Petrum, & dicat, ſe occidiſſe Paulum, ut Petri occiſionem celet; vel ſi peccavit cum Berta, & dicat peccaſſe cum Antonia? Aliqui cum Moja probabiliter negant eſſe mendacium grave, quia vere fatetur ſubſtantiam peccati, & materialiter ſe habet homicidium relate ad Petrum, vel Paulum; ſicuti furtum decem aureorum, ſive fuerit ex moneta argen-



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

tea, ſive aurea. Alii vero cum Vaſq., Lug., Tambur., dicunt eſſe grave; quia in tali caſu non fateretur peccatum quod fecit, ſed quod non fecit.

Demum adverto, quod ſi quis ex ignorantia confeſſus ſit peccatum pure putatum, & deinde deprehendat vere non eſſe commiſſum, aut ſi confeſſus ſit, ſe peccaſſe decies, & deinde deprehendat, bis tantum peccaſſe, non tenetur in nova confeſſione id aperire, quia, ut ait Bonac., hoc non eſſet ſe accuſare, ſed excuſare. Et hæc ſatis de hac quæſtione.

# QUÆSTIO V.

## De integritate Confeſſionis.

SEorſim de hac conditione agendum, quoniam plura ſcitu digna ea continet. Et primo quæremus, quid ſit integritas materialis, quid formalis? & quænam diligentia examinis requiratur, ut fiat integra Confeſſio? Secundo agemus de integritate Confeſſionis ex parte circumſtantiarum, ubi examinabimus ſpecialia dubia circa ſingulas circumſtantias. Poſtmodum de integritate quoad numerum peccatorum; Tum de cauſis excuſantibus ab integritate materiali. Demum quando, & quomodo repetenda ſit Confeſſio?

### ARTICULUS I.

### De diligentia examinis ad integritatem confeſſionis requiſita.

*I. Quid ſit confeſſio materialiter, quid formaliter integra?*

*II. Non excuſatur ab integritate materiali confeſſionis, qui culpabiliter negligit examen diligens.*

*III. Unde dignoſci ſoleat, an examen fuerit diligens, necne?*

*IV. Quandonam repetenda confeſſio, quæ ex defectu examinis diligentis non fuit materialiter integra?*

*V. Num ſint audiendi Ruſtici, qui ſine prævio examine ad confeſſionem accedunt?*

I. CErtum eſt primo, Confeſſionem Sacramentalem dupliciter poſſe eſſe integram, materialiter, & formaliter. Habet Confeſſio integritatem materialem, quando omnia peccata poſt Baptiſmum commiſſa, & alias non rite confeſſa, cum ſuis circumſtantiis, ſaltem mutantibus ſpeciem, uni, eidemque confeſſario aperiuntur: Habet vero integritatem formalem, quando habet omnia requiſita ad validitatem, & formam Sacramenti, quamvis non aperiantur in ea omnia peccata, quia juſta de cauſa poſſunt aliqua reticeri: Plurimi enim caſus dantur, in quibus adeſt juſta excuſatio non aperiendi uni, eidemque Confeſſario omnia peccata, & conſequenter non faciendi confeſſionem integram materialiter, hoc eſt integram quoad totam materiam remotam peccatorum; ſed eam dimidiandi, confitendo aliqua uni, aliqua alteri confeſſario.

Certum eſt ſecundo, confeſſionem Sacramentalem debere eſſe, per ſe loquendo, materialiter integram. Quod conſtat, tum ex inſtitutione hujus Sacramenti facta per modum judicii;



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

quomodo enim poſſit ferri judicium de cauſa incognita? Tum ex definitione Trident., quod can. 5. hæc habet: *Si quis dixerit, neceſſarium non eſſe confiteri omnia, & ſingula mortalia, quorum memoriam cum debita, & diligenti præmeditatione habeatur, etiam occulta, & circumſtantias, quæ peccati ſpeciem mutant, anathema ſit.* Per accidens tamen ſufficit aliquando ſola integritas formalis, quando quis ab integritate materiali ob juſtam cauſam excuſatur. Etenim, ut bene Suar. diſp. 23., cum Sacramentum hoc inſtitutum ſit in remedium hominum imbecillorum, & humana imbecillitas non toleret ſemper integritatem materialem, vel quia peccata memoria excidunt, vel quia deſtitutus ſenſibus non poteſt Confeſsionem proſequi, vel quia damnum grave rationaliter aliquando timetur a confeſſione peccatorum, ideo ſatis eſt integritas etiam formalis; quamvis in ſolo caſu neceſſitatis vel phyſicæ, vel moralis excuſantis a materiali integritate.

Unde ſequitur, non excuſare ab integritate materiali ignorantiam, & negligentiam graviter culpabilem; quia qui tenetur omnem materiam remotam, ſeu omnia peccata confiteri, tenetur etiam illorum ignorantiam abigere, quantum poteſt: Ex quo etiam ſequitur, debere præmitti examen diligens a pœnitente, ut conſtat ex can. citat. Trident.; Et ratio a priori ex Suar. diſp. 22. ſect. 11. eſt; quia qui præcipit finem, præcipit media neceſſaria ad finem; ergo cum Chriſtus Dominus præcipiat confeſſionem omnium mortalium, & ad hanc, moraliter loquendo, neceſſarium ſit diligens examen, præcipitur conſequenter a Chriſto Domino hoc diligens examen; Unde ſolum ignorantia invincibilis, quæ ſuperari non poteſt ab examine diligenti, excuſat a materiali integritate.

III. Quæritur primo; Quanta debeat eſſe diligentia examinis?

Reſpondeo, debere ex variis circumſtantiis judicari, ſcilicet ex capacitate pœnitentis, ex conſuetudine peccandi, ex diuturnitate temporis, &c., unde non eadem omnibus menſura diligentiæ taxatur; Hoc ſane certum eſt, leviſſimam diligentiam non ſufficere, nec maximam exigi; imo nec eſſe conſulendam; cum ſæpe anxietatem inducat, & tædium novæ Confeſſionis, & aliquando etiam deſperationem; Unde Sot. negat, neceſſarium eſſe, ut pœnitens peccata ſcribat, vel quando ea committit, vel quando ea recogitat, credens ſe alioqui obliturum: Quare moralis tantum, & humana diligentia requiritur, quam adhibere ſolent communiter homines in re gravi, quæ maxime illis cordi eſt; ita tamen ut Sacramentum ex diligentia examinis non reddatur nimis onerosum, & grave, ut advertit Lug. num. 590. Hinc eſto verum ſit, quod ſi quis diligentius ſe examinaret, adhuc plura peccata reperiret, non proinde tenetur ad hanc exquiſitiſſimam diligentiam, ſed ſolum ad humanam, & moralem.

Univerſim autem ad dignoſcendum, quandonam confeſſio fuit graviter culpabilis ex defectu examinis, hæc regula aſſignari ſolet. Si quis examinando diligentius conſcientiam reperit plura eſse peccata, quorum erat oblitus, quam ea, quæ confeſsus eſt, poteſt ſibi perſuadere, quod non præmiſerit examen debitum, atque adeo quod confeſſio illa fuerit ex defectu examinis inſufficiens.

IV. Quæritur ſecundo; An confeſſio materialiter non integra ex gravi defectu examinis ſit invalida, & conſequenter repetenda?

Reſpondeo, Sot., Cajet., Dian. 2. part. tract. 17. reſol. 31. docere eſse validam; quia putant, in tali caſu

da-

dari Sacramentum validum, & informe ex defectu doloris de tali culpa, quæ non advertitur. Sed communius docent, hujuſmodi confeſſionem eſse ſacrilegam, invalidam, & repetendam; quia pœnitens advertere ſolet ad negligentiam culpabilem examinis.

Equidem diſtinguo; Si pœnitens doleat de peccatis ex motivo univerſali, & non advertat ad hanc culpam, quam commiſit in examine, certe ſuſcipit Sacramentum validum, & formatum, nec eſt repetenda talis confeſſio; ſed ſolum aperiendum eſt illud peccatum, quando illius recordabitur; At Sacramentum eſset validum, & informe, ſi dolor non eſſet ex motivo univerſali. Quod ſi pœnitens ad talem culpam advertat, & non præmittat examen debitum, Sacramentum erit invalidum, & confeſſio ſacrilega, ac repetenda, cum pœnitens careat voluntarie dolore debito.

V. Quæritur ultimo; An Ruſtici, qui ſine prævio examine ad confeſſionem accedunt, ſint audiendi?

Reſpondeo, regulariter loquendo non eſse audiendos; quia ex Trident. cap. 5. exigitur, ut pœnitens confiteatur, poſtquam diligentius ſe excuſſerit, & conſcientiæ ſinus omnes, & latebras exploraverit. Verum quando confeſsor eſt adeo expertus, ut ſciat radicitus a Pœnitente peccata omnia eruere, & in memoriam revocare, eo ſaltem craſso modo, quo ipſe pœnitens faceret, ſi ſuam moralem diligentiam adhiberet, poſsunt ex Vaſq., Leand., Lug. audiri.

## ARTICULUS II.

### De integritate Confeſsionis quoad circumſtantias peccati.

*I. Explicandæ ſunt in confeſſione etiam circumſtantiæ morales peccatorum, quæ ſunt ſeptem celebri verſiculo comprehenſæ.*

*II. Singulæ iſtæ circumſtantiæ ſeorſim exponuntur.*

*III. Circumſtantiæ morales mutantes peccati ſpeciem in confeſſione aperiendæ quænam ſint?*

*IV. Quid ſi aut Pœnitens, aut Confeſſarius ignoret has circumſtantias diſcernere?*

*V. Num debeat ſemper circumſtantia mutans ſpeciem per modum circumſtantiæ aperiri; An poſſit etiam per modum novi peccati?*

*VI. Probabiliter non datur obligatio aperiendi circumſtantias aggravantes culpam notabiliter, ſi ſpeciem non mutant.*

*VII. Tenetur Pœnitens reſpondere, ſi de quantitate furti interrogetur a Confeſſario.*

*VIII. Nec datur obligatio confitendi circumſtantias minuentes, niſi quando peccatum ratione talis circumſtantiæ ad aliam ſpeciem transferatur, aut de mortali evadat veniale.*

*IX. Explicatur, quando actus plurium præceptorum violativus contineat in ſe plures ſpecie malitias in Confeſſione aperiendas.*

I. PRæmiſimus ex Trident., non ſolum confitenda eſse omnia mortalia, ſed etiam circumſtantias, quæ peccati ſpeciem mutant. Dicitur autem circumſtantia id, quod accidentaliter circumſtat actum humanum, qui principalem habet ſpeciem ex ſuo objecto vel bono, vel malo. Porro cir-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

circumſtantia peccati alia eſt phyſica, ut ſi quis occidat hominem gladio, vel fuſte, vel veneno; Alia vero eſt circumſtantia moralis, quæ ſcilicet in genere moris mutat ſpeciem peccati; ut ſi quis occidat laicum, vel clericum. Ex Trident. obligamur ad confitendas circumſtantias non phyſicas, ſed morales peccatorum; ut conſtat ex ratione, quam idem Trident. tradit cap. 5.; quia ſcilicet Confeſſarius eſt Medicus ſimul, & Judex, & niſi morales circumſtantias peccatorum pœnitens confiteatur, non poterit de gravitate peccati recte judicare, nec pœnam debitam injungere, nec aptum remedium applicare.

II. Communiter ſeptem enumerari ſolent circumſtantiæ, illo verſiculo comprehenſæ.

*Quis, Quid, Ubi, Quibus auxiliis, Cur, Quomodo, Quando.*

Circumſtantia, *Quis*, ſtatum indicat, & conditiones pœnitentis, ut ſi ſit clericus, aut uxoratus, aut habens votum, aut habens impotentiam adimplendi præceptum.

Circumſtantia, *Quid*, explicat ipſum peccatum, ejuſque conditiones, videlicet quantitatem, & qualitatem; Verbi gratia, quantam rem furatus ſit, & qualem, An ſcilicet rem Sacram? &c., ſi fornicatus ſit, an cum conjugata, vel cum conſanguinea, &c. Etenim perſona, cum qua peccatur, eſt pars materiæ illius peccati, & ideo ſub circumſtantia, *Quid* comprehenditur; ſub qua etiam juxta ſatis communem opinionem comprehenditur effectus externus ſecutus ex peccato; Verb. gratia, damnificatio ex vulnere inflicto, mors ex veneno propinato; homicidium ortum ex ebrietate, &c. Licet Dian. part. 1. tract. 7. reſol. 74. cum Vaſq., Suar., Lug., aliiſque probabiliter putet, effectum ſecutum ex peccato commiſſo, quamvis in cauſa volitum, non eſſe in confeſſione explicandum, quia non eſt novum peccatum; Inconcuſſum tamen eſt apud Doctores, actum externum exponi debere in confeſſione; quamvis non addat malitiam ſupra actum internum, cum ea ſit praxis Eccleſiæ; Quare qui inflixit alteri vulnus lethale, ex quo ſequitur mors, non ſufficienter exponit peccatum dicendo, ſe habuiſſe animum vulnerandi lethaliter; licet probabiliter ſatis ſit dicere, vulneravi aliquem lethaliter, non explicando mortem deinde ſequutam; Niſi forte ratione cenſuræ annexæ debeat explicari; Et ratio eſt, quia effectus externus non cenſetur facere unum moraliter cum actu peccaminoſo, ſicut actus externus; unde poteſt accidere, ut qui aliquem vulneravit lethaliter, doleat de peccato, & ſit in gratia, quando deinde ſequitur mors. Præterea actus externus ſi minus formaliter, eſt certe denominative liber ab actu interno, & ideo denominatur peccaminoſus. Secus vero effectus peccati, qui quando contingit, nec formaliter, nec denominative tunc eſt liber.

Circumſtantia *Ubi*, ſignificat Locum, ſcilicet Sacrum, aut publicum, &c. *Quibus auxiliis*, appellat concauſas peccati, an cum complice, an ope Dœmonis, &c. *Cur*, oſtendit finem malum, ob quem peccaſti. *Quomodo* appellat modum accidentalem, ſeu non per ſe conjunctum cum peccato; ut ſi furatus ſis cum violentia, unde ſit rapina, ſi ex conſuetudine, ex conſcientia erronea, ex paſſione, ex contemptu, cum inadvertentia, cum ſcandalo, &c. Ad modum etiam reducitur intenſio actus, verbi gratia, odii, vel delectationis moroſæ, &c. quæ licet per unicum inſtans duret, adhuc dicitur moroſa, eo quod non tranſeat ad deſiderium, & ad opus externum. Demum circumſtantia, *Quando*, appellat tempus; verbi gratia, an

an die feſto laboraveris, &c. ſignificat etiam durationem actus, verbi gratia, odii, omiſsionis reſtitutionis, &c. His explicatis

III. Quæritur primo; Quænam circumſtantiæ dicantur mutare ſpeciem?

Reſpondeo, tunc circumſtantiam dare actui humano ſpeciem aliquam malitiæ, quando per illam actus opponitur rectæ rationi, ſeu virtuti alicui obliganti ſub gravi: Tunc vero circumſtantia mutat ſpeciem peccati, quando per illam actus habet novam, & ſpecialem averſionem a recta ratione; & opponitur diverſæ virtuti ab illa, cum qua prius opponebatur; Exempli gratia, Titius cognoſcit non ſuam, hic actus habet ex circumſtantia perſonæ oppoſitionem cum caſtitate obligante ſub gravi, ne quis cognoſcat non ſuam; & ideo peccat contra caſtitatem: Quod ſi Titius cognoſcat alienam, ſeu conjugatam, contrahit per hanc circumſtantiam novam alteram ſpeciem malitiæ; quia ſic violat etiam præceptum juſtitiæ obligans ſub gravi; cum utatur uxore aliena, invito domino; Et quamvis conſentiente marito cum illa peccet, adhuc peccat contra ſanctitatem ſtatus matrimonialis, & contra reverentiam debitam Sacramento, & injuriam irrogat proli, adeoque peccatum multiplicis malitiæ commiſit; Unde non ſufficit dicere in hoc caſu, Fornicatus ſum; ut conſtat ex theſi 50. proſcripta ab Innoc. XI., ſed oportet explicare circumſtantiam conjugatæ, non quidem ob injuriam, quæ irrogatur Marito, ſed ob injuriam quæ irrogatur proli, & ipſi Sacramento, ac ſtatui Matrimoniali. Item ſi Titius furetur rem ſacram, talis operatio non ſolum opponitur virtuti juſtitiæ, ſed etiam virtuti religionis; Et ideo non ſatis eſt dicere, furatus ſum: Idem dicas, ſi quis occidat Sacerdotem, vel Parentes; non enim ſolum peccat contra juſtitiam, ſed etiam contra religionem, occidendo Sacerdotem; & contra pietatem, occidendo Parentes.

IV. Hic tamen advertendum, quod quia apud Doctores in innumeris caſibus in controverſiam vertitur, num aliqua circumſtantia mutet ſpeciem peccati; idcirco ruſticis has doctrinas ignorantibus expedit quod aperiant peccatum, prout eſt commiſſum, explicando illas circumſtantias, quæ naturæ lumine videntur eſſe notabiles, relinquendo Confeſſario judicare, quale peccatum illud ſit, & contra quam virtutem. Quod ſi ne Confeſſarius quidem ſciat ea diſcernere, tunc ſolus confeſſarius peccabit, ſi ex craſſa ignorantia id ignoret; ſecus vero, ſi inculpabiliter, vel ob perplexitatem, vel ob rei confeſſæ difficultatem. Pœnitens tamen abunde ſatisfecit ſuæ obligationi.

Ex dictis ſequitur primo, eſſe in confeſſione explicandam circumſtantiam, quæ mutat peccatum de veniali in mortale; Verbi gratia, ſi quis mentiatur, ut Bertam ad malum inducat; mendacium enim eſt contra veracitatem, & intentio inducendi ad malum Bertam eſt tum contra charitatem, tum etiam contra caſtitatem; Et ſi ſit conjugata, eſt etiam contra juſtitiam, &c. Eodem modo, ſi quis furatus eſt rem gravem, debet id aperire, quia circumſtantia illa gravis quantitatis licet non mutet ſpeciem peccati relate ad objectum; at mutat ſpeciem peccati, transferendo illud de veniali in mortale. Etenim peccatum veniale, & mortale, inquantum ſunt offenſæ Dei, pluſquam ſpecie differunt, & ſolum analogice conveniunt, ex D. Th., & aliis communiter.

Sequitur ſecundo, quod, ſi quis hujuſmodi circumſtantias ex oblivione,

aut

aut ignorantia omiſerit, teneatur illas in nova confeſſione aperire. Ita communiter Doctores apud Suar. diſp. 22. ſect. 2., non ſecus ac peccata in una Confeſſione oblita, quando memoriæ occurrunt in alia Confeſſione ſubjicienda ſunt clavibus; ut conſtat ex theſi XI. ab Alex. VII. confixa.

V. Rogabis tamen; Num circumſtantia mutans ſpeciem confitenda ſit per modum circumſtantiæ; an ſufficiat illam confiteri per modum peccati? Verbi gratia, ſi quis furatus eſt rem ſacram, debetne dicere, commiſi furtum Sacrilegum, an vero poteſt dicere, commiſi furtum, & commiſi Sacrilegium? Item, ſi quis habens votum caſtitatis fornicatus eſt, poteſtne dicere, Fornicatus ſum, & fregi votum in materia gravi? Vel ſi furatus ſit ad adulterandum, poteſtne dicere, furatus ſum, & habui intentionem adulterandi?

Reſpondeo, aliquando nullatenus poſſe explicari circumſtantiam, niſi per modum circumſtantiæ; ut ſi quis occidat Sacerdotem, vel vim inferat puellæ, &c., non poteſt in his caſibus explicare circumſtantiam, niſi per modum circumſtantiæ, eo quod, ſi occiſor Sacerdotis dicat, Commiſi homicidium, & feci Sacrilegium, non explicat ſpeciem Sacrilegii, &c. Quando vero poteſt explicari circumſtantia per modum peccati, ut in caſu adducto de eo, qui habens votum caſtitatis fornicatus eſt, putat Suar. loc. citat. cum Sylv., quod poſſit confiteri, dicendo, fornicatus ſum, & fregi votum in re gravi, eo quod quamvis tale peccatum ſit phyſice unum, eſt tamen moraliter duplex; & ſic poteſt proponi, quaſi eſſent duo peccata. Uſus tamen, & communis modus confitendi eſt contrarius, ut experientia conſtat; ne videlicet exiſtimet judex, non unico, ſed duplici actu utramque malitiam contractam eſſe. Quare in eo tantum caſu id permitterem cum Tambur., quando ſcilicet pœnitens oblitus eſt circumſtantiam mutantem ſpeciem, quæ poteſt deinde explicari, non explicato peccato jam confeſſo: Verbi gratia, ſi quis furatus eſt ad mœchandum, & ſolum confeſſus eſt peccatum furti, poteſt deinde, quando recordatur circumſtantiæ, dicere, habui intentionem mœchandi; quia ſic non infertur, quod duo peccata commiſerit, ſicuti ſi in eadem confeſſione illa divideret. Et idem dicendum de peccatis continentibus plures numero malitias; Verbi gratia, ſi quis uno ictu occidit duos homines, non poteſt in eadem confeſſione dicere, feci homicidium, & deinde addere, Occidi alterum hominem; Quod ſi in prima confeſſione ex oblivione, vel ignorantia dixit, Occidi unum hominem, poteſt in altera confeſſione iterum dicere, Occidi hominem, confitendo homicidium alterius hominis.

VI. Quæritur ſecundo; An non ſolum circumſtantiæ mutantes ſpeciem, ſed etiam notabiliter aggravantes intra eandem ſpeciem aperiendæ ſint in confeſſione? Verbi gratia, ſi quis commiſit furtum in magna quantitate, ſi peccavit coram Sanctiſſimo expoſito, ſi contra vehementiſſimam inſpirationem, vel firmiſſimum propoſitum, &c.

Reſpondeo, pro utraque ſententia eſſe Auctores, & rationes magni ponderis: pro parte negativa D. Th., Vaſq. Lug., Paludan., & alios quamplures: pro affirmativa Suar. Con., Cajet., Victor.. Utraque proinde ſententia communiter cenſetur eſſe probabilis, & quidem etiam practice; quia ſententiæ iſtæ non ſpectant ad valorem Sacramenti, ita ut teneamur ſequi tutiorem.

Qui negat obligationem confitendi circumſtantias aggravantes, in eo niti-

titur; quia Trident. cap. 5. docet, neceſſario confitendas circumſtantias mutantes ſpeciem, nulla facta mentione de circumſtantiis aggravantibus; Unde ne dicamus, mutilum fuiſſe Trident. in re tanti momenti, dicendum, obligationem confitendi circumſtantias aggravantes non eſſe nobis a Chriſto Domino impoſitam. Præterea, quia eſſet grave onus, omnes hujuſmodi circumſtantias aperire. Demum ratio a priori eſt, quia Chriſtus Dominus præcepit tantum confeſſionem omnium mortalium; ſed qui tantum circumſtantias mutantes ſpeciem, & numerum peccatorum explicat, confitetur omnia mortalia ſecundum propriam quidditatem eorum; ergo obligationi a Chriſto Domino impoſitæ ſatisfacit.

Qui vero aſſerit, eſſe confitendas, in eo nititur; quia propter eandem rationem, propter quam Trident. docet, aperiendas eſſe circumſtantias mutantes ſpeciem, aperiendæ ſunt etiam aggravantes; quia ſcilicet Sacramentum hoc inſtitutum eſt per modum judicii; Judici autem non ſolum delictum, ſed etiam delicti gravitas debet innoteſcere, ut poſſit debitam pœnam injungere, & aptam medicinam applicare.

Dico equidem primo; Sanum conſilium eſt in praxi, etiam circumſtantias aggravantes fateri, & ſpectata ratione ab intrinſeco, probabiliorem eſſe ſententiam Suar. obligantem; Quia ſcilicet Confeſſarius ex Trident. debet recte cenſere, ſeu judicare, non ſolum de crimine, ſed etiam de criminis gravitate; Quis autem non videat, gravius notabiliter eſſe, verbi gratia, furtum mille aureorum, quam unius aurei? ergo debet circumſtantia illa aggravans aperiri, ut poſſit de illa Judex recte cenſere. Quamvis autem Trident. ſolum definiat, eſſe aperiendas circumſtantias mutantes ſpeciem, & de aliis præſcindat, id ex eo eſt, ut habet Suarius, quia Trident. voluit ſtatuere dumtaxat, quæ erant omnino certa apud Theologos, & præſcindere ab iis, quæ apud Theologos erant dubia, ut eſt obligatio confitendi circumſtantias aggravantes.

Dico ſecundo; Probabilis etiam eſt, & in praxi tuta ſententia D. Th., & Vaſq. deobligans. Ratio eſt, quia communiter Doctores docent, in dubio latæ legis nullam eſſe obligationem ſervandi illam; ſed in caſu noſtro ſaltem eſt dubium, an lata fuerit a Chriſto Domino ejuſmodi lex confitendi circumſtantias aggravantes; ergo ea non obligamur. Præſertim, quia etiam adverſarii docent, intentionem, & durationem peccati, ſicut etiam circumſtantias minuentes non eſſe neceſſario confitendas; ergo nec univerſim circumſtantiæ aggravantes, (quæ ſcilicet diverſum judicium pariant, ac non notabiliter diverſum) eo quod ſunt intra eandem ſpeciem, & quidditatem peccati, atque adeo non pertinent ad ſubſtantiam peccati, ſed ad id, quod peccato eſt accidentarium.

VII. Oppones primo, longe gravius eſt furtum mille aureorum præ furto unius aurei, quam furtum rei Sacræ, verbi gratia, relate ad furtum rei non ſacræ; aut beſtialitas relate ad ſodomiam; ergo ſi tenetur pœnitens aperire has circumſtantias mutantes ſpeciem, ut poſſit Judex recte cenſere de gravitate criminum, debet etiam aperire circumſtantiam illam aggravantem.

Reſpondeo, nego antecedens; nam eo ipſo, quod peccatum eſt contra diverſam virtutem, eo ipſo eſt ſecundum ſubſtantiam diverſum, atque adeo majorem habet gravitatem peccatum, quod non adeo graviter opponitur duplici virtuti, quam peccatum, quod graviter eidem virtuti opponitur. Cæterum eo ipſo, quod pœni-

tens dicit, ſe furatum eſſe rem gravem, ſtatim confeſſarius habet jus interrogandi de quantitate furti, & pœnitens tenetur reſpondere, ut rite poſſit confeſſarius de gravitate peccati judicare.

Neque dicas; Si non tenetur pœnitens aperire quantitatem furti, aut aliam circumſtantiam aggravantem, neque tenebitur reſpondere confeſſario interroganti de illa.

Nam univerſim tenetur pœnitens reſpondere Confeſſario interroganti notitiam pertinentem ad rite judicandum, & medendum; Unde damnatur ab Innoc. XI. propoſitio 58. docens, Non teneri pœnitentem reſpondere confeſſario interroganti conſuetudinem peccati. Scio, Leand. diſp. 8. quæſt. ultim. ex Hurtad., Granad., Navar., & aliis docere, quod ſi pœnitenti conſtet, nec ratione reſtitutionis, nec ratione cautionis in futurum indigere ſe directione, & conſilio confeſſarii, non eſſe obligatum reſpondere confeſſario interroganti quantitatem furti. Verum quia Doctores iſti eodem modo loquuntur de conſuetudine peccati; idcirco utraque pariter ſententia videtur rejicienda. Præterquamquod confeſſarius interrogare poteſt pœnitentem, non ſolum ut poſſit illum dirigere, ne iterum cadat, & ut reſtituat, &c., ſed etiam ut poſſit pœnitentiam debitam gravitati furti injungere; ergo tenetur pœnitens juxta communem opinionem confeſſario interroganti de quantitate furti reſpondere, etiamſi non indigeat directione, & conſilio confeſſarii.

Oppones ſecundo; Si qui furatus eſt decem aureos, poſſet confiteri furtum grave, non explicando quantitatem furti, pariter qui uno ictu occidit decem homines, poſſet confiteri, dicendo, commiſi homicidium: Nam eodem modo in furto illo decem aureorum continentur decem furta unius aurei, ac in illa occiſione decem hominum continentur decem homicidia.

Reſpondeo, ex infra dicendis art. 6. non ſatis eſſe in tali caſu dicere, commiſi homicidium, quia non explicaretur peccatum, prout eſt in ſe; ſufficeret dicere tamen, uno ictu plures homines occidi, non explicando, decemne, an centum fuerint; quia licet tale peccatum decem numero malitias homicidiorum contineret; non tamen contineret decem numero peccata: Nos autem ex Trident. tenemur quidem explicare numerum peccatorum, & circumſtantias ſpecie diverſas, non vero numerum malitiarum in ſingulis peccatis contentarum.

VIII. Quæritur tertio; An aperiendæ ſint in confeſſione circunſtantiæ minuentes?

Reſpondeo, ſi circumſtantiæ minuant peccatum intra eandem ſpeciem, probabilius eſt, non teneri nos ad illas explicandas in confeſſione. Ita ipſe Suarius, qui vult, circumſtantias aggravantes eſſe aperiendas; & communiſſime Doctores apud Leand. diſp. 8. quæſt. 5. contra Sot., Scot., Canum, apud Suar. diſp. 22. ſect. 3. Ratio eſt, quia confiteri circumſtantias minuentes potius deſervit ad excuſationem, quam ad accuſationem. Quod ſi circumſtantiæ minuant peccatum transferendo illud ad aliam ſpeciem, certe tenemur circumſtantias minuentes aperire: Id autem poteſt quatuor modis accidere.

Primo, ſi quod erat mortale ex circumſtantia evadat veniale, ut ſi blaſphemaveris ex ſubito motu, & non plena deliberatione, & advertentia. Secundo, ſi actus cæteroqui malus ratione circumſtantiæ non ſit malus; ut ſi quis occidat hominem in ſui juſtam defenſionem, certe non poteſt in confeſſione dicere, Occidi hominem, non addendo hanc circumſtantiam



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

tiam minuentem. Tertio, ſi peccatum, quod ex ſe habet plures ſpecies malitiæ, ratione circumſtantiæ non habeat niſi unam; Verbi gratia, ſi quis occidit Sacerdotem ſciens illum eſſe hominem, ſed invincibiliter ignorans eſſe Sacerdotem, non poteſt confiteri peccatum, dicendo, Occidi Sacerdotem, faciens ſe reum homicidii, & Sacrilegii, ubi ſolum homicidii eſt reus. Quarto, ſi actus eſſet unius ſpeciei, & ratione circumſtantiæ evadat alterius ſpeciei moralis longe levioris: Verbi gratia, ſi quis volens occidere equum alterius, occidat ex ignorantia invincibili hominem, non poteſt dicere in confeſſione, Occidi hominem, faciens ſe reum homicidii, ubi tantum eſt reus occiſionis equi, quam intendebat; Tenetur itaque has circumſtantias minuentes, utpote mutantes ſpeciem, aperire, quia aliter deciperet Judicem in re gravi.

IX. Quæritur ultimo; An quilibet actus, qui ſit plurium præceptorum violatio, eo ipſo plures in ſe malitias ſpecie diverſas contineat? Exempli gratia, fingamus primo, Antonium ex voto obligatum jejunare ſingulis Sabbatis, ſi omittat jejunare eo Sabbato, in quo incidit dies Quadrageſimæ, Quatuor temporum, & Vigilia Sancti Matthiæ, ſatisfacit ne dicendo, ſemel in Quadrageſima fregi jejunium? Secundo, fingamus Petrum conjugatum rem habuiſſe cum Berta alterius viri uxore, ſatisfacitne dicendo, Rem habui cum conjugata? Tertio fingamus, Titium die dominico, in quo incidit feſtum Sancti Matthiæ, omiſiſſe ſacrum, ſatisfacitne dicendo, Omiſi ſacrum in die feſto?

Reſpondeo, tunc ſolum contrahi malitias ſpecie diverſas, in confeſſione aperiendas, quando actus opponitur diverſis virtutibus graviter obligantibus, aut eidem virtuti modo notabiliter diverſo; non vero quando opponitur pluribus præceptis. Quare Titius, qui omiſit Sacrum a pluribus præceptis impoſitum ex eodem motivo virtutis religionis, ſufficienter confitetur, dicendo, Omiſi ſacrum die feſto, etiamſi in eundem incidat, verbi gratia, dominica, & ſimul feſtum Sancti Matthiæ: Contra vero Antonius non integre confitetur, dicendo, fregi ſemel jejunium in Quadrageſima, quia cum ex voto etiam teneretur ad illud jejunium, omiſſio illius non ſolum eſt contra virtutem temperantiæ, ſed etiam religionis, quæ graviter obligat ad ſtandum promiſſis Deo factis: Nec integre confitetur Petrus, dicendo, Habui rem cum conjugata, non explicando ſe pariter eſſe conjugatum; tum quia duplicem irrogavit injuriam, alteram ſuæ uxori, alteram marito Bertæ, ut notat Sanch. lib. 9. de Matrim. diſp. 15. tum etiam, quia, ut notat Lug. diſp. 16. ſect. 5. diverſa ſpecie eſt obligatio, qua quis tenetur non violare ſuum matrimonium, ac illa, qua tenetur procurare, ne alter violet matrimonium ſuum.

Hic autem adverte, quod ſi circumſtantia aliqua opponitur quidem diverſæ virtuti, ſed non graviter obliganti, non eſt neceſſario aperienda in confeſſione, cum non ſit nova malitia: Exempli gratia, juxta ſatis communem opinionem, ſi defloratio fiat cum conſenſu libero, & voluntario fœminæ, non tenetur pœnitens dicere, quod commiſerit ſtuprum, ſed ſatis eſt dicere, quod fornicatus ſit cum ſoluta, quia defloratio opponitur quidem virginitati, ſed non graviter obliganti, eo quod virginitas non cadat ſub præceptum, ſed ſub conſilium, ut teſtatur Apoſt. 1. ad Corinth. 7. dicens: *De Virginibus præceptum Domini non habeo, conſilium autem do, tanquam miſericordiam conſequutus a Domino, ut ſim fidelis.*



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

## ARTICULUS III.

### Expenduntur ſpecialia dubia circa ſingulas circumſtantias.

### Et primo

### De Circumſtantia *Quis*.

*I. Circumſtantia* Quis *denotat qualitates, & conditiones Pœnitentis.*

*II. Num ſit explicandum, quod votum caſtitatis, quo ligatur Pœnitens, ſit ſimplex, an ſolemne?*

*III. Votum caſtitatis, aut conjugium, &c. Perſonæ, cum qua Pœnitens contra talem virtutem peccavit, explicandum eſt.*

*IV. Explicandum etiam eſt votum caſtitatis ab eo, qui alios inducit ad fornicandum, aut qui moroſe delectatur carnaliter; necnon conjugium ab eo, qui delectatur de copula illicita.*

*V. Sponſus, & Sponſa num teneantur hanc circumſtantiam explicare, ſi carnaliter peccent? Quid de Eunucho, aut impotente?*

*VI. Quinam gradus conjunctionis explicandus eſt ab Inceſtuoſo?*

I. IN innumeris caſibus ipſi Doctores dubitant; Num circumſtantia aliqua ſit ſolum aggravans, an mutet ſpeciem, & conſequenter utrum neceſſario aperienda ſit in confeſſione? Longum eſſet omnes diſcutere: De iis, quæ frequentius accidunt, nonnulla explicabimus.

Diximus, circumſtantiam, *Quis*, denotare qualitatem, & conditiones pœnitentis, verbi gratia, ſitne conjugatus, vel clericus, &c.; iſtæ tamen conditiones attendendæ ſunt in pœnitente, quando peccavit, non quando confitetur; Quare ſi habuerit votum caſtitatis, dum fornicatus eſt, & non quando confitetur, tenetur hanc circumſtantiam exprimere; Secus vero ſi votum caſtitatis habeat ſolum, dum confitetur, non vero quando fornicatus eſt.

II. Dubitatur; An Sacerdos confitens fornicationem teneatur dicere, ſe eſſe Sacerdotem, an ſatis ſit dicere, ſe eſſe in Sacris?

Reſpondeo cum Lug., Sanch. aliiſque, hoc ſufficere, quia votum cuilibet Sacro Ordini annexum eſt ejuſdem rationis. Imo ex Sanch., Leand. aliiſque contra Fagund., Azor., Laym., votum ſolemne caſtitatis, & votum ſimplex ejuſdem etiam ſunt rationis, nec differunt quoad mutationem ſpecificam Sacrilegii; Unde ſatis eſt, ſi talis Sacerdos dicat, ſe habere votum caſtitatis; Et idem dicas de Epiſcopo. Quinimmo Perez, & Sanch. contra Lug.; & Laym. tenent, ne religioſum quidem debere aliud explicare, quam votum caſtitatis, non vero ſtatum religioſum. Advertendum tamen, quod Epiſcopus, vel Religioſus, vel Sacerdos, qui fornicatur, vel alium occidit, &c., poteſt per accidens teneri ad aperiendam circumſtantiam ſui ſtatus ratione ſcandali, quia facilius ſcandalizantur homines ex peccatis iſtorum, quam aliorum.

III. Sicut autem pœnitens debet ſuum ſtatum, ſeu votum explicare, ita pariter debet explicare ſtatum, ſeu votum ejus, cum quo peccavit; verbi gratia, ſi peccaverit cum conjugata, cum habente votum caſtitatis, &c.

IV. Qui habet votum caſtitatis, ſi ſuo conſilio, vel auxilio alios inducat ad fornicandum, ex Lug. contra Sanch., & Tambur. lib. 2. cap. 6. tenetur hanc circumſtantiam fateri. Præterea habens votum caſtitatis, ut eſt Sacerdos, & Religioſus, ſi peccat mortaliter per delectationem moroſam de copula illicita, committit Sacrilegium,



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

juxta communem Doctorum contra Euſebium de Herrera citatum a Leand.. Et conjugatus pariter per talem delectationem peccat contra fidem matrimonii, & adulterii malitiam contrahit; non ſecus ac ſi ſe pollueret, aut deſideraret fornicationem cum alia, ut communiter docent Doctores apud Leand. contra Hurtad. apud Sanch., & proinde tenetur hanc circumſtantiam explicare.

V. Sponſus, vel Sponſa non tenentur fateri hanc circumſtantiam, ex Leand., Dian., aliiſque, quia nondum jus eſt acquiſitum; Sanch. tamen, & Fagund. putant, ſolam ſponſam teneri; quia eſt grave dedecus ſponſi, quod ſua ſponſa peccaverit. Veriorem tamen exiſtimo ſententiam Ægidii, & Rebelli, quod uterque teneatur, quia per ſponſalia licet non acquiratur jus in re, acquiritur tamen jus ad rem; ſicut verbi gratia, per promiſſionem equi mihi factam habeo jus non in re, ſed ad rem circa equum mihi promiſſum; ita ut fiat mihi injuria, ſi equus etiam ab ipſo domino occidatur.

Communiter Doctores docent contra Filliuc., Eunuchum, frigidum, necnon impotentem debere hanc circumſtantiam fateri, ſi fornicentur; quia peccatum eſt contra naturam, cum fruſtretur finis copulæ.

Amiſſionem virginitatis multi putant debere explicari, præſertim a fœminis; ſed plurimi id negant; quia nemini fit injuria, & non habemus præceptum de virginitate, ut diximus art. ſuper.

VI. Denique Tambur. ex Filliuc., & aliis (quicquid alii communius repugnent) exiſtimat probabiliter non differre ſpecie quemcumque inceſtum cum conſanguineis, aut affinibus uſque ad quartum gradum; Unde putat, non eſſe explicandum in confeſſione gradum conjunctionis ſanguinis; Sed verius exiſtimo, inceſtum in primo gradu eſſe explicandum, præſertim in linea recta, in qua matrimonium juxta Perez, & alios eſt indiſpenſabile, & intrinſece malum, ſicut mendacium; Unde ſi ſolus filius, & Mater eſſent in mundo ſuperſtites, non poſſent nubere, & potius deberet Orbis perire; ſecus vero ſi frater, & ſoror.

## ARTICULUS IV.

### De Circumſtantia, Quid.

*I. Tum materia peccati, tum etiam ſæpe quantitas, & qualitas ad hanc circumſtantiam ſpectant.*

*II. Num explicanda ſit circumſtantia perſonæ, circa quam, in delectatione moroſa; ſicut procul dubio explicanda eſt in deſiderio?*

*III. Quid de delectatione moroſa circa carnis comeſtionem tempore prohibito? Quid de deſideriis conditionatis ſub conditione, qua tolleretur malitia ab objecto?*

*IV. Num in turpi locutione explicanda ſit circumſtantia objecti? Aut in jactantia circumſtantia peccati, de quo quis gloriatur? Aut pariter in pravo conſilio?*

*V. Num explicandum ſit in blaſphemia, ſi fuerit contra Deum, aut contra Beatam Virginem, aut contra Sanctos?*

*VI. Specie differt violatio voti, ac violatio juramenti; ſed in violatione votorum, aut juramentorum non eſt explicanda materia circa quam.*

*VII. Mala, quæ quis optat proximo, quem odit, probabiliter non ſunt aperienda, ſecus vero, ſi ea velit inferre.*

*VIII. In injuriis explicandæ ſunt perſonæ, quibus diverſus honor debetur.*

*IX. In peccato beſtialitatis non eſt explicanda ſpecies animalis; At in So-*

do-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

*domia quid explicandum?*

*X. Solicitans ad peccandum num debeat explicare, quod primus alium invitaverit, quando peccatum eſt ab utroque commiſſum?*

I. AD hanc circumſtantiam ſpectat, ut diximus, non ſolum materia peccati, ſeu quantitas, & qualitas illius, puta ſi rem magnam, aut ſacram furatus ſis, ſed etiam perſona circa quam committitur peccatum, ut ſi percuſſeris clericum, ſi fornicatus ſis cum habente votum caſtitatis.

II. Dubitatur nunc ſpecialiter de delectatione moroſa, an ſcilicet aperienda ſit circumſtantia perſonæ circa quam habetur talis delectatio; quæ procul dubio aperienda eſt in confeſſione operis, vel deſiderii, ſi opus iſtud vel feciſſes, vel deſideraſſes. Definitur delectatio moroſa ex Vaſq. lib. 1. in 1. 2. diſp. 109., Gabriel., & aliis, Simplex, & deliberata complacentia in re apprehenſa, ſeu cogitata, ſine intentione illam opere perficiendi; Hinc enim dicitur moroſa, licet per unicum inſtans duret, quia non tranſit ad deſiderium, vel ad opus, adeoque eſt ſimplex complacentia, non voluntas efficax; debet tamen eſſe deliberata, quia niſi habeatur plenus, & liber uſus rationis, peccatum mortale non committitur.

Prima ſententia eſt Vaſq. in 1. 2. diſp. 3., & 112. Reginald., Sayr., & aliorum plurimorum negantium, explicandam eſſe in confeſſione circumſtantiam perſonæ, circa quam habetur delectatio moroſa, etiamſi procul dubio explicanda ſit in deſiderio, & conſenſu. Ratio eſt, quia deſiderium ſumit ſpeciem ab opere externo, & ideo Chriſtus Dominus Matth. 5. dixit, *Omnis, qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, jam mœchatus eſt eam in corde ſuo*. Ubi notandum ly, mechatus eſt eam; non enim dicit ſimpliciter mœchatum eſſe, ſed mechatum eſſe cum illa ipſa, quam concupierat; & conſequenter deſiderium ab opere externo ſpeciem deſumit: Contra vero delectatio moroſa ſumit ſuam malitiam ab oppoſitione, quam habet cum virtute obligante; Exempli gratia, delectatio moroſa rei venereæ (niſi ſit cum nupta, vel moniali, qua tali, quod raro accidit) habet oppoſitionem tantum cum caſtitate graviter obligante; ergo circumſtantia perſonæ, circa quam, non addit novam malitiam; Quare ſatis eſt in confeſſione dicere, Toties moroſe delectatus ſum de copula illicita, non explicando, an cum nupta, vel cum moniali, conſanguinea, &c.; vel, Toties moroſe delectatus ſum de occiſione hominum, non explicando, an ſit circa Patrem, vel Sacerdotem, vel inimicum, aut alterius conditionis; quod tamen explicandum eſt, ſi delectatio tranſierit in deſiderium.

Ratio diſparitatis a priori, quam adducit Vaſq. eſt: quia delectatio moroſa poteſt eſſe peccaminoſa, etiamſi ſit circa perſonam licitam; ut ſi vidua delectetur de copula cum conjuge mortuo, & ſponſa cum futuro marito; Contra vero deſiderium de re licita numquam eſt malum; unde ſi ſponſa deſideret copulam cum futuro marito habendam poſt matrimonium, non peccat; ergo deſiderium diverſimode reſpicit objectum, ac delectatio moroſa; deſiderium enim fertur immediate in opus externum cum omnibus ſuis circumſtantiis, ſecus vero delectatio moroſa reſpicit opus externum depuratum a circumſtantiis ſuis; & conſequenter deſiderium fornicandi cum nupta habet malitiam adulterii, delectatio vero moroſa de copula cum nupta (niſi ſit cum nupta qua tali) eſt peccatum duntaxat contra caſtitatem. Et ſi ſponſa deſideret co-

pulam cum conjuge poſt matrimonium, nullum peccatum committit; ſi vero eadem ſponſa delectetur de copula licita habenda poſt matrimonium, peccat contra caſtitatem; quia caſtitas non ſolum externas, ſed internas etiam voluptates prohibet.

III. Hinc etiam eſt, quod ſi quis die veneris delectetur de comeſtione carnis, niſi delectetur de ea, inquantum prohibita, non peccat; Nec peccat illam deſiderando deſiderio conditionato, ſi ſcilicet non eſſet prohibita, vel ſi non eſſet dies veneris: Contra tamen peccat, ſi illam die veneris abſoluto deſiderio deſideret; quia temperantia non prohibet delectationem circa comeſtionem carnis, & deſiderium conditionatum, ſed ſolum comeſtionem, & ejus deſiderium abſolutum pro tempore prohibito; Quia vero aliæ virtutes prohibent etiam deſiderium conditionatum; ideo non ſolum deſiderio abſoluto, ſed etiam conditionato peccatur, quando deſiderantur res intrinſece malæ, quæ ſcilicet ſunt prohibitæ, quia malæ, non malæ, quia prohibitæ; Ut ſi quis vellet Deum odiſſe, ſi non eſſet peccatum; vel inimicum occidere, aut in faciem Crucifixi ſpuere, ſi non eſſet prohibitum; Communiter enim iſta deſideria conditionata conjunguntur cum pravo affectu, & delectatione moroſa circa rem intrinſece malam, & ideo Doctores communiter cenſent, hujuſmodi etiam conditionata deſideria eſſe peccaminoſa.

Non negaverim, quod ſi conditiones tollerent omnino peccatum, & indicarent ſolum propenſionem animi, non vero affectum abſolutum, & non involverent delectationem moroſam circa objectum prohibitum, deſideria conditionata carerent culpa; Ut ſi quis diceret, ſi Deus daret mihi facultatem, vellem prædari, & ſi per impoſſibile liceret, fornicarer; Etenim voluntas poteſt ſequi intellectum, qui abſtrahat objectum ab omni malitia. Verum quia voluntatem comitatur facillime appetitus ſenſitivus, qui conſequitur ad imaginationem objecti, prout eſt in ſe, ſine ulla præciſione; idcirco difficillimum eſt, in his deſideriis conditionatis ſine peccato verſari.

Secunda ſententia docet, in delectatione moroſa explicandam eſſe circumſtantiam perſonæ circa quam; non ſecus ac in deſiderio. Ita de Lugo, & alii. Ratio eſt, quia non minus delectatio, quam deſiderium fertur circa opus, prout eſt in ſe; atque adeo, quia copula cum nupta, verbi gratia, eſt diverſæ ſpeciei, ac ſimplex fornicatio; ideo tam deſiderium, quam delectatio moroſa de copula cum nupta eſt diverſæ ſpeciei, ac deſiderium, & delectatio de ſimplici fornicatione.

Equidem cenſeo, utramque opinionem eſſe probabilem; primam tamen eſſe probabiliorem; quia delectatio de copula, verbi gratia cum Berta nupta, plerumque eſt delectatio de copula cum Berta, præſcindendo a tali circumſtantia, atque adeo non ſpecificatur ab illa; Idemque dicendum puto de turpibus aſpectibus, necnon de tactibus pudicis, qui fiunt animo impudico ex Tambur.: Secus vero de tactibus impudicis; Cum enim tactus ſint opera externa, non ſecus ac ipſa copula, debet explicari in confeſſione conditio perſonæ, circa quam fiunt.

IV. Idem etiam ex Tambur. puto dicendum de locutione turpi, & de jactantia: Quare, ſi quis miſcuit ſermonem de adulterio, ſtupro, &c. ſatis eſt in confeſſione dicere, Toties turpiter locutus ſum cum delectatione de ipſa turpium narratione (niſi forte delectatio fuerit de adulterio, aut ſtupro qua tali) Et circa jactantiam,

tiam, ſi careat deſiderio, & delectatione moroſa, ſatis eſt in confeſſione dicere, Toties jactavi me de peccato mortali, ſeu gloriatus ſum de objecto peccaminoſo, non explicando, an de adulterio, an de occiſione, ſive ſit Sacerdotis, ſive alterius: Et ratio eſt, quia jactantia conſiſtit in eo, quod offenſa Dei eligatur ut medium ad captandam gloriam apud homines, quæ magna eſt irreverentia; Hæc autem eadem eſt in omnibus peccatis; ſive ea commiſeris, ſive non: Et idem dicas, ſi alium laudes de peccato: In quo tamen intervenire etiam ſolet peccatum ſcandali; quia ſcilicet alium ad complacentiam de tali peccato inducis, & a peccati vilipendio, & abominatione audientes retrahis. Demum conſilium de aliquo peccato, ex Medin. apud Leand., ejuſdem rationis eſt, non ſecus ac jactantia de quocumque ſit peccato. Probabiliorem tamen cenſeo ſententiam oppoſitam, quæ docet conſilium deſumere ſpeciem a ſuo objecto; quia quælibet virtus exigit, tum ne contra illam agatur; tum ne procuremus, ut alii contra illam agant.

V. Dubitatur ſecundo de blaſphemia, an diverſæ ſpeciei ſit contra Deum, contra Beatam Virginem, & contra Sanctos? Et dico cum Azor., Tambur., aliiſque, probabile eſſe, quod ſpecie non differant; quia omnes iſti honore proſequendi ſunt, non præciſe ob propriam excellentiam, ſed principaliter relate ad Deum, cui injuria irrogatur blaſphemando illos. Unde niſi blaſphemia ſit hæreticalis, ſatis eſt in confeſſione dicere numerum blaſphemiarum. Probabilior tamen eſt oppoſita ſententia Suarii, Sanch., Lug. putantium, blaſphemias contra Deum, Beatam Virginem, & Sanctos ſpecie differre, & in confeſſione explicandas.

VI. Tertio, tam votum, quam juramentum ejuſdem ſpeciei ſunt, ſive fiant Deo, ſive Sanctis, ex Suar., Sanch., Leſſ. Unde ſatis eſt in confeſſione dicere, Votum fregi, vel falſo juravi. Adverte tamen, votum ſpecie differre a juramento; quare qui vovit jejunium, verbi gratia, & juramento confirmavit, ſi non jejunet, tenetur utrumque explicare; quia eſt contra religionem tranſgreſſio voti, ſeu contra promiſſionem Deo factam; tranſgreſſio vero juramenti eſt contra obligationem non adducendi Deum in teſtem in re falſa.

VII. Quarto, quando quis odit proximum, deſiderando illi infamiam, mortem, paupertatem, aut aliud malum, probabile eſt hujuſmodi mala non eſſe in confeſſione explicanda, ſed ſatis eſſe, ſi pœnitens dicat, ſe toties graviter odiſſe proximum. Ita Leand., Lug., Valent., Bonac. contra Suar., & Con.. Quod ſi quis deſideret hujuſmodi mala inferre proximo, & non aliunde ea evenire, debet hoc explicare. Quare voluntas auferendi famam ſpecie differt a voluntate auferendi vitam, ut notant Lug., Valent., & alii.

VIII. Quinto, injuriæ, & percuſſiones ſpecie differunt, ſi fiant Patri, vel Matri, vel ſi fiant fratri, aut ſorori, vel ſi fiant filiis, vel ſi externis. Ratio eſt, quia diverſus honor his debetur. Et eodem modo injuria facta Principi eſt ſpeciale peccatum, ut docent Lug. Tambur. & alii.

IX. Sexto, qui peccatum beſtialitatis committit, non tenetur explicare ſpeciem animalis; Qui ſodomiam exercet, probabilius explicare debet fuerit ne agens, an patiens; quia agens committit etiam pollutionem. Verum Dian. part. 4. tract. 4. reſol. 159., & part. 5. tract. 14. reſol. 56. ex Alfonſo de Leone putat, non eſſe hoc explicandum, ſicut nec ſi cum mare, an cum fœmina: Explicandum ta-



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

tamen, ſi ſit conjugatus, aut habens votum caſtitatis, aut conſanguineus is, cum quo peccatur.

X. Septimo, ſi quis alium ſolicitavit, & peccatum non eſt ſecutum, debet id in confeſſione explicari; ſi tamen peccatum eſt conſecutum, putat probabiliter de Lugo, & Tambur. contra Sanch., & Bonac., non eſſe explicandum, quod primus invitaveris, quia, quamvis graviter peccaveris invitando, adhuc tamen es particeps peccati illius, etiamſi non invitaveris. Probabilior tamen videtur ſententia Sanchez, & Bonacinæ, quod explicandum ſit.

Denique advertendum ad theſim 25. confixam ab Alex. VII., in qua dicitur: *Qui habuit copulam cum ſoluta, ſatisfacit confeſſionis præcepto dicens: Commiſi cum ſoluta grave peccatum contra caſtitatem, non explicando copulam.* Oſtendimus quippe in explicatione hujus theſis, copulam in hoc caſu ſpectare ad peccati individuationem, ſpeciali modo participantem ſpeciem peccati. Etenim contra eandem virtutem poteſt dari multiplex ſpecie peccatum; ſicut eidem virtuti juſtitiæ adverſatur furtum, homicidium, detractio, & alia peccata ſpecie diverſa.

## ARTICULUS V.

### De aliis circumſtantiis, *Ubi*, *Quibus auxiliis*, *Cur*, *Quomodo*, *Quando*.

*I. Circumſtantia loci Sacri explicanda in furto; in effuſione ſanguinis; in effuſione publica ſeminis; ac in violatione Eccleſiaſticæ immunitatis.*

*II. In quonam ſenſu furtum eſt ſacrilegum, non ſolum tollendo Sacrum de Sacro, & Sacrum de non Sacro, ſed etiam non Sacrum de Sacro, ita ut loci Sacri circumſtantia ſit explicanda?*

*III. Quid requiritur, ut effuſio ſanguinis in loco Sacro ſit ſacrilega, & contra reverentiam loco Sacro debitam?*

*IV. Quid pariter, ut ſit ſacrilega ſeminis effuſio in loco Sacro? Num ſacrilegi ſint aſpectus turpes, tactus, & confabulationes ſimiles in Eccleſia?*

*V. Num debeat explicari peccatum, ad quod quis pravo ſuo exemplo proximum induxit?*

*VI. Finis operis malus explicandus eſt; etenim qui furatur ad adulterandum, magis eſt adulter, quam fur.*

*VII. Num tactus, & oſcula copulam ſubſequentia explicanda ſint?*

*VIII. Quinam peccati modus novam peccati ſpeciem trahat in confeſſione aperiendam?*

*IX. Quomodo actus moraliter interrumpantur, & tamquam nova peccata aperienda ſint?*

*X. Num debeat aperiri, quod quis ſe expoſuerit periculo peccandi, qui deinde peccat?*

*XI. Aperiendane ſit in confeſſione conſuetudo peccandi?*

*XII. Peccata ſcienter commiſſa non differunt ſpecie a commiſſis ex ignorantia invincibili; eſto propter iſta non incurratur reſervatio, aut cenſura illis annexa.*

*XIII. Contemptus gravis Superioris præter inobedientiam explicandus eſt.*

*XIV. Num ſit ſpeciale peccatum peccare ſtatim poſt communionem? Num peccet toties, quoties comedit carnes, qui vovit jejunium?*

I. Circumſtantia loci mutat ſpeciem peccati, & trahit ad Sacrilegium ratione irreverentiæ loco Sacro illatæ; Primo, ſi quis in loco Sacro furetur; Secundo, in effuſione peccaminoſa ſanguinis humani; Tertio,

tio, in effuſione publica, & peccamiNoſa ſeminis; Quarto, in violatione immunitatis Eccleſiæ.

II. Circa primum dico, furari in loco Sacro rem Sacram, eſt Sacrilegium, ex duplici titulo, ratione rei ſacræ, & ratione loci Sacri. Putat tamen Fagund. cum Dian. part. 1. tract. 7. reſol. 22., ſatis eſſe dicere, Commiſi furtum ſacrilegum, quia utrumque Sacrilegium eſt ejuſdem ſpeciei, & contra eandem virtutem religionis. Furari vero in loco Sacro rem profanam, verbi gratia, crumenam a divite orante in Eccleſia, multi cum Suar., Perez, & Canoniſtis communiter putant eſſe Sacrilegium, quia Joannes Papa VIII. in cap. *Quiſquis inventus*, ſtatuit univerſaliter eſſe Sacrilegium furari non ſolum Sacrum de Sacro, & Sacrum de non Sacro, ſed etiam rem non Sacram de loco Sacro. Verum Lug., Leſſ., Henr. probabiliter putant non eſſe Sacrilegium, niſi quando res non ſacra poſita eſt in Eccleſia ratione cuſtodiæ, vel ſecuritatis; aut ſi ſit Eccleſiæ commodata: De hoc enim caſu videtur loqui Joannes Papa; quia in tali caſu eſt ſub ſpeciali patrocinio, & cuſtodia divina; At quando per accidens eſt in Eccleſia res non Sacra, non videtur eſſe Sacrilegium. Nomine autem Eccleſiæ venit ſola Eccleſia, & Cęmeterium, non clauſtra, & habitatio Regularium, aut Oratoria, quæ facile redire poſſunt ad uſus profanos ad nutum Dominorum; Eſt etiam Sacrilegium, ſi quis in confeſſione aliquid furetur, aſſumendo confeſſionem ut medium ad furtum.

III. Circa Sanguinis effuſionem certum eſt, ea quæ cauſant violationem, & pollutionem Eccleſiæ, contrahere malitiam Sacrilegii ratione loci Sacri. Quare requiritur, quod effuſio injurioſa Sanguinis ſit magna, non modica, quia, ut notat Suar., effuſio copioſum fluxum ſignificat. Sufficit etiam homicidium factum cum peccato mortali, etiam ſine ſanguinis effuſione, ad violandam Eccleſiam, & ad Sacrilegium. Si quis in Eccleſia degens telo alium extra Eccleſiam occidat, putat Leand., & Fagund., quod non ſit ſacrilegus; ſecus vero, ſi extra Eccleſiam exiſtens alium telo intra Eccleſiam occidat, quia homicidium conſumaretur in Eccleſia.

IV. Circa ſeminis effuſionem, eſt Sacrilegium deſiderare effuſionem ſeminis, quæ fiat in Eccleſia, quia peccatum deſiderii internum, & opus externum ſunt ejuſdem ſpeciei; E contra deſiderare in Eccleſia effuſionem ſeminis, quæ fiat extra Eccleſiam, non eſt ſacrilegium; quia non quodvis peccatum, quod in Eccleſia committitur, eſt Sacrilegium, niſi ſit cum magna irreverentia, ut ſi quis meretrices publice impudice tangeret in Eccleſia, vel obſcœnas comœdias repræſentaret; Copula conjugalis, ut docent Perez, Vaſq., & alii, nunquam polluit Eccleſiam, nec eſt Sacrilegium, cum ſit actus licitus; licet Sanch., Suar., aliique apud Leand. exiſtiment, illam eſſe ſacrilegam, niſi per longum tempus in Eccleſia conjuges detineantur, ſaltem per quatuor dies. Effuſio ſeminis, vel Sanguinis occulta, quamvis non polluat Eccleſiam, eſt tamen ſacrilega, juxta Sanch., Suar., alioſque contra Vaſq., Hurtad. Dubium eſt, An tactus impudici, aſpectus, & confabulationes inhoneſtæ habitæ in Eccleſia ſint ſacrilega? Aliqui aſſerunt; plurimi negant. Demum poteſt judex a gaudentibus immunitate Eccleſiæ tollere arma ad vitanda facinora, ut docet Leand. Fagund. contra Dianam. Si judex ſub doloſis verbis reum ad egrediendum ab Eccleſia decipiat, non committit Sacrilegium, ex Suar., Fagund., Navar., Leand. contra Dian., & alios.

V. Quod

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

V. Quod attinet ad circumſtantiam, *Quibus auxiliis*, hæc eſt circumſtantia mediorum, quibus uſus eſt peccator ad opus malum, puta, ſi ad occidendum Patrem induxit filium, hæc circumſtantia eſt in confeſſione explicanda; quia ſic habetur & homicidium, & parricidium.

Dubitant Doctores, an debeat explicari ſpecies peccati, ad quod pravo exemplo proximus inducitur? Affirmant Sanch., Suar., Vaſq., & alii: Sed Lug., & Navar. apud Laym. probabiliter docent, tunc debere explicari, quando directe intenditur ruina, & peccatum proximi: Quod ſi ſolum indirecte cauſetur ruina proximi malo exemplo, cenſent, non debere explicari ſpeciem peccati; quia hoc tantum adverſatur charitati.

Qui fregit jejunium comedendo carnes, probabiliter ex Granad. contra Marcant. apud Dian. part. 5. tract. 14. reſol. 56., non tenetur hanc circumſtantiam explicare; quia fractio jejunii, ſive fiat per eſum carnium, ſive per multiplicem comeſtionem, opponitur eidem virtuti temperantiæ.

VI. Circumſtantia, *Cur*, eſt circumſtantia finis, quem in malo opere ſibi propoſuit peccator; puta ſi furatus eſt ad adulterandum: Procul dubio hic finis eſt in confeſſione aperiendus; Nam juxta Philoſophum, qui furatur ad adulterandum, magis eſt adulter, quam fur; quia furtum amatur ut medium, & adulterium ut finis; Unde fur ſimul eſt, & adulter, fur in re, adulter in voto.

Similiter contingere poteſt, ut peccatum ex ſe veniale ratione finis ſit mortale, puta ſi quis mentiatur, ut fœminam inducat ad adulterandum; In hoc tamen caſu ſatis eſt in confeſſione explicare animum inducendi fœminam ad adulterium, non explicato mendacio, utpote ex ſe tantum veniali; ut docent Sotus, Leand., & alii communiter. Eodem modo, qui furatur ad adulterandum, dicere poteſt, commiſi furtum, & habui animum adulterandi, etiamſi non explicetur furtum ordinatum ad adulterium, ut diximus art. 2. num. 5. Et ita docent Navar., Leand., Perez, Dian. contra Sylveſt., & alios.

VII. Quando quis utitur colloquiis, & tactibus obſcœnis ad fornicandum, ſi non ſubſequatur fornicatio, debet fateri colloquia, & tactus eo animo exhibita; Quod ſi fornicatio ſubſequatur, ſatis eſt dicere, ſemel fornicatus ſum: Si tamen poſt fornicationem ſubſequantur oſcula, & tactus ſine ordine ad ſecundam copulam, probabile eſt ex Navarro, Lug. & Tambur., ſatis pariter eſſe in confeſſione dicere, ſemel fornicatus ſum, quia ſatis ſic explicantur antecedentia, & conſequentia, quæ ſolent eum actum comitari; Si vero in ordine ad ſecundam copulam fiant, certe ſunt explicanda; quia committitur aliud numero peccatum.

VIII. Per circumſtantiam, *Quomodo*, denotatur intentio, & duratio culpæ, contemptus, conſuetudo peccati, ignorantia, &c.; verbi gratia, ſi quis poſt occiſum hominem diſcerpſit cadaveris membra, extraxit jecur, &c., tenetur hanc circumſtantiam fateri; quia ſupra injuſtitiam additur malitia feritatis, vel ſævitiei. Ita communiter contra Bonac.: Furtum etiam ſi fiat cum violentia, novam habet ſpeciem malitiæ, & dicitur Rapina; furtum enim eſt injuria realis; Rapina vero importat etiam injuriam perſonalem; Unde, ſi fiat rapina circa res Clerici, eſt etiam Sacrilegium. Eſt autem rapina furtum cum violentia, etiamſi violentia non per contactum corporalem, ſed minis, & metu injiciatur: Si tamen, abſente domino, fores effringantur, non dicitur rapina, cum non fiat injuria perſonalis.

Per ſe loquendo, non eſt neceſſe explicare in confeſſione durationem temporis in peccato; quia eſt circumſtantia ſolum aggravans; unde qui per diem habuit animum occidendi inimicum, vel per annum non habuit animum reſtituendi, ſatis eſt, ſi dicat, conſenſi ſemel in homicidium; Non reſtitui rem alienam: Quod ſi actus internus ſit interruptus, circumſtantia interruptionis eſt explicanda; quia moralis interruptio multiplicat peccata, ut dicemus art. ſequenti.

IX. Quomodo autem interrumpatur moraliter actus internus, variæ ſunt opiniones. Equidem cenſeo, interrumpi moraliter non ſolum per actum contrarium, ſed etiam per voluntariam ceſſationem ab illo actu interno; ut ſi quis voluntarie nolit amplius cogitare de pravo aliquo objecto, & applicet ſe libere ad alia, & poſtea redeat, vere multiplicavit actum internum peccaminoſum, non ſolum phyſice, ſed etiam moraliter. Vaſq. tamen, Nugn., aliique apud Dian. part. 3. tract. 4. reſol. 95. putant, actum internum moraliter interrumpi etiam per ceſſationem ab illo involuntariam. Demum Fagund., Rebel., Navar. putant interrumpi moraliter per ceſſationem ab actu per aliquod tempus notabile, puta ex Fagund. per dimidiam horam. Quare ut his ſcrupulis occurratur, conſultius eſt dicere tempus, quo quis in peccato perſeveravit, & tacere interruptionem, quando eorum numerum aſſequi eſt difficile; ut advertit Tambur. lib. 2. cap. 1. §. 5.

X. Dubium eſt, an qui ſe exponit periculo peccandi, & deinde peccat, teneatur explicare utrumque peccatum?

Reſpondeo negative; quia exponere ſe periculo eſt quædam voluntas peccati ſequentis. Unde quando ea moraliter conjunguntur, unum peccatum faciunt, ex Lug., Sanch. Leand.: Sicut unum eſt peccatum omittere orationem tempore gravis tentationis, & tentationi ſuccumbere; ut iidem docent contra Sanc.. Et ratio eſt, quia ex eodem præcepto, quo quis tenetur non peccare, tenetur vitare periculum proximum peccandi, & orare, quando ad vitandum peccatum oratio eſt neceſſaria.

XI. Dubitatur etiam, An qui peccat ex conſuetudine, debeat circumſtantiam hanc explicare?

Reſpondeo, quod licet teneatur pœnitens reſpondere confeſſario interroganti conſuetudinem peccati, cum oppoſita ſententia ſit damnata ab Innocentio XI. in theſi 58., quæ habet: *Non tenemur Confeſſario interroganti fateri peccati alicujus conſuetudinem*; tamen, per ſe loquendo, non eſt aperienda hujuſmodi circumſtantia. Ita Suar., Lug., Perez contra Sylveſt., & Sot.; tum quia intantum per hos Doctores eſt aperienda, inquantum importat periculum morale, & occaſionem proximam ad peccata ſequentia; Atqui jam diximus periculum peccandi proximum non eſſe aperiendum, ut novum peccatum, quando peccatum ſubſequitur, & facit unum moraliter cum illo; ergo ex hoc capite non tenetur peccator aperire circumſtantiam conſuetudinis peccati; (quamvis de illa debeat ſe accuſare, ſi vi illius ſit in proximo periculo peccandi, quin tamen deinde tale peccatum committat) Tum etiam quia, ut Perez, & alii notant, communiter homines non advertunt ad periculum proximum relabendi propter conſuetudinem; nec facile diſcernunt, quando ad eum gradum devenit conſuetudo, ut inducat periculum proximum. Expedit tamen, & ſæpe tenetur peccator, ut advertunt Suar., & Perez, in remedium ſuæ conſcientiæ

ma-

manifeſtare conſuetudinem peccati; nam qui ſæpe incidit in peccatum, verbi gratia, mollitiei, quando vix aliud præſentius, & efficacius remedium habere poteſt, quam quod ſæpe, imo pluries in hebdomada eidem confeſſario confiteatur, ut remedium hujuſmodi, vel aliud ſimile injungatur, debet ſtatum ſuæ conſcientiæ, & conſuetudinem peccandi aperire; Aliter peccator nolens remedium, & curationem procul dubio peccat.

Præterea, qui ex conſuetudine jurat, & ſine advertentia etiam pejerat, blaſphemat, &c. quamvis tunc non peccet ratione inadvertentiæ, at tenetur hujuſmodi conſuetudinem tollere; quia eſt gravis irreverentia ſæpe, & cum ſcandalo adducere Deum in teſtem falſi, & blaſphemare, etiamſi materialiter: Quare hujuſmodi conſuetudo, niſi tollatur, aperienda eſt in confeſſione, ex Sanch., Lug., Perez. Et confeſſarius ſæpe debet abſolutionem differre, donec experiatur, num pœnitens animum appulerit ad conſuetudinem hanc tollendam, ut fuſius diximus in expoſitione 60. theſis ab Innoc. XI. proſcriptæ.

XII. Circa peccata commiſſa ex ignorantia dico cum communi, non differre ſpecie peccata ſcienter commiſſa a commiſſis ex ignorantia culpabili; Unde tam qui, verbi gratia, noluit audire Sacrum die feſto, quam qui noluit ſcire præceptum audiendi Sacrum, advertens ad debitum inquirendi, ſufficienter exponit peccatum ſuum dicendo, Non audivi Sacrum die feſto: Idque etiamſi revera non fuerit dies ille feſtus. Et ratio eſt, quia hujuſmodi peccata non differunt in malitia objectiva, licet differant in modo voluntarii. Advertendum tamen, quod ſi ſit caſus reſervatus, verbi gratia, omiſſio Sacri die feſto, vel ſit illi annexa excommunicatio, qui putans hodie eſſe diem feſtum non audit Sacrum, peccat quidem mortaliter; quia tamen revera non eſt dies feſtus, non incurrit reſervationem, aut excommunicationem; nec illam incurrit, qui omittit Sacrum die feſto putans erronee, omiſſioni Sacri annexam eſſe excommunicationem, aut reſervationem.

XIII. Demum contemptus Superioris, & inobedientia, quando eſt gravis, ſunt explicanda, quia aliud peccatum eſt tranſgreſſio præcepti, aliud vero gravis contemptus, & indignatio in Superiorem.

XIV. Ultima circunſtantia, *Quando*, denotat tempus, quo peccatur, cum aliquando poſſint plura præcepta concurrere reſpicientia diverſas virtutes; & denotat etiam durationem peccati, de qua jam diximus. In die feſto, vel in hebdomada Sancta, aut die, quo quis Euchariſtiam ſumit, peccare, eſt circumſtantia ſolum aggravans, non mutans ſpeciem; ſecus vero die, verbi gratia, Paraſceves exhibere publica ſpectacula; eſſet enim grave ſcandalum, & magna irreverentia debita tali diei. Qui tenetur ex voto jejunare, toties peccat, quoties eo die comedit carnes, ex Suar., & Azor. contra Sanch., Laym., Leand., & Dian., qui dicunt ſemel tantum peccare; eo quod vovens non per ſe voveat abſtinentiam carnium, ſed quatenus eſſentialiter includitur in jejunio, quod poſt primam carnium comeſtionem non poteſt amplius ſervari. Certum tamen eſt apud Doctores, quod qui comedit carnes die veneris, aut ſaturni, necnon diebus jejuniorum ab Eccleſia præceptorum, toties peccat, quoties illas comedit, eo quod præceptum negativum non comedendi carnes obligat ſemper, & ad ſemper tempore prohibito: Contra tamen qui bis in die jejunii comedit cibos quadrageſimales, aut qui ſe-

ſemel comedit carnes, non peccat amplius, ſi iterum comedat cibos quadrageſimales; quia cum non poſſit amplius jejunare, ſeu unicam comeſtionem facere, non tenetur amplius ad jejunium.

## ARTICULUS VI.

### De integritate Confeſſionis quoad numerum peccatorum.

*I. Quonam pacto ſingula peccata in confeſſione explicanda ſunt?*

*II. Quomodo explicandus eſt numerus peccatorum internorum, quando nil certi, aut probabilis deprehendi poteſt?*

*III. Quid, ſi poſt præmiſſum ſufficiens examen fiat confeſſio, ac deinde diſtinctior peccatorum numerus advertatur?*

*IV. Undenam deſumatur unitas, vel pluralitas peccatorum?*

*V. Quomodo moraliter interrumpantur actus tum interni, tum externi?*

*VI. Num ſit multiplex peccatum plures confeſſiones audire ſucceſſive, aut plures communicare in ſtatu peccati mortalis?*

*VII. Qui die Nativitatis Domini tres miſſas celebrat in mortali, tria ſacrilegia committit.*

*VIII. Non peccat die jejunii, qui abſoluta cœna cum animo non amplius comedendi, mutata voluntate, paulo poſt pergit comedere.*

*IX. Probabiliter unum numero peccatum committit, qui uno actu decem homines occidit; quamvis in eo actu decem homicidii malitiæ contineantur.*

*X. Univerſim ex multiplicitate numerica objectorum multiplicatur quidem numerice malitia in eodem actu, ſed non multiplicatur numerus peccatorum in confeſſione explicandus.*

*XI. Qui ter fornicatus eſt, debetne explicare, num cum eadem perſona, an cum tribus?*

I. EX Trident. conſtat, non ſolum ſpecies peccatorum, ſed etiam ſingula peccata in individuo eſſe in confeſſione explicanda; Nam ſeſſ. 14. can. 7. hæc habentur: *Si quis dixerit, in Sacramento pœnitentiæ neceſſarium non eſſe jure divino confiteri omnia, & ſingula peccata mortalia, Anathema ſit.* Et ratio eſt, quia in hoc Sacramento Confeſſarius Judex eſt, & Medicus; ergo debent illi manifeſtari non ſolum ſpecies, ſed etiam numerus peccatorum, ut poſſit apte judicare, & medicinam applicare; Nam, ut idem Trident. cap. 5. dicit: *Quod ignorat medicina non curat:* Certum autem eſt apud omnes, non requiri de ſingulis mortalibus in individuo & ſeorſim mentionem facere in confeſſione, ſed ſatis eſſe, omnia uniuſcujuſque ſpeciei in aliquo numero confiteri; dicendo, verbi gratia, decies pejeravi; Sic enim omnia, & ſingula peccata apte confitemur.

Quæritur nunc primo; Quomodo explicandus ſit numerus peccatorum?

Reſpondeo, quando quis ſcit numerum certum, debet illum explicare, dicendo, verbi gratia, decies blaſphemavi; nec ſatis eſt dicere, blaſphemavi pluries. Quod ſi facta morali diligentia, non poſſit aſſequi numerum certum, ſed aſſequatur numerum aliquem, qui plus minuſve parum creditur a certo numero diſtare, debet hoc pacto illum confiteri, dicendo, verbi gratia, blaſphemavi decies circiter, ita ut ſi deinde certo deprehendat duodecies, verbi gratia, blaſphemaſſe, non teneatur iterum numerum hunc certum confiteri, ut diximus quæſt. 2. art. 3. cum de peccato dubio; ubi oſtendimus, quantam habet latitudinem ly circiter.

Si demum, facta morali diligentia, neque numerus certus, neque probabilis, & parum diſtans à certo poſſit deprehendi, tunc juxta communem Doctorum ſatis eſt confiteri conſuetudinem peccandi, & modum frequentiæ, quantum fieri poteſt, per dies, vel hebdomadas, dicendo, verbi gratia, decies circiter ſingulis diebus, aut hebdomadis per tot menſes blaſphemavi. Advertit tamen Vaſq. quæſt. 98. art. primo dub. 5. peccatores habituales non eſſe cogendos ad explicandum numerum per dies, vel hebdomadas circa actus internos, cum difficile ſit eorum numerum probabilem aperire; Ac proinde ſi interrogentur, exponuntur periculo errandi circa numerum, vel per exceſſum, vel per defectum bene magnum; Præſertim ſi ſint ruſtici: Quare ſatis eſt, ſi dicant tempus, quo vixerunt in eo ſtatu, ſpecies præcipuas peccatorum, & numerum probabilem actuum externorum per dies, vel hebdomadas, quia actus externi facilius in mentem veniunt: Verbi gratia, meretrices ſatisfaciunt ſuæ obligationi, explicando non tempus ſolum, quo perſeverarunt in tali ſtatu, & conſuetudinem peccandi, (ut quidam voluerunt) ſed etiam modum frequentiæ circa actus externos; Alia enim frequentia eſt in magna civitate, ita ut pluries quotidie, alia in oppidulo, ita ut vix ſemel in hebdomada meretrices peccent peccato externo: Explicare etiam debent numerum certarum ſpecierum, quæ raro occurrunt, & facile in memoriam veniunt; ut quoties cum conſanguineis peccarint, vel cum habentibus votum caſtitatis, vel cum conjugatis, vel contra naturam, vel extra vas.

II. Circa actus vero internos ſatis eſt, ſi juxta ſententiam Vaſq. dicant ſpecies peccatorum, & tempus, quo in iis ut plurimum peccarunt; Niſi aliquando extraordinaria quædam frequentia eſſet explicanda.

Idem dicas de Concubinariis, qui vel domi, vel alibi habent concubinas, ad quas ſæpe tamquam ad uxores accedunt: Debent enim explicare, an quotidie, an ſemel in hebdomada cum iis peccarint; quia actus externi facile ad certum, aut probabilem numerum reduci poſſunt. Idem dicendum de iis, qui paſſim loquuntur de turpibus cum peccato mortali; necnon de iis, qui paſſim concupiſcunt fœminas, aut pueros ſibi obvios, aut moroſe de iis delectantur: Quamvis in his peccatis, non ſecus ac in internis, difficile ſit aliquando numerum probabilem invenire; unde in tali caſu ſatis etiam eſt explicare tempus, & ſpecies præcipuas peccatorum, ut advertit Tambur. lib. 1. cap. 1. §. 7. ex Lug. diſp. 26. num. 575.

Idem demum dicas de iis, qui ex conſuetudine blaſphemant, detrahunt, pejerant, furantur, &c. Iſti enim explicare debent, quantum poſſunt, numerum furtorum gravium, & advertere quam reſtitutionem facere debeant.

III. Ubi bene notat Lug., & Tambur., quod ſi peracta ſic confeſſione, occurrat menti ſpecies aliqua peccati non explicata, debeat deinde in alia confeſſione explicari: Contra vero, ſi occurrat menti numerus magis diſtinctus peccatorum, non oportet iterum illum confiteri, quia ſatis explicatus eſt ſub ea confuſa explicatione, quam potuit tunc facere pœnitens. Hæc enim eſt praxis fidelium.

IV. Quæritur ſecundo; unde deſumatur unitas, vel pluralitas numerica peccatorum?

Reſpondeo, quæſtionem procedere tam de actu interno, puta de judicio temerario, delectatione moroſa, deſiderio turpi, &c., quam de actu externo imperato ab interno, puta de

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

de occiſione, detractione, blaſphemia, fornicatione, &c. De utroque ſeorſim dicendum.

V. Circa actus internos dico, multiplicari numero per interruptionem non phyſicam, ſed moralem, juxta ea, quæ diximus art. ſuper., & late explicat Tambur. lib. 2. cap. 1. §. 5.; ubi advertit, quod quando quis, verbi gratia, odio habuit inimicum, aut concupivit puellam pluribus actibus, dupliciter id contingere poſſit: Vel enim eodem impetu plures hujuſmodi actus brevi intervallo inter ſe diſtantes elicuit; & quia hi actus ſunt moraliter unus actus, ideo ſatis eſt in confeſſione dicere, ſemel odio habui inimicum, &c.; Vel hujuſmodi actus habent talem interruptionem, ut non ab eodem impetu procedant, & quamvis ſint moraliter plures numero iſti actus, tamen quia difficile eſt aſſequi certum, aut probabilem numerum talium interruptionum; ideo ſatis eſt dicere, Per menſem, verbi gratia, vel per annum odio habui inimicum, concupivi puellam, &c.; ſic enim explicantur interruptiones, quæ humano modo ſolent accidere. Advertit tamen Con., explicandum eſſe, ſi vel frequentia, vel raritas interruptionum fuerit notabilis. Hoc autem admittit Tambur., quando, verbi gratia, quis per menſem odio haberet inimicum cum interruptionibus humano modo ſolitis accidere, & deinde per annum, verbi gratia, a tali odio quieſceret, tunc enim odium illius menſis, & hoc odium præſens diſtincte eſſent explicanda.

VI. Circa actus externos dico eſſe unum moraliter; Primo, ſi eodem veluti impetu procedant, nec moraliter exiſtimentur plures; propterea, ſi quis uno impetu paſſionis pluries aliquem percutiat, pluries pejeret, aut detrahat, unum peccatum committit: Immo ſi quis Confeſſarius audiat in mortali plures confeſſiones ſucceſſive, ex Lug. diſp. 16. de Pœnit. num. 558., & Rodriq. contra quamplures, unum mortale committit. Unde ſatis eſt dicere, Audivi ſemel plures confeſſiones in ſtatu peccati mortalis; Admittunt pariter communius, quod unum mortale committatur ab eo, qui in mortali plures communicat: Immo nonnulli, quibus non aſtipulor, putant, non eſſe mortale miniſtrare Euchariſtiam in ſtatu peccati mortalis, quia miniſtrans Euchariſtiam non conficit Sacramentum, nec immediate gratiam confert, ſed ſolum applicat Sacramentum collativum gratiæ.

Secundo, plures actus externi ſunt unum peccatum moraliter, ſi ordinentur ad eundem finem, ut parare arma, equum conſcendere, &c., ad occidendum inimicum; Sic tactus, & oſcula præcedentia copulam. Immo etiam juxta probabilem ſententiam, ſi copulam conſequantur.

Notandum tamen hic primo, quod ſi peccator finem intentum conſequatur, ſufficienter explicat omnes actus externos prævios explicando finem intentum, Verbi gratia, copulam conſequutam: Contra tamen explicari debent actus externi poſiti ad malum finem, quando finis non obtinetur: Etenim actus externi, qui immediate pendent ab internis, ſunt in confeſſione explicandi, etiamſi non addant novam malitiam ſupra actus internos, ut omnes Doctores docent ex praxi Eccleſiæ.

Notandum ſecundo, media ad finem intentum vel eſſe indifferentia, ut parare arma ad occidendum hoſtem, vel eſſe mala ejuſdem ſpeciei cum fine, ut tactus relate ad copulam, vel eſſe mala diverſæ ſpeciei, ut conſulere magos ad adulterandum per tertiam perſonam, tentare puellam, &c.; Si ſint diverſæ ſpeciei, pro-

procul dubio ſunt explicanda in Confeſſione, ſive finis ſit obtentus, ſive non; Si vero ſint indifferentia, aut mala ejuſdem ſpeciei, tunc ſatis eſt explicare peccatum conſummatum; Quod ſi finis non ſit obtentus, oportet explicare ea media, ſive indifferentia, ſive mala, poſita eſſe ad finem peccaminoſum obtinendum; quia illæ actiones externæ informantur a malitia finis.

Notandum ultimo, quod ſi quis per annum, verbi gratia, meditatus eſt puellam cognoſcere, hoſtem occidere, &c., non ſolum debet peccatum conſummatum explicare, ſed præterea debet dicere, ſe per annum fuiſſe cum ea mala intentione; Nam cum eo anno pluries moraliter interruperit actum pravum internum, ſic dicendo explicat eo modo, quo poteſt, numerum actuum internorum: Tunc autem ſatis eſt in dicto caſu ſolum confiteri peccatum externum, quando procedit ab uno moraliter peccato interno, etiamſi per multum temporis duraverit talis actus internus, nullatenus moraliter interruptus.

VII. Ex dictis ſequitur primo, quod ſi Sacerdos celebret in mortali tres miſſas in die Nativitatis, tria peccata committat: Contra vero, ſi aliquando poſt ſuam communionem communicet populum per duas horas, & deinde ſumat reliquas particulas, unum peccatum committit ſumendo Sacram Synaxim ſacrilege, licet major diſtantia temporis intercedat inter communionem, quam fecit in Miſſa, & communionem particularum, quas ſumpſit poſt communionem populi, quam inter unam, & alteram miſſam die Nativitatis. Ratio eſt, quia miſſæ die Nativitatis celebratæ non ſunt actiones ſubordinatæ, nec faciunt unum moraliter: Contra vero communio in miſſa, & ſumptio particularum poſt communionem populi.

VIII. Sequitur ſecundo, quod ſicut die jejunii non peccat, qui comedit paulo poſt finem cœnæ, (etiamſi ceſſaverit comedere cum animo non amplius comedendi) propter unitatem moralem comeſtionis; Ita ſi quis comederit carnes, & paulo poſt iterum illas comedat die jejunii, unum peccatum committit, propter unitatem pariter moralem operis: Et eodem modo unum peccatum committit, qui progreditur ad occidendum inimicum, etiamſi iter arreptum pluries brevi intervallo interrumpat, & animum occidendi pluries ſuſpendat? Non tamen ſi hujuſmodi actus interrumpantur per actum contrarium.

IX. Quæritur ultimo; An ex pluralitate numerica objectorum multiplicetur numero malitia in eodem numero actu ſive interno, ſive externo; Et an ea explicanda ſit in confeſſione? Exempli gratia, ſi quis uno ictu occidit decem homines, debetne confiteri, quod commiſerit decem homicidia, an quod uno ictu decem occiderit? An ſatis eſt dicere, Uno ictu occidi plures homines? Et quid, ſi diceret, commiſi homicidium? Item quæritur, ſi quis unico actu deſideret occidere decem, vel habere copulam cum tribus fœminis ejuſdem rationis; vel ſi ſcandalum det decem perſonis; vel ſi unico furto, vel unica detractione læſerit, verbi gratia, centum homines.

Reſpondeo, actum, quo quis occidit decem homines, continere decem malitias decem homicidiorum, juxta ſententiam Vaſq. quæſt. 91. ar. 1. dub. 47.; ſicut duas ſpecie malitias continet actus, quo quis, verbi gratia, occidit Sacerdotem, alteram homicidii, alteram Sacrilegii. At juxta ſententiam Suar. diſp. 22. ſect. 5., Lug. diſp. 16. a num. 27. unica eſt nu-

numero malitia in actu, quo quis decem homines occidit, quia quamvis plura objecta ſolo numero diverſa poſſint ſeorſim ſumpta refundere in actus humanos malitias numero diverſas; cum tamen ſimul ſumpta ab eodem actu reſpiciuntur, concurrunt per modum unius objecti ad eandem numero malitiam.

Equidem ab hac quæſtione ſpeculativa præſcindo, & dico cum Tambur. lib. 1. cap. 1. §. 2., Perez, & Leand. apud Dian. p. 9. tr. 9. reſ. 55., quod ſive plures numero malitiæ in his actibus contineantur, ſive una tantum, veluti magis extenſa, nequaquam obligemur pluralitatem talium malitiarum in eodem actu incluſarum explicare in confeſſione. Ratio eſt, quia ex Trident. ſolum obligamur confiteri malitias ſpecie diverſas, & numerum peccatorum, non vero numerum malitiarum in eodem actu contentarum. Et confirmatur, quia ſicuti qui furatur centum aureos, committit peccatum, quod continet malitias centum furtorum gravium unius aurei; & tamen quia eſt unum peccatum, & unus actus, ſatis eſt in confeſſione dicere, Furatus ſum materiam gravem: Ita quando quis uno ictu occidit decem homines, licet hic actus contineat malitias decem homicidiorum, quia tamen eſt unum peccatum, & unus actus, ſatis eſt in confeſſione dicere, Plures uno ictu occidi, ſive fuerint duo, ſive decem, ſive centum.

Non ſatis eſt autem dicere, Feci homicidium, quia ſic non explicatur peccatum commiſſum, quo plures interfecti ſunt; Etenim per illa verba fit ſenſus, quod unum tantum hominem occideris: Sicut nec bene exponitur hoc peccatum, dicendo, Commiſi decem homicidia; quia fieret ſenſus, quod per decem diverſos actus ea commiſeris.

X. Idem dicendum in ſimilibus caſibus in quæſito expoſitis; Quare ſatis eſt in confeſſione dicere, Deſideravi copulam cum pluribus; (modo ſint ejuſdem generis) Detraxi cuidam familiæ, non explicando numerum perſonarum; Fui occaſio multis peccandi meo malo exemplo; Furatus ſum a quadam communitate, &c., quando ſcilicet hæc peccata unico actu committuntur. Immo in materia de furto ſatis eſt dicere, Furatus ſum rem alienam; quia attenditur ſolum, quod injuſte abſtuleris, non a quo abſtuleris, ut docet Lug. num. 136. juxta communem praxim.

XI. Et probabile etiam eſt ex Dian., fornicantem cum tribus ſatisfacere, ſi dicat in confeſſione, Ter fornicatus ſum, non explicando, num cum eadem, an cum diverſis; quando non datur ratio ſpecialis novi ſcandali.

## ARTICULUS VII.

De cauſis excuſantibus ab integritate materiali Confeſſionis.

*I. Ex parte pœnitentis quænam cauſa excuſent a materiali integritate Confeſſionis?*

*II. Quænam vero ex parte Confeſſarii?*

*III. Num ceſſantibus deinde hiſce cauſis excuſantibus, teneatur pœnitens ſtatim integre confiteri?*

*IV. Non requiritur in confeſſione contritio, quando ex cauſa dimidiatur.*

*V. Probabilius licitum eſt revelare complicem, quando aliter peccatum exponi non poteſt: ſicut etiam perſonam, quæ eſt objectum proprii peccati.*

*VI. Qui habet reſervata ſimul, & non reſervata, non poteſt ſine gravi cauſa ſacramentaliter abſolvi a ſolis re-*

*reſervatis a ſuperiore, & pro aliis ad inferiorem remitti; ſed poteſt a ſuperiore tolli reſervatio, ut integra fiat Inferiori Confeſſio.*

VII. *Urgente neceſſitate poteſt hic aperiendo reſervata ſimul, & non reſervata Inferiori abſolvi ab his directe, ab illis indirecte, & cum onere; Probabiliter etiam poteſt in hoc caſu aut ſola non reſervata Inferiori aperire, aut cum ſola contritione ad communionem accedere.*

VIII. *Num poſſit pariter habens venialia, & mortalia a ſimplici Sacerdote abſolvi indirecte a mortalibus, ſi neceſſitas communionis urgeat, & deſit Confeſſor.*

IX. *Etiamſi reſervata habeant annexam excommunicationem, adhuc poſſunt indirecte ab inferiori abſolvi, tum ſi urgeat neceſſitas communionis, tum ſi aliter diu pœnitens carere deberet remedio confeſſionis.*

X. *Excommunicatio non tollit, quominus in hoc caſu valide conferatur Sacramentum Pœnitentiæ, ſupplente Eccleſia juriſdictionem.*

I. Diſcutiendum, quænam ſint juſtæ cauſæ excuſantes a materiali integritate, unde poſſimus ſine culpa aliquod peccatum in confeſſione reticere? Certum eſt, eas eſſe plures, quarum aliæ ſe tenent ex parte Pœnitentis, aliæ ex parte Confeſſarii.

Ex parte pœnitentis Primo eſt Ignorantia, ſeu oblivio peccatorum commiſſorum, ſive ſit inculpabilis, ſive tantum venialiter culpabilis, eo quod culpa venialis non impedit gratiam, adeoque nec Sacramentum propter hanc ignorantiam, quæ dicitur Ignorantia facti. Addit Suar. etiam excuſare Ignorantiam probabilem juris, ratione cujus prudenter aliquis exiſtimat poſſe licite omittere peccatum aliquod in confeſſione.

Secundo eſt Phyſica impotentia, puta, quia mutus, vel balbutiens omnia peccata, & ejus circumſtantias bene explicare non poteſt; vel quia infirmus nimis defatigatur in eadem explicatione, ut bene addunt Bonac., & Henr.

Tertio, Mortis periculum, quando ſcilicet periculum eſt, ne pœnitens inter confitendum moriatur: In quo caſu monet Suar., ut det pœnitens, ſi poſſit, materiam aliquam certam, neceſſariam, & in individuo, ut ſecurius Sacramentum ſuſcipiat.

Quarto Impotentia moralis, quæ habetur, quando prudenter ex confeſſione aliquorum peccatorum timetur grave aliquod damnum vel ſpirituale, vel temporale, vel ipſi pœnitenti, vel proximo: Excuſatur enim in hoc caſu, quia, ut loquitur Bernardus, Sacramentum, quod propter charitatem introductum eſt, non debet contra charitatem exerceri; Unde ſi quis metu prudenti, & cordato timeat, ne Sacerdos peccatum revelet, aut ipſum pœnitentem, vel alium infamet, nec poſſit alium confeſſarium commode adire, a quo hoc malum non timeatur, poterit peccatum, vel circumſtantiam in confeſſione omittere; quamvis cum onere, ut mox dicemus, confitendi illud ceſſante tali cauſa: Et idem dicas, ſi quis vel ſuſtentatus a Confeſſario, vel cohabitans cum illo timeat prudenter, quod ab eo ſit odio graviter habendus, & peſſime tractandus; Etenim hujuſmodi mala ſunt confeſſioni extrinſeca: Non excuſatur tamen, ſi timeat, quod æſtimetur malus a Confeſſario, qui prius probus credebatur; quia malum hoc eſt confeſſioni intrinſecum.

Quinto, ſi ex confeſſione alicujus peccati reveletur ſigillum, non tenetur



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

tur pœnitens, nec poteſt illud confiteri; quia arctius obligat ſigillum, quam integritas materialis confeſſionis.

II. Ex parte vero confeſſarii habetur excuſatio materialis integritatis; Primo, ſi prudenter ejus mors, aut loquelæ defectus timeatur poſt inceptam confeſſionem, nec poſſit alius Sacerdos advocari. Secundo, ſi detur probabilis timor mortis ex contagio, aut ex alio capite. Tertio, ſi ex ſua fragilitate Confeſſarius probabiliter timeat, ne ſibi, aut etiam pœnitenti cauſa ſit peccandi, diligentius interrogando circa ſpeciem, & numerum peccatorum, præſertim luxuriæ.

III. Certum eſt autem, quod his cauſis deficientibus teneatur pœnitens ex vi divini præcepti in nova confeſſione aperire peccata omiſſa. Et licet Sot., Henr., & alii putent, quamprimum debere ea confiteri; communis tamen ſententia docet, ſatis eſſe, ſi ea ſuo tempore confiteatur. Solum in Trident. præcipitur, quod ſi Sacerdos memor peccati mortalis tantum conteratur, quin poſſit præmittere confeſſionem Miſſæ, quam non poteſt ſine ſcandalo omittere, teneatur quamprimum deinde confiteri; Et Alex. VII. damnat propoſitionem trigeſimam nonam, qua dicebatur, per illam particulam *Quamprimum* intelligi, cum Sacerdos ſuo tempore confitebitur: Sicut etiam trigeſimam octavam, qua dicebatur, mandatum hoc Trident. non eſſe præceptum, ſed conſilium; Quia tamen verbum hoc, *Quamprimum*, ſumendum eſt moraliter, non phyſice, ideo in ejus theſis expoſitione dixi, nonnullos putare, ſatis eſſe, ſi hujuſmodi Sacerdos intra triduum adeat Confeſſarium. Ubi etiam adverti, hanc obligationem a Trident. imponi ſolis Sacerdotibus ſacrificantibus, non vero iis, qui dumtaxat communicant.

IV. Quando vero ob juſtam cauſam peccatum aliquod in confeſsione reticetur, ſatis eſt de illo atteri, quin requiratur contritio; quia tale peccatum in confeſſione perinde ſe habet, ac peccatum oblitum; de peccatis autem oblitis ſatis eſt atteri, eo quod ex Trident. intelliguntur incluſa in ea confeſsione in ordine ad effectum remiſsionis; quamvis non in ordine ad tollendam obligationem illa poſtmodum confitendi. His explicatis, ad præcipua dubia deſcendo.

V. Quæritur primo, Utrum excuſetur pœnitens ab integritate materiali, ne complicem manifeſtet: Verbi gratia, peccavit quis cum ſua matre a confeſſario cognita, debetne circumſtantiam hanc inceſtus explicare?

Reſpondeo, certum eſſe teneri alium Confeſſarium adire, ſi commode poteſt, ne proximum infamet; expectare etiam tenetur unum, vel alterum diem novum Confeſſarium, ſi forte mox eſt adventurus, quando non urget neceſſitas confeſsionis; quia unuſquiſque tenetur conſulere famæ proximi, quando poteſt ſine ſuo incommodo. Putant tamen aliqui cum Tamburino, poſſe non expectare, nec alium Confeſſarium adire, quando ſpiritualem conſolationem ſentit pœnitens in aperiendis ſuis peccatis alicui Confeſſario amico, vel docto, &c., etiamſi revelanda ſit apud hunc perſona complicis; tum quia multi Doctores cum Reginald., Navar., & aliis putant, non eſſe mortale manifeſtare defectum proximi uni, vel alteri viro prudenti; quare ſi detur aliqua cauſa manifeſtandi confeſſario amico, aut docto perſonam complicis, a fortiori excuſabitur pœnitens etiam a veniali: Tum etiam quia fideles univerſim non ſunt ſolici-

ti de manifeſtando complice in confeſsione; unde videntur homines in tali caſu ceſſiſſe ſuo juri; Etenim quando quis peccat cum ſocio, bene ſcit, tale peccatum aperiendum eſſe confeſſario, & ideo videtur ſuo juri cedere, & contentus eſſe, ut manifeſtetur in confeſsione: Quamvis contraria ſententia probabilior ſit, & tutior.

Ad quæſitum nunc reſpondeo, Marſil., Bagn., Navar., Valent. apud Fagund. 2. præcepto Eccleſ. lib. 5. cap. 1. putare, non poſſe licite complicem in confeſsione explicari. Ratio eſt, quia ex naturali, & divino jure tenemur conſervare illæſam famam proximi: Et ſolum ex jure divino poſitivo tenemur ad integritatem materialem confeſſionis; ergo concurrentibus his juribus, illud fortius ligat, & prævalet.

Sed communior ſententia Suar., Vaſq., Lug., Perez putat licere; Immo addunt, non ſolum id licere, ſed etiam debere complicem explicari, quoties aliter peccatum, aut circumſtantia ſpeciem mutans explicari non poteſt. Ratio eſt, quia ſi tenemur ex inſtitutione Chriſti ſupremi Domini famæ uniuſcujuſque aperire peccata in confeſsione cum infamia propria, a fortiori tenemur cum infamia proximi, quando id opus eſt. Confirmatur primo, quia in judicio forenſi, quoties Judici conſtat de delicto habente complicem, ſtatim judex habet jus interrogandi de complice, & reus tenetur reſpondere; ergo pariter in judicio Sacramentali. Confirmatur ſecundo, quia cum Chriſtus ſupremus Dominus famæ obligarit nos ad integritatem confeſsionis, obligavit pariter nos ad id, quod cum hac integritate connectitur; atqui cum ea connectitur non ſolum manifeſtatio criminum cum propria infamia, ſed etiam aliquando cum infamia proximi; ergo ad hoc nos obligavit, contra quam obligationem a Domino ſupremo famæ ortam nemo jus habet ad famam ſuam.

Ad rationem in contrarium reſpondetur, quod ſicut judex in judicio forenſi non præcipit aliquid contra jus naturæ, quando præcipit reo, ut revelet complicem, & quando præcipit teſti, ut accuſati crimen aperiat; quia ipſum jus naturæ dictat, manifeſtandum eſſe delinquentem in talibus circumſtantiis: Ita in foro Sacramentali jus naturale de conſervanda fama proximi ceſſat obligare pœnitentem; Immo dictat, maxime conſentaneum eſſe ad reverentiam Sacramenti, & ad perfectum judicium in eo formandum, ut integre peccatum aperiatur, & ſic manifeſtetur peccati ſocius, quando ad integritatem confeſſionis eſt opus. Unde fit, ut non dicantur concurrere duo illa jura, videlicet naturale de non infamando proximo, & poſitivum de integritate confeſſionis; Nam ſolum jus poſitivum de integritate confeſſionis obligat, & jus naturale in talibus circumſtantiis non obligat non infamare proximum; ſed ex reverentia debita Sacramento obligat ad integritatem confeſſionis, etiamſi debeat crimen proximi manifeſtari uni confeſſario.

Si tamen ex confeſſione venialium, vel mortalium alias confeſſorum deberet complex infamari graviter apud confeſſarium, cenſeo cum Lug., & Perez, debere pœnitentem a tali confeſsione abſtinere, cum ea ſit libera: Secus vero, ſi peccatum ſit mortale, ac neceſſario confitendum.

Propter eaſdem rationes adductas ad probandam obligationem manifeſtandi complicem, putant Lug., Granad., Tambur., quod teneatur etiam pœnitens manifeſtare perſonam, quæ eſt

eſt objectum proprii peccati, ſi aliter non poſſit confiteri peccatum ſuum: Verbi gratia, ſi filius dedit venenum matri gravidæ ex pravo concubitu, tenetur manifeſtare matrem, quæ non eſt complex, ſed ſolum objectum proprii peccati. Verum Suar., Fagund., & Perez id negant, quia in judicio ſolus complex, non vero objectum criminis manifeſtari poteſt. Prior tamen ſententia videtur probabilior.

Addit Suar., poſſe pœnitentem tam intra, quam extra confeſſionem dare confeſſario notitiam complicis, etiam non neceſſariam integritati confeſſionis, vel ad petendum conſilium, vel propter aliud emolumentum ſive ſpirituale, ſive temporale, aut proprium aut complicis, aut proximi. Et Lug. advertit, accidere poſſe caſum, in quo confeſſarius obliget pœnitentem ad manifeſtandum complicem, quando ſcilicet ex occultatione complicis graviſſima damna imminerent, quæ pœnitens neque per ſe, neque per alium idoneum præcavere poſſet. Hic tamen caſus eſt rariſſimus; & potius confeſſarius debet ſæpe pœnitentem monere, quando ſine ulla cauſa complicem manifeſtat. Quod ſi pœnitens in confeſſione det confeſſario notitiam complicis, ut illum corrigat, curet notitiam hanc habere extra confeſſionem, ne ſcandalum ſuboriatur.

VI. Quæritur ſecundo, an ſit juſta cauſa dimidiandi confeſſionem, & excuſans ab integritate materiali, quod pœnitens habens caſus reſervatos non poſſit ſuperiorem adire, ut ab iis abſolvatur. Videntur quippe peccata reſervata fruſtra aperiri confeſſario inferiori non habenti poteſtatem in illa.

Reſpondeo, ſine juſta cauſa non ſolum non licere dimidiare confeſſionem, revelando confeſſario inferiori ſolum non reſervata, & deinde ſuperiori reſervata, (quod eſt omnino certum) ſed nec etiam licere illam dimidiare hoc altero modo, ſcilicet confitendo prius ſuperiori reſervata, & deinde inferiori non reſervata, ut communiter docent Doctores contra Alenſ., Bonavent., Navar., Cajet., Tolet.. Et ratio eſt, quia integritas confeſſionis eſt de jure divino, nec poteſt abſque urgenti cauſa in ea diſpenſari; Quare damnata fuit ab Innoc. XI. propoſitio 59. dicens: *Licet Sacramentaliter abſolvere dimidiate tantum confeſſos, ratione magni concurſus pœnitentium, qualis, verbi gratia, poteſt contingere in die magnæ alicujus feſtivitatis, vel indulgentiæ.* Ex quo colligitur, non dici urgentem cauſam, propter quam in caſu noſtro poſſit dimidiari confeſſio, magnam occupationem ſuperioris, qui non poteſt commode reſervata ſimul, & non reſervata audire; ſic enim pariter Parochus poſſet ratione ſuæ occupationis auditis aliquibus tantum peccatis ſacramentaliter abſolvere.

Dico itaque primo; Urgens, & rationabilis cauſa dimidiandi confeſſionem hoc ſecundo modo, (ſcilicet confitendo ſuperiori ſolum reſervata, & deinde inferiori non reſervata) ex Con., & Lug. videtur eſſe, ſi ſuperiori nullo modo vacaret audire hic, & nunc confeſſionem integram, & pœnitens non poſſet diutius carere abſolutione ſacramentali, vel quia urget neceſſitas communicandi, vel ex alio capite: & præterea requiritur, ut nullus alius confeſſor idoneus adſit, cui poſſit integre confiteri, ſublata jam extra Sacramentum reſervatione, vel cenſura a ſuperiore; qui caſus eſt rariſſimus; ut notavimus quæſt. 3. art. 3. quæſ. 6.. Verum tamen eſt, quod ſi ſuperior auditis ſolum reſervatis Sacramentaliter abſolveret, quamvis peccaret, valide abſolveret; directe quidem a reſervatis, & indirecte ab aliis non confeſſis; unde non

te-

teneretur pœnitens amplius confiteri peccata, a quibus fuit directe abſolutus, ut notat Suar. diſp. 31. ſect. 1.

Neque favet pro dimidianda hoc pacto confeſſione Sacramentali ſtylus Curiæ Romanæ, quem adducit Sylveſter, qui fuit in Baſilica Sancti Petri Pœnitentiarius.

Nam ſtylus Curiæ is fuit, ut extraſacramentaliter abſolveretur pœnitens ab excommunicatione Pontifici reſervata, & deinde remitteretur ad Inferiorem pro confeſſione, & abſolutione Sacramentali omnium omnino culparum.

VII. Dico ſecundo; Urgens, & rationabilis cauſa dimidiandi confeſſionem primo modo (ſcilicet confitendo inferiori ſolum non reſervata, cum onere confitendi poſtmodum ſuperiori reſervata) eſt neceſſitas tuendi vitam, vel famam, aut vitandi ſcandalum, aut communicandi, vel ſervandi præceptum confeſſionis; Necnon ex Leand. diſp. 5. quæſt. 58.; Suar., Granad., Lopez, ſi longo tempore differenda eſſet confeſſio, etiamſi non obliget præceptum confeſſionis; quia diu privari fructu hujus Sacramenti eſt notabile nocumentum. Ita communius Doctores apud Lug. de Euchar. diſp. 14. num. 98. contra Vaſq., quæſt. 91. art. 3.; qui putat, non licere in his caſibus confeſſionem dimidiare, eo quod careat inferior juriſdictione ſufficienti, ſed debere pœnitentem cum ſola contritione ad communionem accedere, quando opus eſt ad vitandum ſcandalum.

Ratio noſtræ Concluſionis eſt, quia talis confeſſio non eſt invalida, ut mox conſtabit contra Vaſq., & alios; ergo in dictis caſibus poteſt fieri; cum præſtet accedere ad communionem præmiſſa confeſsione valida ſolorum mortalium non reſervatorum, (imo etiam, ſi hæc deſint, ſolorum venialium, ut ſentit Conink de Euchar. diſp. 80. num. 20.) quam ſimpliciter non confiteri, & cum ſola contritione ad communionem accedere; Quinimmo cenſeo, pœnitentem ad hujuſmodi confeſsionem teneri; quia ſicut qui ex juſta cauſa poteſt reticere aliquod mortale, tenetur præmittere Communioni confeſſionem reliquorum mortalium; Ita qui ex defectu juriſdictionis in confeſſario non tenetur in caſu noſtro aperire inferiori peccata reſervata, tenetur aperire mortalia non reſervata, ut præmiſsa illorum confeſſione ad Communionem accedat.

Adverte tamen, eſſe ſatis communem, & probabilem, imo probabiliorem ſententiam apud Con. diſp. 7. num. 86. docentium in caſu adducto debere Pœnitentem confeſſario inferiori aperire reſervata ſimul, & non reſervata, cum onere confitendi deinde iterum ſuperiori ſola reſervata. Et ratio Con. eſt, tum quia in re, quæ pendet a Chriſti inſtitutione, non eſt a communi ſententia recedendum; tum etiam, quia ſic ſervatur integritas materialis præcepta a Chriſto Domino; nec videtur ſufficiens ratio excuſans ab hac integritate materiali, ne ſcilicet pœnitens ſubeat onus confitendi bis idem peccatum reſervatum; quia non eſt hoc onus tanti momenti, ut poſsit ab integritate præcepta excuſare.

Neque dicas primo cum Vaſq., confeſſionem reſervatorum ſimul, & non reſervatorum factam inferiori non habenti poteſtatem in reſervata non eſse validam ex defectu juriſdictionis; ergo talis confeſsio numquam eſt licita, & a fortiori nec debita.

Nam negatur antecedens; juriſdictio enim, quam habet inferior in non reſervata, ſatis eſt ad valorem Sacramenti, quando in caſibus adductis pœnitens reſervata ſimul, & non re-

re-

reſervata confitetur: Et ratio eſt, quia hæc eadem juriſdictio ſatis eſſet, ſi peccatum reſervatum eſſet invincibiliter oblitum, vel ſi eſſet dubium, aut ſi eſſet peccatum non reſervatum, ſed ex juſta cauſa omiſſum, ut ipſemet Vaſq. concedit; ergo etiam ſatis eſt, ſi pœnitens reſervata ſimul, & non reſervata confiteatur. Probatur hæc conſequentia, quam Vaſq. negat, quia confeſſio reſervati non minuit poteſtatem, & juriſdictionem in abſolvente, eo modo quo nec oblivio, aut reticentia ejuſdem peccati ex juſta cauſa; ergo ſi peccatum reſervatum valide abſolvitur, licet indirecte, ab inferiore, quando eſt oblitum, aut ex juſta cauſa omiſſum, valide etiam abſolvitur, & indirecte, quando eſt confeſſum in caſu adducto; quia non debet eſſe pejoris conditionis qui peccatum confitetur, ac qui obliviſcitur, aut reticet ex juſta cauſa.

Neque dicas ſecundo; ex Trident. ſeſſ. 14. cap. 7. Sacerdotem inferiorem extra mortis articulum nihil poſſe in caſus reſervatos.

Nam ſicut poteſt inferior reſervata abſolvere indirecte extra mortis articulum, ſi ſint oblita, vel ex juſta cauſa omiſſa; ita ſi ſint confeſsa in caſu concluſionis. Quare Trident. ſolum negat, inferiorem poſse extra mortis articulum abſolvere a reſervatis directe; non negat tamen indirecte; eo quod per poteſtatem indirectam non perturbatur ordo Eccleſiæ, & conſulitur bono animarum; quia ſemper remanet pœnitens obligatus adire ſuperiorem, & interim gaudet remedio Sacramenti; quod facilius aſsequi poteſt, quam aſſequatur per contritionem, quæ pariter remittendo indirecte reſervata, favet animarum bono, & non perturbat rectam Eccleſiæ gubernationem, eo quod poſt contritionem remanet onus adeundi ſuperiorem pro abſolutione.

Neque dicas tertio; In judicio forenſi non poteſt judex abſolvere reum a delictis, in quæ non habet juriſdictionem, etiamſi habeat juriſdictionem in alia delicta ipſius Rei; ergo neque in judicio Sacramentali.

Nam negatur conſequentia; Et diſparitas eſt, quia judex forenſi non habet poteſtatem abſolvendi indirecte, ſicut illam habet judex in foro Sacramentali; Etenim Confeſsarius abſolvit conferendo gratiam incompoſſibilem cum quovis peccato: ergo ſi habet poteſtatem abſolvendi aliquod peccatum pœnitentis, ac proinde conferendi illi gratiam Sacramentalem, debet pariter habere poteſtatem abſolvendi indirecte ab omnibus aliis peccatis incompoſſibilibus cum gratia collata.

VIII. Neque dicas quarto; Ergo pariter poterit ſimplex Sacerdos abſolvendo directe a venialibus abſolvere indirecte a mortalibus vel oblitis, vel ex juſta cauſa omiſſis, vel etiam confeſſis in ſimili caſu neceſſitatis adducto in concluſione.

Nam Suar. diſp. 31. ſect. 3. concedit hanc conſequentiam, quando intervenit bona fides pœnitentis: Advertit tamen, non eſſe hoc in uſu Eccleſiæ, ſicut eſt in uſu illud prius; Unde merito diximus, Con. admittere, quod habens ſola venialia cum mortali reſervato poſſit in caſu neceſſitatis abſolvi indirecte a mortali reſervato a Confeſſario inferiori, non tamen a ſimplici Sacerdote. Et diſparitas circa hunc Eccleſiæ uſum, quam adducit Suar. eſt; quia Confeſſarius inferior habens juriſdictionem in mortalia non reſervata habet id, quod eſt præcipuum, & quaſi ſubſtantiale in hac poteſtate; Unde nil mirum, ſi poſſet indirecte a reſervatis abſolvere in caſu neceſſitatis. Econtra ſimplex Sacerdos, qui ſolum habet juriſ-



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

dictionem in venialia, & in mortalia alias confeſſa, habet juriſdictionem valde tenuem, & ita non eſt uſu introductum, ut abſolvat indirecte a mortalibus in caſu neceſſitatis, ſed ſolum quod in extrema neceſſitate abſolvat directe ab omnibus.

Ex dictis infertur, quod pœnitens habens reſervata ſimul, & non reſervata primo poſſit inferiori aperire ſolum non reſervata, juxta ſententiam de Lugo, omittendo reſervata, ſi urget neceſſitas communionis, nec liceat ſuperiorem adire: Secundo poſſit juxta communem ſententiam apud Con. confiteri ſimul reſervata, & non reſervata, ut ab iis directe, ab iſtis indirecte abſolvatur: Tertio poſſit juxta ſententiam Vaſq. ſolum conteri, omittendo confeſſionem, & ſic ad communionem, verbi gratia, accedere urgente neceſſitate.

IX. Quæritur tertio; Utrum ſimiliter dimidiare poſſit confeſſionem, urgente neceſſitate, qui habet peccata reſervata, quibus annexa eſt excommunicatio?

Reſpondeo, Sylveſt., Covar., & alios apud Henr. lib. 8. de Euchar. cap. 47. ſect. 3. putare, excommunicatum etiam occultum non poſse extra mortis articulum communicare, nec Sacramentaliter abſolvi a peccatis, etiam urgente ſcandalo, aut infamia. Et ratio, quam adducunt, eſt, quia excommunicatio, tam major, quam minor privat receptione Sacramentorum.

Equidem cum Suar. diſp. 32. ſect. 3., & aliis, communiter exiſtimo, quod habens mortalia non reſervata, & mortalia reſervata, quibus eſt annexa excommunicatio, urgente neceſſitate, verbi gratia, communionis, ſi non liceat adire ſuperiorem pro abſolutione a cenſura, non ſolum poſſit, ut docet Vaſq., cum ſola contritione ad communionem accedere, ſed etiam poſſit (quod negat Vaſq. quæſt. 91 art. 3. putans, excommunicationem etiam invincibiliter ignoratam impedire abſolutionem ſacramentalem) Sacramentaliter abſolvi a peccatis, directe quidem a non reſervatis, & indirecte a reſervatis, quibus eſt annexa excommunicatio; eo prorſus modo, quo diximus de caſibus reſervatis non habentibus cenſuram. Ratio eſt, quia ſi quis poteſt ad vitandum ſcandalum licite communicare juxta communem opinionem, poterit pariter abſolutionem Sacramentalem recipere; non enim videtur congruum, ut velit Eccleſia illum communicare, non præmiſſa confeſſione ſacramentali, quæ ex divino præcepto præmittenda eſt communioni.

Adde, quod quamvis non urgeat neceſſitas communicandi, ſed urgeat ſolum neceſſitas confitendi, vel ob vitandum ſcandalum, vel quia (ut diximus ex Leand. diſp. 1. quæſt. 58. Suar., Granad., & aliis) aliter diu carere deberet pœnitens remedio confeſſionis, quod cenſetur notabile detrimentum, poſſit pariter excommunicatus confiteri, vel dimidiando confeſſionem, juxta ſupradicta ex Lug. de Euchar. diſp. 4. num. 98., vel integre confitendo; ita ut ſolum a non reſervatis abſolvatur directe, & indirecte a reliquis. Et ratio eſt, quia vere poteſt excommunicatus valide abſolvi a peccatis, non præmiſſa abſolutione a cenſura, ſive invincibiliter oblita, ſive ignorata, ſive etiam cognita, urgente neceſſitate; ergo etiam licite poterit in caſu noſtro abſolvi. Antecedens, quod negatur a Vaſq., ſatis clare ſuadetur, quia excommunicatio non reddit ſubjectum incapax gratiæ ſanctificantis, quæ habetur per contritionem, ut eſt indubitatum; neque reddit ſubjectum incapax abſolutionis Sacramentalis; alioquin qui in-

invincibiliter eſt oblitus alicujus cenſuræ, nunquam poſſet in Sacramento pœnitentiæ juſtificari, quia nunquam poſset abſolutionem Sacramentalem ſuſcipere: Quod quamvis a Vaſq. admittatur, videtur tamen incredibile, & contra naturam cenſuræ, quæ non eſt incompoſſibilis cum gratia juſtificante, & infligitur ab Eccleſia in medicinam; non eſset autem medicina, ſed pœna rigoroſiſſima, ſi illam ignorans, etiam invincibiliter, cogeretur ab Eccleſia in perpetuum carere abſolutione Sacramentali: Quare cum excommunicatus intantum non poſſit Sacramenta ſuſcipere, inquantum ab Eccleſia id prohibetur, ceſsante hac prohibitione, vel propter ignorantiam, vel, ut in caſu noſtro, ratione neceſſitatis, conſequenter valide, & licite Sacramentum pœnitentiæ in hoc caſu ſuſcipit, non ſecus ac Sacramentum Euchariſtiæ in caſu ſimili.

Confirmatur; quia excommunicatio non tollit, quominus Sacramentum conferatur poſitis omnibus conſtitutivis Sacramenti; ſed in caſu noſtro ponerentur omnia conſtitutiva Sacramenti pœnitentiæ: ergo excommunicatus, in caſu noſtro, valide Sacramentum pœnitentiæ reciperet, non præmiſsa abſolutione a cenſura. Minor probatur, quia ſi quid deeſset, maxime eſset juriſdictio Sacerdotis erga talem pœnitentem ligatum cenſura reſervata; Talis autem juriſdictio non deeſset; quia cum habeat confeſsarius juriſdictionem in non reſervata, non eſt probabile, quod Eccleſia benigniſſima Mater velit tali confeſsario denegare in caſu neceſſitatis juriſdictionem indirectam relate ad peccata, & cenſuras reſervatas.

X. Neque dicas, tam requiri eſsentialiter ad validitatem Sacramenti pœnitentiæ poteſtatem Ordinis in abſolvente, quam poteſtatem juriſdictionis; ſed illa deficiente, etiam invincibiliter, & ex ignorantia, non confertur Sacramentum valide, ut eſt indubitatum: ergo nec valide confertur Sacramentum pœnitentiæ, deficiente poteſtate juriſdictionis; Atqui quoties aliquis habet cenſuram reſervatam, Confeſsarius inferior non habet juriſdictionem erga illum; aliter cenſura non diceretur eſse reſervata; ergo cenſura in caſu noſtro, etiamſi invincibiliter ignoretur, obſtat validitati Sacramenti.

Nam ex dictis nego minorem ſubſumptam; hoc enim intereſt inter poteſtatem ordinis, & poteſtatem juriſdictionis, quod illa non poſſit ab Eccleſia ſuppleri; hæc vero poſſit; Quare ſi quis non Sacerdos, vel ex opinione probabili, vel ex errore communi, & ad ſummum cum titulo colorato putetur Sacerdos, non per hoc valide abſolvit: Contra vero, ſi careat juriſdictione, ſed ex opinione probabili, vel ex errore communi cum titulo colorato putetur illam habere, profecto juxta communiſſimam opinionem valide abſolvit, ſupplente Eccleſia defectum juriſdictionis, ſeu concedente Pontifice juriſdictionem, ut conſulatur ſaluti Animarum. Idem dicimus in caſu noſtro, quod ſcilicet Eccleſia, quæ prohibet excommunicatis ſuſceptionem Sacramentorum, & conſequenter negat Sacerdotibus juriſdictionem in illos, in caſu neceſſitatis removet hanc prohibitionem ut mater benigniſſima, & confert confeſſariis inferioribus juriſdictionem erga hujuſmodi pœnitentes, ita tamen ut ſolum directe a non reſervatis abſolvantur, & a reliquis tantum indirecte; non ſecus ac omnes dicimus de peccatis oblitis, etiamſi reſervatis, ut ſic conſulatur ſaluti Animarum.

AR-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

## ARTICULUS VIII.

### De Confeſsione Moribundi.

*I. Abſolvi poteſt moribundus, etiamſi non poſſit ſpeciem ullam peccati explicare; remanet tamen in illo onus iterum confitendi, ſi convaleſcat.*

*II. Poteſt etiam ſub conditione abſolvi, ſi det ſigna doloris, etiamſi non poſtulet Abſolutionem.*

*III. Idque verum videtur, etiamſi ſigna ſint dubia.*

*IV. Prudenter in tali caſu præſumitur, quod ea ſigna ordinentur ad Confeſſionem.*

*V. Num, & quoties poſſit iterari ſimilis Abſolutio ſub conditione, quando moribundus eſt ſenſibus deſtitutus?*

*VI. Si abſolutio conferatur ex opinione probabili, quod ſigna illa ad Confeſſionem ordinentur, conferri poteſt abſolute; ſecus vero conferenda eſt ſub conditione ſaltem mente concepta, ſi de eo dubitetur.*

I. Quæritur primo; quænam confeſſio exigi debeat a moribundo, qui phyſice non poteſt confiteri integre? ſufficitne, quod dixerit, ſe multa peccata commiſiſſe, ut ſi ſenſibus deſtituatur, poſſit abſolvi?

Reſpondeo, Navarr., Sot., & alios negare; quia non explicatur ſic ſpecies ulla peccati. Sed communiſſime affirmant cum Rituali Romano; quia habetur confeſſio, quæ hic, & nunc haberi poteſt. Adde, etiam extra caſum neceſſitatis ſatis eſſe aliquando confeſſionem peccati in genere, ut valide, & licite conferatur abſolutio; puta quando quis recordatur, ſe peccaſſe mortaliter, & non recordatur ſpeciem peccati, ut docet D. Th., vel ſi ſpeciem peccati ex juſta cauſa non teneatur fateri; vel ſi ſciat, ſe peccaſſe, neſciat autem, utrum mortaliter, an venialiter, & juxta opinionem Dicaſt. diſp. 9. dub. 9., quam ſupra retulimus, in confeſſione venialium, aut mortalium alias confeſſorum, quæ ſunt materia voluntaria, non eſt opus ſpeciem peccati explicare. Eſto Suar. velit, ſpectata praxi Eccleſiæ, debere explicari aliquam peccati ſpeciem in confeſsione etiam venialium. Cum autem opinio iſta Suar. ſpectet ad valorem Sacramenti, & ſit tutior, ea profecto in praxi ſequenda eſt.

Neque dicas, Trident. cap. 8. exigere ad judicium Sacramentale confeſſionem, per quam dignoſcatur ſtatus pœnitentis; atqui ſi moribundus diceret, ſe multa peccata commiſiſſe, non dignoſceretur per hanc confeſſionem ſtatus pœnitentis: ergo talis confeſsio non ſufficit.

Nam cum Lug. reſpondeo, Trident. loqui, quando abſolutio directe, & totaliter confertur, non vero quando indirecte, & cum onere iterum confitendi, ubi opportunitas ſeſe offerat, ut in caſu moribundi.

Neque dicas ſecundo, abſolutionem debere directe terminari ad aliquod peccatum in particulari.

Nam reſpondeo cum Suar. ſatis eſſe, ſi directe terminetur ad offenſam Dei ut ſic, ut dicere debent omnes in caſu adducto, quando quis recordatur, ſe peccaſſe mortaliter, & non recordatur ſpeciem peccati.

II. Quæritur ſecundo; An poſſit abſolvi moribundus, ſi pectus tundat; vel dicat Miſerere, &c., aut alia ſigna doloris oſtendat, quin tamen confeſſionem petat?

Reſpondeo, Suar., Vaſq., Bonac., & alios apud Leand. quæſt 4ª. negare; quia hic vere non facit confeſſionem Sacramentalem; ſed communius



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

cum Laym., Lug. Diana affirmant; quia ſigna hujuſmodi pœnitentiæ data a moribundo præſumi debent directa ad abſolutionem Sacramentalem: Etenim ex communiter contingentibus habetur præſumptio; Communiter autem id contingit; ergo ſic præſumi debet; & ad ſummum tamquam in caſu dubio dari poteſt, atque adeo debet abſolutio ſub conditione ſaltem animo retenta, ſi eſt capax, & diſpoſitus, ut habet Henr. Quod dicendum etiam, ſi moribundus ea ſigna dederit abſente confeſſario, aut neſciens præſentiam illius; quia præſumitur in eo articulo velle remedium optimum, quod poteſt habere, atque adeo petere abſolutionem, ſi forte ſtatim ſit affuturus Confeſſarius.

III. Confirmatur, quia ex Laym. lib. 5. tract. 6. cap. 8., Joanne Sancio, Dian., poteſt ſub conditione conferri abſolutio, quoties dubitatur, num ſigna pœnitentiæ edita a moribundo oriantur ex dolore peccatorum, an vero ex anguſtia, & mœrore naturali morbi: Præſertim quia communiter contingit, Chriſtianos, etiamſi male vixerint, velle in mortis articulo abſolutionem, ut ſalventur; & ideo præſumi poteſt, ea ſigna ordinari ad abſolutionem petendam; ergo a fortiori idem dicendum, quando in caſu noſtro non dubitatur, utrum ea ſigna veri doloris exhibita a moribundo ordinentur ad claves.

Ex quo patet, hoc non eſſe contra decretum Clem. VIII. prohibentis dare abſolutionem abſenti. Nam (ut omittam, quod Clemens VIII. interrogatus a Cardinali Bellarmino reſponderit, ſe in eo decreto non comprehendiſſe caſum moribundi, qui in abſentia Confeſſarii petiit confeſſionem) certe in caſu noſtro vere pœnitens eſt præſens confeſſario, & vere confeſſionem, quam poteſt facere, facit præſente illo; nam, ut diximus, quamvis ea ſigna ſint dubia, utrum ſint veri doloris, & utrum ſint ordinata ad claves, tamen quia præſumi debet, ea fieri a quolibet Chriſtiano in articulo mortis ad petendam abſolutionem, cum hoc communiter contingat; ideo non prohibetur hujuſmodi abſolutio ſub conditione a decreto Clem. VIII.; Et opinionem hanc ſuſtinent Homobonus, Molfeſ., & alii apud Dian. part. 3. tract. 3. reſol. 8., Et probabilem illam cenſet Tambur. in Methodo Confeſſionis lib. 2. cap. 11. §. 1. n. 11.: Et quia ea eſt probabilis ſaltem ab extrinſeco, ideo unuſquiſque ex charitate tenetur illam ſequi, ut conſulat ſaluti moribundi, prout docent Leand. quæſt. 47., Caram., & alii contra Dian. part. 1. tract. 6., quæſt. 20.

IV. Neque dicas primo, prohiberi in noſtris ſcholis propoſitionem illam, quæ dicit, *Moribundus, etiamſi nullum ſignum det, aut dederit contritionis, adeo ut Sacerdos nec ſciat, nec prudenter putet præceſſiſſe ſenſibilem aliquam Confeſſionem, abſolvi poteſt*, ſed in caſibus adductis non poteſt Sacerdos prudenter putare, quod illa ſigna ſenſibilia ſint ſenſibilis aliqua confeſſio; cum ſolum hoc ſit poſſibile, non probabile: ergo in caſibus adductis non poteſt moribundus abſolvi. Quod ex eo etiam patet, quia non poteſt conferri Baptiſmus Turcæ moribundo, qui nullum ſignum det, quo prudenter putari poſſit, quod petat baptiſmum, etiamſi pectus tundat, &c. ergo nec Chriſtiano dari poteſt in ſimili caſu abſolutio.

Nam, ut diximus, in caſibus adductis prudenter putari poteſt, quod Chriſtianus ea ſigna det in ordine ad confeſſionem, eo quod communiter id contingat; unde non ſolum eſt poſſibile, ſed etiam ſæpe probabile; aut ſaltem dubium de eo eſſet prudens: Contra vero in caſu Turcæ

mo-

moribundi; non enim contingere communiter ſolet, ut Turca moriens velit baptiſmum: ergo quamvis pectus tundat, non poteſt illi baptiſmus conferri, ne ſub conditione quidem; quia non ſatis eſt, quod petitio baptiſmi ſit poſſibilis, ſed debet eſſe probabilis, aut prudenter dubia, ut poſſit licite cum debita reverentia baptiſmus conferri: quod certe haberetur in Catechumeno moribundo.

Neque dicas ſecundo; Rituale Romanum, & Concilia exigunt teſtimonium fide dignum, quod moribundus confeſſionem petierit, ut poſſit abſolvi; ergo non ſatis eſt præſumere, quod ſigna doloris dubia, quæ dantur a moribundo, ordinentur ad claves, atque adeo non poteſt abſolvi.

Nam contra eſt; quia vita anteacta veri Chriſtiani, etiamſi non inculpata, eſt ſufficiens teſtimonium, quod iſte in articulo mortis velit confeſſionem. Quibus adde cum Leand., quod ſi in articulo mortis miniſtrari poſſunt moribundo deſtituto ſenſibus Sacramenta Euchariſtiæ, & Extremæ Unctionis, quia ſatis eſt ad ea recipienda, quod per Chriſtianam vitam, quam duxit, oſtenderit implicite voluntatem recipiendi ea Sacramenta in articulo mortis, quare etiam in articulo mortis non poterit eidem dari abſolutio, quam implicite eodem modo petiit per Chriſtianam vitam; cum ex Rituali adducto poſſit dari abſolutio moribundo, de quo conſtat voluiſſe confiteri?

Neque dicas tertio, communiter contingit, ut qui repentino aliquo caſu ſtatim deſtituitur ſenſibus, nihil cogitet de Confeſſione, aut de altera vita; ergo cum non poſſit prudenter putari in tali caſu, quod præceſſerit aliqua ſenſibilis confeſſio, non poteſt abſolutio conferri, etiamſi per Chriſtianam vitam implicite abſolutionem petierit pro mortis articulo.

Nam primo falſum eſt, quod communiter non contingat, eos, qui in extremo vitæ agone laborant, ne per modicum quidem tempus mentis compotes eſſe, unde abſolutionem petant iis ſenſibilibus ſignis, quæ poſſunt tunc dare. Secundo, in extrema neceſſitate Sacramentum ad ſalutem neceſſarium conferri poteſt cum materia dubia, deficiente materia certa; Exempli gratia, poteſt in articulo mortis dari puero abſolutio, quando dubitatur, an habeat uſum rationis, an vere peccaverit mortaliter; ergo cum dubitari pariter prudenter poſſit, an in extremo vitæ, qui verus fidelis fuit, etiamſi morum peſſimorum, per aliquod temporis ſpatium mentis compos fuerit, & confeſſionem petierit; quare non poteſt illi ſub conditione conferri abſolutio? Cum præſertim in hac opinione ſint Homobonus, Lezana, Averſa, Molfeſius, Fauſtus, Naldus, Baldellus, & alii plurimi apud Pelliz. tract. 8. cap. 3. ſect. 2. num. 114., qui teſtatur Suarium doctrinam hanc & docuiſſe, & in praxim deduxiſſe, ut videre eſt apud Dian. part. 9. tract. 60. reſol. 20., & Leand. diſp. 5. quæſt. 46.

V. Quod diximus de abſolutione primo conferenda, dicendum pariter de abſolutione iteranda eidem moribundo. Certum enim eſt, non poſſe iterari formam abſolutoriam, non iterata materia proxima, ſeu dolore, & confeſſione peccatorum. Tunc itaque poteſt iterari moribundo abſolutio, quando prudenter dubitari poteſt, quod dolorem, & ſenſibilem confeſſionem iterarit.

VI. Quæritur tertio, Utrum in his caſibus abſolutio poſſit dari abſolute, an dari debeat ſub conditione?

Reſpondeo, Suar., & Bonac. velle, quod ſub conditione ſaltem mente concepta proferatur abſolutio; Vaſq. vero, Dian., Lug., quod ab-

ſolu-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ſolute; Sed videtur diſtinguendum; Nam ſi abſolvitur moribundus ex opinione probabili, poteſt dari abſolute, quia ratio probabilis ſatis eſt ad prudenter operandum: Contra vero, ſi abſolvitur ſub dubio, dari debet conditionate: ſicut ſi abſolvatur puer, de quo dubitatur, an habeat uſum rationis.

## ARTICULUS IX.

### Quando, & quomodo repetenda ſit Confeſſio?

*I. Confeſſio, ſive fuerit invalida ex parte Pœnitentis, ſive ex parte Confeſſarii, repetenda eſt.*

*II. Num ſingula mortalia diſtincte recolenda ſint, quando repetitur confeſſio invalida?*

*III. Quid ſi confeſſarius excommunicatione innodatus abſolverit?*

*IV. Quid ſi abſolverit a reſervatis carens facultate abſolvendi ab illis?*

*V. Si dubites prudenter, quod ille ſemidormiens aliquod mortale audierit, teneris illud repetere.*

*VI. Si certum ſit, Confeſſarium plures Confeſſiones ſemidormiendo audiviſſe, & dubites, an ſic audiverit tuam, non teneris illam repetere, ſi non prudenter de hoc dubites.*

*VII. Si ſcias, Parochum pluries ſine intentione debita Baptiſmum contuliſſe, quid tibi faciendum, ſi dubites, an tali pacto fueris baptizatus?*

I. QUæritur primo; Quando confeſſio ſit repetenda?

Reſpondeo, Confeſſionem mortalium repetendam, quotieſcumque fuit invalida. Poteſt autem eſſe invalida tum ex parte pœnitentis, tum ex parte confeſſarii. Ex parte pœnitentis eſt invalida, ſi deſit legitimus dolor, ſemper autem legitimus dolor deeſt, quando pœnitens in ipſa confeſſione peccatum grave aliquod committit, puta ſi ſciens, & volens omittat integritatem materialem, ad quam tenetur; vel ſi omittat peccatum, cujus non recordatur ex defectu examinis graviter culpabili; ſi confiteatur ob finem mortaliter malum, ver. gra. ad furandum; ſi graviter mentiatur circa mortalia; ſi ſponte quæſierit confeſſarium indoctum, vel ſurdaſtrum, vel ſemidormientem, qui neſciat inter mortale, & veniale diſcernere; Præterea ſi memor excommunicationis ſive majoris, ſive minoris malitioſe illam reticeat; Etenim quamvis exiſtimem cum communiori ſententia contra Vaſq., quod excommunicatio invincibiliter ignorata non impediat abſolutionem a peccatis; At ſi conſulto reticeatur ſine cauſa excuſante, procul dubio impedit Sacramentum propter peccatum, quod committitur in reticendo.

Ex parte Confeſſarii eſt invalida confeſſio ex defectu vel Ordinis, vel Juriſdictionis; vel ſi omittat abſolvere; aut non habeat intentionem abſolvendi; vel ſi non intellexit mortalia propter ſomnum, vel inadvertentiam; vel quia non habet ſufficientem ſcientiam ea diſcernendi; Quamvis non ſit neceſſe de omnibus poſſe certo diſcernere, num ſit mortale, an veniale, ut dicemus, cum de Scientia Confeſſarii.

II. Quæritur ſecundo; Quomodo repetenda ſit confeſſio invalida?

Reſpondeo primo, ſi confeſſio fuit invalida ex defectu pœnitentis, debet hic confiteri ſuum ſacrilegium, quando defectus fuit voluntarius, & accuſare ſe iterum de omnibus mortalibus in ea confeſſione confeſſis in confuſo, dummodo eorum confuſam cognitionem retineat confeſſarius; Aliter debet diſtincte iterum ea repetere, ut communiter docent Doctores contra

Gra-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Granad., & Dian. part. 5. tract. 14. reſol. 51., qui docent, ſatis eſſe ſe accuſare in genere de peccatis in ea confeſſione confeſsis, eſto confeſſarius ne confuſe quidem illorum recordetur. Quod ſi pœnitens poſt multum tempus recordetur alicujus defectus in confeſſione commiſſi, debet etiam repetere confeſſiones intermedias, & numerum ſacrilegiorum, ſi ex verecundia, vel culpabili ignorantia omiſerit in iis confiteri ſacrilegium, & peccata illius confeſſionis defectuoſæ: Si vero bona fide fecerit confeſſiones intermedias, non tenetur eas repetere.

Secundo, ſi confeſſio fuit invalida ex defectu confeſſarii, tenetur proportionali modo confeſſionem repetere; non debent enim repeti confeſsiones validæ intermediæ bona fide factæ.

Tertio, ſi confeſſarius abſolvit reſervata ſimul, & non reſervata, & deinde advertit pœnitens, illum non habuiſſe juriſdictionem in reſervata, hæc tantum debet repetere, quia reſpectu non reſervatorum habuit jam confeſſarius juriſdictionem, & directe illa valide abſolvit. Nam, ut conſtat ex regula Juris, *Utile per inutile non vitiatur*.

III. Quarto, ſi confeſſarius ſit excommunicatus, & ſciat ſuam excommunicationem, ſed ex errore publico putetur non eſſe excommunicatus, ejus abſolutio eſt valida; quia eſt probabile ſuppleri defectum juriſdictionis ab Eccleſia, quando error eſt publicus, præſertim ſi adſit titulus coloratus; (verbi gratia, ſi putetur eſſe Parochus, quamvis non ſit) unde confeſsio non eſt repetenda; ſecus vero, ſi ex errore privato bona fide confitearis tali confeſſario excommunicato.

IV. Idem dicas relate ad reſervata; Nam ſi ex errore tantum privato bona fide confitearis confeſſario, quem putas habere juriſdictionem in reſervata, cum revera non habeat, teneris deinde iterum confiteri reſervata: Contra vero, ſi ex opinione probabili, aut ex errore publico cum titulo colorato putetur confeſſarius habere juriſdictionem in reſervata, etiamſi non habeat, valide abſolvit a reſervatis, ſupplente Eccleſia defectum juriſdictionis.

V. Quinto, ſi confeſſarius ſemidormiens peccatum mortale non audivit, (de quo vel ex levi pœnitentia, quæ injungitur, vel ex alio capite prudenter dubitari poteſt) tunc teneris clarius aperire peccatum tuum, ut poſſit de illo aptum judicium formari; ſi vero prudenter dubites, quod ex multis peccatis confeſsis aliqua tantum non plene audierit confeſſarius, neſcias tamen, quænam ea ſint, tunc non oportet repetere totam confeſſionem, ſed ſatis eſt confiteri illa peccata in communi, dicendo verbi gratia, Scio, vel dubito, an Confeſſarius aliqua peccata audierit, neſcio tamen, quænam fuerint: Et deinde addendo, confiteri ſolebam eo tempore has vel illas ſpecies peccatorum: Sicut qui ſcit ſe commiſiſſe aliquod mortale, & non recordatur, quale fuerit, tenetur ſolum illud in genere confiteri.

VI. Quod ſi ſcias, confeſſarium plurimas confeſsiones excipientem aliquando obdormiſſe, & non prudenter dubites, quod dormierit, dum audiret tuam, non teneris illam repetere; ſicut, ſi ſcires Parochum, a quo baptizatus es, aliquando in ebrietate, vel ſine intentione aliquos baptizaſſe, cum non poſsis niſi valde remote, ac leviter dubitare, quod in tanta baptizatorum multitudine tu fueris unus ex illis, cui non ſit valide collatus baptiſmus, non teneris, nec poteris iterum baptiſmum ſuſcipere, cum periculum de carentia baptiſmi ſupponatur valde remotum: & in tali caſu

ſi

ſi forte non eſſes baptizatus, ſatis eſſet ad ſalutem baptiſmus flaminis, qui habetur per actum amoris Dei ſuper omnia, ad quem conari tenereris.

VII. Advertit tamen de Lugo, & Tambur., quod ſi ſcires, unum ex decem, vel viginti hominibus tantum non eſſe baptizatum, & tu eſſes unus ex illis decem, vel viginti, tenereris baptiſmum ſuſcipere ſub conditione; quia in tam parva multitudine baptizatorum dubium eſſet prudens. Immo cum indubitatum ſit, reliqua Sacramenta invalide ſuſcipi, non ſuſcepto prius Baptiſmo fluminis, ſi certum eſſet unum ex quinquaginta, aut amplius non fuiſſe baptizatum, omnes illos obligarem ad iterato ſuſcipiendum baptiſmum ſub conditione. Sufficit enim quodvis leve dubium, non tamen leviſſimum ad hoc Sacramentum ſub conditione iterandum, ob ingentia damna, quæ ex ejus carentia proveniunt.

# QUÆSTIO VI.

## De Satisfactione.

DIximus, materiam proximam Sacramenti pœnitentiæ conſtitui non ſolum ex dolore, & confeſſione, ſed etiam ex ſatisfactione. Hanc autem, prout eſt in executione, eſſe partem integralem non videtur dubium, cum poſſit haberi eſſentialiter conſtitutum Sacramentum, antequam ſatisfactio ponatur; Utrum autem ſatisfactio, prout eſt in propoſito, ſeu propoſitum ponendi ſatisfactionem ſit pars eſſentialis? Diſſentiunt Theologi; Et videtur probabile, quod ſic, quia, ut infra dicemus, qui habet animum ſuſcipiendi hoc Sacramentum, debet habere propoſitum adimplendi pœnitentiam injungendam.

Supra etiam diximus quæſt. I. art. I. ex D. Th., ſatisfactionem, ſive ſit in propoſito, ſive in executione, conferre ex opere operato non ſolum remiſſionem pœnæ, ſed probabiliter etiam augmentum gratiæ habitualis; Tum quia operatur, ut pars Sacramenti, cujus proprium eſt conferre gratiam habitualem; tum etiam quia Sacramentum pœnitentiæ inſtitutum eſt non ſolum per modum judicii, ſed etiam per modum medicinæ; ergo ſatisfactio, quæ, prout eſt a judice, cauſat remiſſionem pœnæ temporalis, prout eſt a medico, debet animam ægram reficere, & ſic cauſare aliquem gradum gratiæ, a quo anima curetur, & reficiatur; Necnon conferre jus ad auxilia aliqua in ordine ad præſervandum homines a peccatis, & ad peccata emendanda: Quamvis hos effectus non habeat ſatisfactio, ſi in ſtatu peccati mortalis ponatur, ut patet; niſi tamen ſublato obice, ut putat Suar. ſect. 8. Con., Fagund., aliique.

Communiter Doctores cenſent, non eſſe mortale ponere ſatisfactionem ſacramentalem in ſtatu peccati mortalis; tum quia dubium eſt, An ſatisfactio cauſet ex opere operato gratiam; tum etiam quia, quamvis ſit mortale ponere obicem gratiæ primo producendæ, non videtur tamen mortale ponere obicem augmento gratiæ, ut docent Ledeſm., Delacrux. Utrum autem ſit ſaltem veniale implere pœnitentiam in ſtatu peccati mortalis? De Lugo negat; alii affirmant. Certum tamen eſt, per eam ſatisfieri obligationi; non ſecus ac

ac qui ob malum finem jejunat, ſatisfacit obligationi jejunii, ut bene notat Vaſq.; quia univerſim non eſt obligatio implendi præcepta in ſtatu gratiæ, & ſatisfactio adhuc in ſtatu peccati poſita habet ſuum effectum principalem, qui eſt punire hic delicta, & reddere difficiliorem relapſum, ut docet Trident. ſeſſ. 14. cap. 8.

His explicatis, Quæremus primo nonnulla, quæ pertinent ad confeſſarium imponentem ſatisfactionem, ſeu pœnitentiam: Secundo, quæ pertinent ad pœnitentem in ordine ad injunctam ſatisfactionem: Tertio de Commutatione pœnitentiæ. Et quia ſatisfacere poſſumus pro peccatis non ſolum ſolvendo pœnitentiam a Confeſſario injunctam, ſed etiam lucrando indulgentias, ideo de his, ac de ſuffragiis in calce hujus tractatus, prout per tempus licebit, agemus.

## ARTICULUS I.

### De Pœnitentia a Confeſſario injungenda.

*I. Quibus de cauſis poſſit Confeſſarius aut nullam, aut levem pœnitentiam injungere?*

*II. Num poſſit pœnitentia ſolum ſub conſilio injungi?*

*III. Pœnitentia gravis pro venialibus impoſita ſub gravine, an ſub levi executioni mandanda eſt?*

*IV. Injungi pro pœnitentia poſſunt etiam actus interni, ac opera præcepta, necnon opus pro defunctis, aut per alium ponendum.*

*V. Num poſſit poſt abſolutionem Pœnitentia imponi?*

I. Quæritur primo, An teneatur ſemper Confeſſarius pœnitentiam injungere?

Reſpondeo, per ſe loquendo teneri, etſi per accidens aliquando non teneatur. Probatur, quia Trident. hæc habet ſeſſ. 14. cap. 8.: *Debent primo Sacerdotes Domini, quantum ſpiritus, & prudentia ſuggeſſerit, pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate ſalutares, & convenientes ſatisfactiones injungere; Ne ſi forte peccatis conniveant, & indulgentius cum pœnitentibus agant, leviſſima quadam opera pro graviſſimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur.* Quare ex Trident. conſtat debere Confeſſarium pœnitentiam injungere. Quod probatur ſecundo ratione, quia ſatisfactio eſt pars Sacramenti, ut eſt de fide; ſed Sacerdos tenetur facere, quantum eſt in ſe, ut Sacramentum non ſolum ſubſtantialiter, ſed etiam integre fiat, nec fit integre, ſi deficiat ſatisfactio, quæ eſt pars integralis: ergo tenetur ex parte ſua ſatisfactionem imponere. Tenetur autem ad id ſub gravi; quandoquidem etiam in judiciis humanis defectus pœnitentiæ eſt gravis defectus, quoties ſcilicet punitio vel eſſet nulla, vel valde minor delicto. Putat tamen optime de Lugo, quod ſicut ſi pœnitens leviſſimam pœnitentiam non impleret, peccaret tantum venialiter, ita Confeſſarius ſolum venialiter peccaret, ſi pro venialibus, vel pro mortalibus ſæpe confeſſis leviſſimam pœnitentiam, quam deberet injungere, non injungeret; idque propter levitatem materiæ.

Aliquando tamen per accidens non tenetur Confeſſarius pœnitentiam injungere. Primo, verbi gratia, ſi pœnitens ſit morti proximus, nec ullam poſſit pœnitentiam implere, nec acceptare; ſi enim poſſet ſaltem vel tundere pectus, vel invocare Sanctiſſima nomina, Jeſus, Maria, hoc ſatis eſſet.

Secundo ; ſi Confeſſarius ex ipſamet confeſſione , ex materia , & ſignis a pœnitente exhibitis prudenter colligat , ipſum jam ſatisfeciſſe abunde pro ſuis peccatis , puta ſi quis confiteretur peccata leviſſima cum contritione maxima , & poſt graves pœnas ab ipſo in ſatisfactionem oblatas ; In his enim caſibus æquitas Judicis poſtulat , ut qui jam adæquate ſatisfecit , ad ulteriorem pœnam non obligetur ; Præterquamquod ceſſat finis ſatisfactionis injungendæ . Neque dicas , quod in tali caſu Sacramentum careret parte integrali . Nam hoc eſt falſum ; quia in tali caſu ipſamet confeſſio facta cum tali dolore continet etiam ſatisfactionem ; Etenim ipſe dolor eſt quædam pœna peccati voluntaria , atque adeo ipſe dolor continet aliqualem ſatisfactionem ; unde Sacramentum non careret parte ſua integrali : Non nego tamen , conſultius eſſe leviſſimam aliquam pœnitentiam in ſimilibus caſibus injungere .

Tertio ex Fagund. , & Tamb. ; quando ſcrupuloſus ſæpius intra horam redit ad Confeſſionale cum iiſdem fere culpis , ut ſæpe abſolvatur , poteſt relinqui impoſitio novæ pœnitentiæ , quia ſupponitur ſatis impoſita in præcedentibus .

Quarto , quando Confeſſor prævidet fore , ut pœnitens non ſit executurus pœnitentiam gravem , ſatius eſt modicam injungere , indicando illi , quanto majorem in altera , & in hac vita mereatur : Etenim olim pro quovis mortali publico in foro externo ſaltem ſeptennii pœna ex uſu Eccleſiæ injungebatur ; & in altera mortale meretur pœnam æternam : Cum autem Sacramentum pœnitentiæ debeat eſſe medicina , attendenda eſt fragilitas pœnitentis , & illæ pœnitentiæ injungi debent , quæ deſerviunt ad curationem ; Cæteroqui facile accidet , ut , impoſita gravi pœnitentia , pœnitens vel illam non impleat , vel confeſſionem deinceps fugiat , vel Confeſſarios quærat ineptos , qui eum curare neſciant . Quare , ut bene notat de Lugo diſp. 25. ſect. 5. num. 60. , in dubio inclinandum eſt in partem benigniorem , in qua minus eſt periculi ; & ſuppleatur , ſi commode poſſit , defectus pœnitentiæ uſu indulgentiarum , qui vel conſulatur , vel imponatur . Ex D. Th. enim in 4. diſp. 17. debet eſſe confeſſor dulcis , affabilis , ſuavis , prudens , diſcretus , pius , atque benignus .

Et Suar. advertit , in hoc Sacramento ſpectandam eſſe magis ſalutem pœnitentis , & ejus emendationem , quam ſatisfactionem pro culpa : Unde ex Con. , & Henr. , ſi pœnitens dicat , ſe non poſſe exequi pœnitentiam aliquam mediocrem , ſed velle exequi parvam ; Confeſſarius poteſt acquieſcere ; quia medicus ſolet remiſſius agere cum ægro , qui non poteſt ferre rigorem medicaminum . Et quamvis debeat illum monere de gravitate pœnæ , quam meretur , non tamen ita ut in nimiam dejectionem , & diffidentiam incidat ; prout advertit Polancus . Et ratio horum omnium eſt , quia niſi pœnitens curetur , actum eſt jam de ejus ſalute : Contra vero , niſi ſatisfaciat in hac vita , poterit in altera ſatisfacere , & ſalvari ; ergo emendatio potius pœnitentis attendenda eſt , quam ſatisfactio .

Quinto , quando quis lucratus eſt indulgentiam plenariam , poterit dimitti ſine pœnitentia ſatisfactoria ; eſto non debeat dimitti ſine pœnitentia medicinali , ſi ea indigeat ; Ita Lug. , Gran. , & alii contra Valent. , Marchant. , Averſ. apud Dian. part. 9. tract. 6. reſol. 36. : Et ratio eſt , quia per indulgentiam plenariam adæquate ſatisfit debito pœnæ ; Unde Bonifac. VIII. , ut refert Gloſſa apud Tambur. , nolebat injungi pœnitentiam

tiam

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

tiam iis, qui Jubilæum anni ſancti lucrabantur. Et D. Th. in 4. diſt. 20. quæſt. 1. art. 3. docet, eſſe de conſilio pœnitentiam ſatisfactoriam implere, quando quis plenariam indulgentiam lucratur. Immo Lug. diſp. 27. ſect. 2. num. 24. putat, eum, qui lucratur indulgentiam plenariam non obligari ad pœnitentiam, etiamſi detur in medicinam, quia medicus non præcipit, ſed ſuadet remedium, & ſolus judex præcipit pœnam; Quare ſi non tenetur pœnitens ratione indulgentiæ ad pœnam, quæ præcipitur, nec tenebitur ad medicinam, quæ ſolum ſuadetur; niſi forte aliquando ad illam obligetur jure naturali, ne facile relabatur. Equidem tamen cenſeo, pœnitentem ad implendam pœnam medicinalem omnino teneri; quia in hoc Sacramento Medicus ex poteſtate clavium pœnam medicinalem non ſuadet tantum, ſed etiam præcipit, ut executioni mandetur.

II. Quæritur ſecundo; Num pœnitentia injungenda ſit ſub præcepto; an poſſit etiam ſub conſilio?

Reſpondeo cum Lug., Vaſq. Con., & aliis contra nonnullos cum Fagund. debere univerſim injungi per modum præcepti: Quamvis probabile etiam ſit, poſſe aliquando ſaltem partem aliquam Pœnitentiæ injungi per modum conſilii, dicendo, ſi vis relaxationem pœnæ ex opere operato facias hoc, aut illud: Et probabile etiam eſt ex Suar., Medin., Tambur., Dian. part. 4. tract. 4. reſol. 82., contra Vaſq., poſſe aliquando pœnitentiam gravem pro peccatis gravibus imponi, obligando pœnitentem ad illam ſub veniali.

III. Præterea juxta multos Auctores a Tambur. laudatos probabile eſt, ad pœnitentiam gravem impoſitam pro venialibus, vel pro mortalibus alias rite confeſſis de facto obligari pœnitentem tantum ſub levi: ſed probabilius eſt ex Suar., & Laym. apud Dian. part. 3. tract. 4. reſol. 136. pœnitentiam gravem univerſim imponi, & debere imponi ſub obligatione gravi; non quidem quia cæteroqui deficeret Sacramenti pars integralis; (nam ſic ne levis quidem pœnitentia omitti poſſet ſine culpa gravi, quod nemo dixerit) ſed ratio eſt, tum quia confeſſarius imponit pœnam ut judex: Sic autem ſemper pœnam imponit obligando, & coarctando reum: Tum etiam quia Confeſſarius imponit pœnam, ut puniat peccata; qui autem ſuadet, & non præcipit, non punit ipſe, ſed hortatur alium, ut ipſe ſe puniat; Unde Trident. dicit, pœnitentiam imponi ex poteſtate clavium, quæ non ſolum eſt poteſtas ſolvendi, ſed etiam ligandi, ſeu obligandi; atque adeo obligari debet pœnitens ad pœnitentiam.

Ex dictis infertur, quamvis ex auctoritate D. Thom. probabile ſit per illa verba, quæ profert Confeſſarius, *Quicquid boni feceris, & mali patienter ſuſtinueris*, elevari poſſe ad ſatisfaciendum ex opere operato omnia opera bona, & mala pœnæ tolerata a pœnitente, non excuſari tamen Confeſſarium ab imponendis gravibus pœnitentiis pro gravibus culpis; quod bene advertit Lug. diſp. 25. ſect. 4.; tum quia fruſtra tam gravibus verbis locutum eſſet Trident. de impoſitione pœnitentiæ, ſi vi illorum verborum, quæ in omni fere confeſſione apponuntur, ceſſaret ea obligatio; tum etiam quia probabilius eſt, quod virtute clavium non eleventur opera pœnitentis ad ſatisfaciendum pro peccatis per illa verba deprecatoria, cum ad nihil obligent pœnitentem; Nam virtus clavium tunc elevat, cum ligat; ergo ſi illa verba ad nihil obligant, nec elevant.

IV. Quæritur tertio; Quænam opera pro pœnitentia injungi poſſint?

Reſpondeo; quodcumque opus bonum; quia quodcumque eſt de ſe ſatisfactorium.

Primo itaque imponi poteſt opus internum, ut docent Con., & Hurt. contra Mærat., & alios apud Dian. part. 4. tract. 4. reſol. 24.; ſufficit enim, ut opus internum fiat ſenſibile per externam impoſitionem, & acceptationem, ut poſſit eſſe pars Sacramenti ſenſibilis.

Secundo, opera alias præcepta; ut audire ſacrum die feſto, jejunare in Quadrageſima, vel aliud opus præſtare, ad quod ex voto, verbi gratia, pœnitens tenetur; ut communiter docent Doctores cum Suar., Laym., Vaſq. contra Nugn., qui putat id eſſe mortale, ſi confeſſio ſit de mortalibus. Ratio doctrinæ eſt, quia cum per hujuſmodi opera ſatisfaciamus ex opere operantis, nulla eſt ratio, cur virtute clavium non poſſint elevari ad ſatisfaciendum ex opere operato. Imo cum doceat Trident. ſeſſ. 14. cap. 9. mala, quæ patimur neceſſario, ut paupertatem, ægritudines, &c., poſſe eſſe ſatisfactoria ex opere operantis, ſi voluntarie a Deo ſuſcipiantur, & patienter tolerentur; hinc ſequitur, poſſe ſpontaneam tolerantiam hujuſmodi pœnarum injungi pro pœnitentia; Ita ut non ſolum ſatisfaciamus per actus internos, quibus patienter hujuſmodi mala toleramus, ſed etiam, ( ut docent Suar., Lug. ex D. Th. in 4. quæſt. 1. art. 4.) per illa flagella extrinſecus inflicta; cum hoc ex Trident. ſit maximum divini amoris erga nos argumentum. Unde fit, ut quamvis decurſu temporis pœnitens non toleret cum pacientia hujuſmodi flagella, ( ut ægrotus, aut qui in triremibus verſatur ) adhuc ſatisfaciat per illam acceptationem hujuſmodi flagellorum, quam habuit acceptando ſponte pœnitentiam injunctam.

Advertendum tamen, convenientius eſſe, uti opera cæteroqui indebita pro pœnitentia imponantur; quia quod non habet novum gravamen non videtur habere rationem punitionis; Imo ex Suar. diſp. 38. ſect. 6., quoties confeſſarius opus aliquod injungit, cenſetur, niſi aliter ſe explicet, injungere opus cæteroqui indebitum. Unde ſi quis craſtina tenetur ex voto jejunare, & habuit pro pœnitentia jejunium, non ſatisfacit applicando jejunium craſtinum. Quod ſi imponatur jejunium ſingulis ſabbathis unius anni, quamvis ſabbatha, verbi gratia, quatuor temporum, & quadrageſimæ teneatur jejunare, in tali caſu hæc, & non alia jejunia debent poni pro pœnitentia; & ſi ea omittantur, peccabitur ex duplici titulo in confeſſione aperiendo, ut notat Lug. diſp. 25. num. 67.

Tertio, ex Lug., Dian. part. 3. tract. 4. reſol. 54. contra Vegam, & Sanc. diſp. 27. poteſt injungi opus pro defunctis applicandum, tam ſecundum impetrationem, quam ſecundum ſatisfactionem: Tum quia ipſa voluntas applicandi opus pro defunctis eſt ſatisfactiva pro pœnitente: Tum etiam, quia etiamſi applicetur pro defunctis ipſa voluntas applicandi illis opus injunctum, quatenus ex opere operantis eſt ſatisfactiva, adhuc tamen remanere poteſt pro ipſo pœnitente ſatisfactio operum injunctorum, inquantum per Sacramentum elevatur ad ſatisfaciendum ex opere operato, ut docet Lug. diſp. 25. num. 62.

Quarto, poteſt imponi pro pœnitentia opus bonum per alium ponendum; verbi gratia, ut curet poni jejunium, vel eleemoſynam, vel celebrari Miſſam ab alio, &c.; tum quia ipſa procuratio talis operis quædam ſatisfactio eſt; tum etiam quia, ut docet Suar. diſp. 8. ſect. 1. contra

Vaſq.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Vaſq. ipſa ſatisfactio per alium facta elevari poteſt virtute clavium, ut ex opere operato proſit pœnitenti, qui illam procurat.

Denique non debet imponi pœnitentia publica, ex qua ſuboriri poſſit dubitatio prudens, quod pro gravibus peccatis occultis pœnitenti ſit impoſita; quia hoc eſſet revelare confeſſionem: Poteſt tamen pro peccatis publicis imponi pœnitentia publica; præſertim ex conſenſu pęnitentis. Imo debet aliquando pęnitens talem pęnitentiam acceptare ad tollendum ſcandalum, quod dedit; niſi ex rationabili cauſa excuſandus videretur.

Adverto hic, eas debere imponi pœnitentias, quæ potius juvent ad præſervandum a peccatis futuris, quam ad ſatisfaciendum pro præteritis; Quamvis a Confeſſario, Medico ſimul, & Judice utrumque ſpectandum ſit, ex Trident. ſeſſ. 14. cap. 8.; unde ſatius eſt injungere aliquas mitiores poſt aliquod temporis intervallum continuandas, quam aſperiores ſtatim exequendas.

V. Quæritur demum; Poſſitne pęnitentia poſt abſolutionem injungi?

Reſpondeo, poſſe, quoties non eſt probabile periculum, quod eam pœnitens non ſit acceptaturus, ut docet Dian. par. 5. tract. 13. reſol. 36.; Conſuetudo enim imponendi illam ante abſolutionem non videtur obligatoria.

## ARTICULUS II.

### De Pœnitentia a Pœnitente adimplenda.

*I. Num poſſit pœnitens recuſare pœnitentiam, ut illam in Purgatorio luat?*

*II. Quamdiu poſſit pœnitens impoſitam pœnitentiam differre?*

*III. Poteritne pœnitentia executioni mandari, dum aliud præceptum impletur?*

*IV. An etiam ſub mortali teneatur pœnitens exequi circumſtantias pœnitentiæ impoſitas?*

*V. Num a ſubſtantia pœnitentiæ impoſitæ deobligetur pœnitens, quando eſt impotens ad circumſtantias?*

*VI. Ad quid tenetur pœnitens, ſi pœnitentiæ obliviſcatur?*

*VII. Num poſſit aliquando pœnitens per alium implere pœnitentiam impoſitam.*

I. Quæritur primo; Utrum pęnitens teneatur pœnitentiam acceptare, & implere, an poſſit velle in Purgatorio ſatisfacere?

Reſpondeo cum communi Doctorum teneri; tum quia tenetur Sacramentum ex parte ſua pœnitens perficere, atque adeo ſatisfactionem ponere, quæ eſt pars Sacramenti; tum etiam quia cum poſſit, & debeat ex Trident. Sacerdos ligare, ſeu pœnitentiam ſub obligationem injungere, conſequenter tenetur pœnitens illam acceptare, & implere; Dummodo ea non ſit irrationabilis, ut eſſet ingreſſus in religionem, vel pœnitentia publica, quæ nimis dura cenſeatur; vel longa peregrinatio infirmo, vel gravis eleemoſyna facienda a paupere. Victoria, & Vaſq. apud Tambur. docent, eſſe de fide poſt Trident., quod Sacerdos ad aliquam pœnitentiam pœnitentem poſſit obligare; & Suar. putat oppoſitam ſententiam eſſe temerariam: Aliqui tamen poſt Trident. oppoſitam ſententiam putant probabilem, quia non eſt veriſimile, quod Trident. voluerit damnare opinionem, quam ſequebantur graviſſimi auctores, Scot., Medin., Armil., Grabriel, & alii apud Tambur.. Imo Cajet. laudatus a Lug. diſp. 25. num. 68. putat, non ſolum non eſſe obligationem ſub mortali acceptandi pœ-

pœnitentiam, ſed nec implendi acceptatam; quia poteſt pęnitens eſſe paratus ſatisfacere in Purgatorio pro peccatis. Quicquid itaque ſit de hac ſententia, quæ communiter rejicitur, certum eſt, quod ſi nolens acceptare pęnitentiam, etiam levem, daret ſignum non veri doloris, non eſſet abſolvendus; Secus non eſſet ſine abſolutione dimittendus: Præſertim ſi poſſit illi imponi lucratio alicujus indulgentiæ. Pęnitens autem licet poſſit pro libito alium adire, quando pęnitentia eſt irrationabilis, non tamen quando eſt intra limites prudentiæ, & Chriſtianæ charitatis; quia eſt contra reverentiam Sacramento debitam illud ſine rationabili cauſa relinquere inchoatum. Ita communiter Doctores cum Suar. diſp. 38. ſect. 72. Qui etiam docent, obligationem implendi pęnitentiam de ſe eſſe gravem; niſi vel parvitas materiæ excuſet, ut ſi quis omittat unum Miſerere, vel pęnitentia, licet gravis, injungatur vel pro ſolis venialibus, vel pro mortalibus alias confeſſis. Nam etiam in hoc caſu probabile eſt, eſſe tantum veniale pęnitentiam non exequi; quamvis probabilius ſit eſſe mortale ratione materiæ gravis ad Sacramentum ſpectantis.

II. Quæritur ſecundo; Quandonam teneatur pęnitens exequi pęnitentiam impoſitam?

Reſpondeo: Si deſignetur a Confeſſario tempus, debet eo tempore impleri; quandoquidem poteſt tum ſubſtantia, tum circumſtantia operis cadere ſub præceptum; Excuſatur tamen communiter pœnitens a mortali, ſi ultra tempus deſignatum differat illam; quia communiter præceptum Confeſſarii cadit potius in rem exhibendam, quam in tempus; & proinde poteſt aliquando ex rationabili cauſa licite differri: Quacumque tamen de cauſa differatur, debet poſtea impleri: Quicquid in contrarium doceat Amicus, quia præceptum per ſe cadit in ſubſtantiam operis, ut diximus; in tempus vero, tanquam in circumſtantiam accidentalem, & terminus deſignatus a Judice non eſt terminus finiendi obligationem, ſed terminus, ultra quem non debeat differri executio.

Quod ſi nullum determinatum ſit a Confeſſario tempus ad pœnitentiam exequendam; Dian. part. 1. tract. 15. reſol. 53., & Fernand. putant, differri poſſe ad annum, ſicut obligationi confitendi ſatisfieri poteſt poſt annum. Hæc tamen opinio jure merito videtur Tambur. nimis laxa; etenim qui vovit, ſe ingreſſurum in aliquam religionem, juxta communem Doctorum mentem, ita debet ſtatim moraliter implere votum, ut non poſſit univerſim differre ingreſſum ultra ſex menſes; quomodo ergo in adimplenda pœnitentia poterit permitti dilatio unius anni? Quare probabilius dicendum cum Lug. diſp. 29. n. 92. per ſe loquendo debere impleri, quamprimum commode moraliter poteſt, ſicut obligat votum: Unde tamdiu differri poteſt pœnitentia, quamdiu impletio voti facti ſine temporis deſignatione: In materia autem de voto docent communiter, probabile eſſe non cenſeri mortale dilationem, quoties dilatio non eſt nimia, & per dilationem non minuitur res promiſſa; (ut minueretur tardus ingreſſus in religionem) & ideo in caſu noſtro non fert mortale dilatio pœnitentiæ, quoties dilatio non eſt nimia, nec minuit rem injunctam; Sicut illam minueret, ſi pœnitentia eſſet medicinalis, vel ſi immineret periculum oblivionis, aut impotentiæ illam implendi.

III. An autem poſſit pœnitens eo tempore pœnitentiam implere, quo exequitur aliud opus de præcepto?

Verbi

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Verbi gratia, an poſſit recitare roſarium injunctum, quando die feſto audit Miſsam? Docent communiter poſse, quando pœnitentia, & opus præceptum non ſe invicem excludunt; ut non ſe excludunt auditio miſsæ, & recitatio coronæ.

IV. Quæritur tertio; An ad circumſtantias pœnitentiæ impoſitæ teneamur ſub mortali? Verbi gratia, ad recitandam coronam ante talem imaginem, vel flexis genibus &c.

Reſpondeo cum Lug. diſtinguendo; ſicut cum Sanch. l. 4. in Decalogum cap. 1. diſtingui ſolet in materia de voto: Vel enim res promiſsa, & injuncta eſt gravis, & circumſtantia eſt levis; ut in caſu adducto recitare coronam ante talem imaginem; & ad talem circumſtantiam tenetur pœnitens ſub veniali: Vel circumſtantia etiam eſt gravis, ut aliquibus videtur coronam recitare flexis genibus; & ad illam obligatur ſub mortali.

V. Hinc infertur, quid dicendum ad hoc aliud quæſitum; An liberetur pœnitens ab obligatione implendi pœnitentiam, quando impotens eſt ponere circumſtantiam impoſitam? Verbi gratia, liberaturne ab obligatione recitandi coronam, ſi non poteſt illam recitare flexis genibus, prout eſt impoſitum? Reſponſio deſumenda eſt ex paritate voti, & ultimate ex intentione confeſsarii pœnitentiam imponentis, ut docet Lug. diſp. 25. num. 94. Si enim ex conjecturis habetur, Confeſsarium voluiſſe obligare ad ſubſtantiam operis, etiamſi non poſſit impleri circumſtantia, tunc debes ponere ſubſtantiam, quam potes; ſecus vero non item.

VI. Quæritur quarto; ſi Pœnitens pœnitentiæ obliviſcatur, ad quid tenetur?

Reſpondeo ex Tambur., & Lug. teneri dumtaxat memorem confeſſarium conſulere, ſi commode poteſt, & pœnitentia ſit gravis; ſecus ad nihil tenetur; quia ex Vaſq. nullum præceptum, dum ignoratur, obligat. Idque verum eſt, etiamſi culpabiliter oblitus ſit pœnitentiæ; non enim tenetur iterum eadem peccata confiteri, ut aliam pœnitentiam accipiat, (ut quidam voluerunt) quamvis teneatur oblivionem culpabilem confiteri, ſi culpabiliter ſit oblitus.

VII. Quæritur quinto; An poſſit pœnitens pœnitentiam injunctam per alium implere?

Reſpondeo, duplicem poſſe eſſe ſenſum quæſiti; Primo, an pœnitens poſſit pro ſuo libito pœnitentiam ſibi injunctam per alium implere; & id certe non licet, ut conſtat ex propoſitione 15. damnata ab Alex. VII. quæ habet: *Pœnitens propria auctoritate ſubſtituere ſibi alium poteſt, qui loco ipſius pœnitentiam adimpleat.* Et ratio eſt, quia ſi pœnitenti impoſitum eſt, ut ipſe jejunet, oret, eleemoſynam eroget, tenetur ipſe hoc præſtare: Adverte tamen, ipſum cenſeri eleemoſynam facere, etiamſi per ſervum faciat; ſecus vero ſi roget alium, ut ille faciat eleemoſynam de ſuo. Secundus ſenſus poteſt eſſe; An id fieri poſſet de conſenſu confeſſarii? Et reſpondeo cum Suar. ex dictis affirmative: Poteſt enim, verbi gratia, conſentire confeſſarius, ut pœnitens ſatisfaciat per jejunium, quod ab alio procuret. Et ratio eſt, quia præceptum hoc pendet a voluntate Confeſſarii, adeoque ſatisfit præcepto, quoties juxta voluntatem confeſſarii impletur; Unde fit, poſſe confeſſarium adjuvare pœnitentem in ſatisfaciendo, & offerre in ſatisfactionem propria jejunia.

Neque dicas, talem pœnitentiam per alium impletam non poſſe eſse partem Sacramenti, & ſic non eſſe ſatisfactionem Sacramentalem. Reſpondet enim Suar. diſp. 38. ſect. 9., eſse

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

eſſe aliqualiter partem Sacramenti, quatenus aliqualiter eſt pœnitentis; ſicut enim poteſt quis per interpretem confiteri ſacramentaliter; ita poteſt Sacramentaliter ſatisfacere per alium. Ex quo infertur, quod non ſolum ipſa procuratio jejunii alieni, ſed etiam jejunium alienum probabiliter elevetur in tali caſu ad præſtandos ſuos effectus ex opere operato; ut docet Suar. contra Vaſq.. Monet tamen eximius doctor, hunc modum imponendi pœnitentiam non eſſe in Eccleſia uſitatum, nec debere ſine rationabili cauſa a Confeſſario adhiberi.

## ARTICULUS III.

### De Commutatione Pœnitentiæ.

*I. Num liceat pœnitenti impoſitam pœnitentiam in graviorem commutare?*

*II. Utrum deobligetur a pænitentia impoſita, qui plenariam indulgentiam lucratur?*

*III. Num poſſit ſecundus confeſſarius non auditis peccatis pænitentis commutare in lucrationem indulgentiæ plenariæ pænitentiam a primo confeſſario impoſitam?*

*IV. Poterit aliquando ſolum ratione Epicheja pænitens ſibimet pænitentiam commutare.*

*V. Idem confeſſarius, qui pœnitentiam impoſuit, poteſt illam extra confeſſionem commutare. Alter vero confeſſarius nonniſi intra Confeſſionem: Et probabiliter cum ſola confuſa notitia peccatorum, pro quibus ea fuit impoſita.*

*VI. Non ſolum confeſſor æqualis, ſed etiam inferior commutare poteſt pænitentiam a ſuperiore impoſitam pro reſervatis.*

*VII. Non poteſt tamen ſimplex Sacerdos commutare pænitentiam a confeſſario impoſitam pro mortalibus.*

I. QUæritur primo; An poſſit ipſe ſibi pœnitens pœnitentiam commutare in graviorem?

Reſpondeo negative cum communi contra Villalob. & alios apud Dian. part. 3. tract. 4. reſol. 53. qui putant, ceſſare obligationem pœnitentiæ, quoties vel per indulgentiam plenariam, vel alia via per operationes ſatisfactorias adæquate ſatisfit pro culpis confeſſis. Et Dian. part. 1. tract. 15. reſol. 53. ex Portel. docet, probabile eſſe, poſſe pœnitentem auctoritate propria commutare ſibi pœnitentiam in quodcumque aliud opus evidenter melius; ſicut poteſt vovens ſibimet ſic votum commutare. Admitto equidem cum communi, ceſſare obligationem pœnitentiæ, quæ non ſit pure medicinalis, quoties quis indulgentiam plenariam lucratur; quia ceſſat finis pœnitentiæ impoſitæ, ut fuſe oſtendit Lug. diſp. 27. num. 32. advertens tamen in praxi non facile hanc ſententiam admittendam; tum quia facile indulgentias plenarias ex variis cauſis non lucramur; tum pariter, quia fere ſemper pœnitentiæ, quæ ſolent imponi, ſunt etiam medicinales; tum demum, ne deſit meritum, quod magnum quidem eſt in executione pœnitentiæ, quæ virtute clavium elevatur ex opere operato ad gratiam producendam, ut ſupra diximus: Cenſeo nihilominus, non ceſſare obligationem pœnitentiæ per quodcumque aliud opus præſtantius, quod ponatur a pœnitente; quia cum de nullo alio opere certum ſit, quod omnino ſatisfaciat pro culpis commiſſis, ſicut eſt certum de indulgentia plenaria; idcirco ſemper habetur obligatio obediendi præcepto confeſſarii. Quandoquidem illa ſolum operatio meritoria, quæ a confeſſario im-

po-

ponitur, elevatur virtute clavium ad ſatisfaciendum pro culpis ex opere operato.

Ratio ulterior doctrinæ eſt; quia univerſim ſubditus non poteſt commutare opus impoſitum in aliud præſtantius: Verbi gratia, auditio miſſæ impoſita die feſto, & abſtinentia a carnibus die veneris non poteſt a nobis commutari in quodcumque aliud opus præſtantiſſimum; Nec ſufficit ratihabitio ſuperioris, ad quam Villalob. confugit; ergo cum pœnitens reſpectu confeſſarii ſe habeat ut ſubditus, non poteſt auctoritate propria pœnitentiam in quodcumque aliud opus commutare: Præſertim quia opus a pœnitente ſubrogatum non haberet rationem ſatisfactionis Sacramentalis.

II. Hoc autem non militat relate ad indulgentiam plenariam, ratione cujus poteſt deobligari pænitens a pœnitentia ſatisfactoria, non tamen a medicinali, ut oſtendimus in Opuſc. de Jubilæo. Ratio eſt, tum quia confeſſarius intantum poteſt præcipere pœnitentiam, inquantum illa eſt neceſſaria ad ſatisfactionem; ergo cum per indulgentiam plenariam abunde ſatisfiat, ceſſat obligatio talis præcepti; ut proinde D. Th. dicat, pœnitentiam in eo, qui indulgentiam lucratur, eſſe materiam de conſilio; Tum etiam quia qui loco pœnitentiæ vult indulgentiam lucrari, non ipſe ſibi pænitentiam commutat, ſed Pontifex, qui concedendo indulgentiam tribuit facultatem extinguendi debitum pænæ, quod erat fundamentum talis obligationis.

III. Et hinc ſequitur, quod ſi poteſt pænitens, a fortiori poterit alius confeſſarius etiam extra confeſſionem ſic commutare pænitentiam, ſeu potius oſtendere pænitenti modum, quo poſſit ſe eximere ab obligatione pænitentiæ, quam nimis duram putat; & conſequenter eximitur ille ab obligatione repetendi eadem peccata, ut in nova confeſſione nova pænitentia ſibi imponatur. Quod tamen ſolum eſt verum de pænitentia ſatisfactoria, non de præſervativa; & quia pænitentiæ, quæ nunc ſolent imponi, ut notat Suar., ſunt adeo leves, ut vix ſufficiant ad præſervationem, & curationem, idcirco perraro ad praxim iſthæc doctrina deſervit.

Oppones; Poteſt vovens commutare ſibi opus promiſſum in aliud æquale, aut melius; ergo etiam pænitens poteſt ſibi pænitentiam commutare ſaltem in opus præſtantius.

Reſpondeo cum Suar., nego conſequentiam, admiſſo antecedente. Diſparitas eſt primo, quia votum in ſua origine pendet a voluntate voventis; præceptum vero pænitentiæ a voluntate confeſſarii; ergo illud poteſt a voluntate voventis commutari, hoc vero a voluntate confeſſarii. Secundo, quia materia ſubrogata voto adhuc pertinet ad religionem: Contra vero pænitentia ſubrogata non pertinet ad obedientiam debitam confeſſario, nec ad ſatisfactionem Sacramentalem. Tertio, quia votum eſt promiſſio facta Deo de opere ipſi grato; atque adeo includit hanc conditionem, niſi exhibuero aliquid Deo gratius; Etenim, ut Juriſtæ docent, *Non infringit promiſſum, qui illud commutat in melius*, ex cap. *Pervenit de Juramento*. At res præcepta hanc tacitam conditionem non includit.

IV. Adverte tamen, poſſe aliquando pænitentem benigne interpretari mentem confeſſarii, Verbi gratia, ſi debeat in pervigilio alicujus Sancti jejunare, nec poſſit ſine gravi detrimento, aut incommodo tunc poterit vel jejunium differre, vel in aliud opus commutare, non quidem vi licentiæ præſumptæ, aut ratione ratihabitionis de futuro, quatenus ſi id peteretur a con-

confeſſario, certe concederetur; cum in actibus judicialibus non ſufficiat ratihabitio de futuro, ſeu licentia conditionata, & præſumpta, ut dicemus cum de Jurisdictione Confeſſarii; ſed ratione Epichejæ, quatenus in rebus arduis benigne poſſumus aliquando voluntatem legislatoris interpretari; quod ſcilicet nolit pro tali circumſtantia rigide obligare: Quamvis in tali caſu opus ſubrogatum non elevetur ad operandum effectum ullum ex opere operato; non enim eſt pars materialis Sacramenti, cum non ſit satisfactio a confeſſario impoſita.

V. Quæritur ſecundo; An poſſit idem, vel alius confeſsarius pænitentiam impoſitam commutare? Quod ſi poſſit, num intra, an extra confeſſionem? Auditiſne iterum peccatis, propter quæ fuit impoſita pænitentia, an non auditis?

Dico primo, poteſt idem confeſſarius, qui pænitentiam impoſuit, illam commutare, etiam extra confeſſionem. Ita communiter Doctores. Et ratio eſt, quia ſicut poteſt illam injungere poſt abſolutionem, ut ſupra diximus; ita etiam extra confeſſionem poteſt illam commutare. Non tamen ſine cauſa, & pro libito, nec ſine conſenſu pænitentis, ut notat Valerus; quia ſententia ſemel legitime prolata, & acceptata tranſit in rem judicatam, quaſi per modum contractus, ut docet Lug. diſp. 25. num. 113.

Dubium eſt, intra quod tempus commutari poſſit poſt confeſſionem? Et licet varii varia: equidem cenſeo cum Sot., Suar., Lug., Tambur., etiam poſt longum tempus commutari poſſe: Sicut enim ſatisfactio, etiam poſt longum tempus poſita, integrat Sacramentum, ita pariter impoſitio, vel commutatio pœnitentiæ poteſt ad idem Sacramentum integrandum pertinere, etiamſi poſt longum tempus habeatur: Vaſq. tamen jure merito ad commutationem pœnitentiæ requirit, ut Sacerdos recordetur peccatorum confeſſorum, vel ſtatus pœnitentis: Lugo vero diſp. 25. num. 112. requirit, ut ſaltem habeat confuſam memoriam peccatorum, pro quibus fuit impoſita pœnitentia; quia hic actus eſt juriſdictionis, & judicii; & conſequenter procedere debet ex notitia cauſæ. Aliquando tamen ipſa pœnitentia commutanda dat ſufficientem notitiam cauſæ, pro qua fuit impoſita, unde poſſit commutari; & ideo quando pœnitens oblitus pænitentiæ vult aliam ſibi imponi; quamvis probabiliter, ut diximus, ad nihil teneatur, poteſt tamen ab eodem confeſſario vere commutari pænitentia oblita in aliam; eſto confuſam tantum habeat memoriam peccatorum: Quod ſi nullatenus peccatorum, & pænitentiæ impoſitæ Confeſſor recordetur, adhuc poteſt illum vel ſine pænitentia ulla dimittere, cum ad nihil teneatur; vel poteſt aliam levem injungere ad quietem pænitentis.

Dico ſecundo; alius confeſſarius æqualis, ſi audiat eandem confeſſionem, poteſt intra forum Sacramentale pænitentiam commutare, vel minuere. Ita communiter cum Suar. diſp. 18. ſect. 10. Ratio eſt, quia duo confeſſores æquales in hoc Sacramento ſe habent ut duo Judices, atque adeo poteſt pænitens adire ſecundum confeſſarium, non per modum appellationis, ut opponunt Adverſarii, ſed per modum novi judicii formandi: Unde ſicut poteſt ſupra eadem peccata iterum confeſsa repeti abſolutio, ita poteſt iterum proferri ſententia, & pæna alia iterum infligi, non ad derogandum priori judicio, ſed ad conſulendum pænitenti, in cujus favorem talis repetitio conceditur.

Neque dicas, prius Sacramentum rema-

remanere mutilum, ſi pænitentia tunc impoſita non mandetur amplius executioni.

Nam, ut bene de Lugo, nihil detrahitur priori judicio, quando ponitur executio ſententiæ per commutationem ſententiæ factæ in eodem Tribunali: ſicut non derogatur promiſſioni factæ Deo per commutationem voti. Et quamvis in judicio forenſi fiat injuria primo Judici, ſi adeatur ſecundus Judex æqualis pro iteranda ſententia, & commutanda pæna; hoc tamen non accidit in judicio Sacramentali, ut notat de Lug., quia judicium Sacramentale totaliter ordinatur in bonum Rei. Advertendum tamen cum eodem Lug., quod debeat confeſſarius habere intentionem commutandi priorem pænitentiam, aliter utraque deberet poni, ut utrumque Sacramentum perficiatur.

Ex dictis ſequitur, quod non poſſit ſecundus confeſſarius pænitentiam commutare extra confeſſionem; quia commutatio pænitentiæ eſt actus juriſdictionis, & nova pænitentia, quæ imponitur, eſt Sacramentalis; ergo in confeſſione Sacramentali fieri debet commutatio a ſecundo confeſſario: Contra vero ab eodem confeſſario poteſt fieri tum commutatio, tum etiam diminutio pænitentiæ extra confeſſionem; ſicut etiam poſt abſolutionem, ut diximus, poteſt pænitentia imponi; quia totum hoc pertinet ad judicium jam inchoatum in confeſſione præterita. Vota etiam poſſunt a quolibet habente poteſtatem ea commutandi extra confeſſionem commutari. Immo etiamſi nulla præceſſerit confeſſio: Sicut etiam extra confeſsionem conferri poteſt abſolutio a cenſuris, quia licet hujuſmodi ſint actus judicii, non tamen Sacramentalis.

Dubium eſt, an poſſit etiam ſecundus confeſsarius æqualis commutare pænitentiam intra confeſſionem, non auditis tamen prioribus peccatis, pro quibus illa pænitentia fuit impoſita.

Negant poſse Suar., Con., Fagund.; Et Vaſq. addit, oppoſitam ſententiam nihil habere probabilitatis. Probabilem tamen eſse, cenſet Lugo, & Tambur. ex Navar., Tolet., Sà, Rodriq., aliiſque, quos citat, & ſequitur Dian. part. 1. tract. 15. reſol. 53., tum quia ea eſt praxis confeſſariorum, tum quia graviſſimum eſt onus repetere confeſſiones pro commutatione pænitentiæ, quæ non facile poni poteſt; tum demum quia intantum non poſset commutari pænitentia, non auditis peccatis, pro quibus fuit impoſita, inquantum ferri non poteſt actus judicialis, incognita cauſa; Atqui ſufficienter ad commutationem pænitentiæ habetur cognitio confuſa peccatorum, quæ colligitur tum ab ipſa pœnitentia, tum a ſtatu præſenti pœnitentis; (ſicut paſſim quando pœnitentia injungitur, nonniſi confuſa cognitio peccatorum habetur a Confeſſario, quamvis pænitens illa diſtincte recenſuerit, ut notat Lug. diſp. 25. n. 109.) ergo poteſt a ſecundo Confeſſario commutari pænitentia, non auditis prioribus peccatis, pro quibus fuit impoſita. Præterquamquod confeſſarius, cum ſit Judex, & Medicus pænitentis, poteſt de tota ſimul cauſa judicare, dum judicat hic, & nunc non expedire pænitenti priorem pænitentiam, quia difficulter illam explebit. Et ad facilitandum uſum tanti Sacramenti advertit Tambur., juſtam eſſe cauſam commutandi pænitentiam, non ſolum ſi dicat pænitens vel non poſse, vel cum difficultate poſſe illam exequi, ſed etiam ſi videat, pænitentem illam non impleviſſe. Et quod dicitur de pænitentia vindicativa, dicitur etiam de medicinali, dummodo medicinalis etiam



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

in medicinalem commutetur, prout hic, & nunc expedire videbitur.

VI. Dico tertio; non ſolum ſecundus Confeſſarius æqualis poteſt pœnitentiam ab æquali confeſſario impoſitam intra confeſſionem commutare; ſed etiam Confeſſarius inferior commutare poteſt pœnitentiam impoſitam pro reſervatis a Confeſſario ſuperiore. Ita Vaſq. quæſt. 9. art. 2. dub. 3., Fagund., Valent., & alii contra Suar., Filliuc., Lug.. Et ratio eſt, quia reſervatio caſuum ſolum efficit, ut non poſſint peccata ab inferiori abſolvi; quando autem ſunt abſoluta, pœnitentia pro illis impoſita non eſt amplius reſervata, ita ut non poſſit ab inferiore ex juſta cauſa commutari. Quod patet paritate voti reſervati: Si enim hoc commutetur ab habente poteſtatem in aliud opus non reſervatum, hoc non evadit reſervatum; Verbi gratia, ſi votum caſtitatis a Pontifice commutetur in jejunia, hæc deinde poterunt ab Epiſcopo commutari in aliud opus, quamvis non poſſit Epiſcopus votum caſtitatis commutare.

Confirmatur primo, quia peccata reſervata ſemel abſoluta a ſuperiore poterunt iterum ab inferiore abſolvi ſacramentaliter; ergo etiam poteſt pœnitentia pro illis a ſuperiore impoſita commutari ab inferiore in eodem foro Sacramentali.

Confirmatur ſecundo, quia in dubio, an peccatum aliquod ſit reſervatum, non cenſetur reſervatum, eo quod ſtat in poſſeſſione libertas, ſeu poteſtas abſolvendi; & univerſim in dubio melior eſt conditio poſſidentis; ergo pariter, ſi dubitatur, an pœnitentia impoſita pro reſervatis ſit & ipſa reſervata, cenſendum non eſſe reſervatam, ſed poſſe etiam ab inferiore commutari, quia pariformiter ſtat in poſſeſſione libertas, ſeu poteſtas in quolibet confeſſario commutandi pœnitentias, donec conſtet de earumdem reſervatione.

Neque dicas primo; Inferior non poteſt præceptum, & ſententiam ſuperioris commutare; ergo neque poterit commutare pœnitentiam ab eo præceptam.

Nam (ut reſpondet Vaſq. loc. citat. num. 10.) Superiores non reſervant peccata, quaſi eorum poteſtas ſit ſuperior in abſolvendo a peccatis, & in imponenda pœnitentia, ſed quia limitant materiam ſubjectam aliis Sacerdotibus; unde ea limitatione ſublata per abſolutionem Superioris, inferior non proprie mutat ſententiam ſuperioris, ſed commutat ex juſta cauſa in foro Sacramentali ſententiam latam ab habente æqualem poteſtatem. Quare conceſſo antecedente, nego conſequentiam; cum in tali caſu ſuperior non veniat inquantum ſuperior.

Neque dicas ſecundo. Finis reſervationis, ut docet Trident. ſeſſ. 14. cap. 7., eſt, ut majorum criminum judicium, & medela reſervetur ſuperiori, & prudentiori ad populi diſciplinam, quod fit per pœnitentias a Superiore impoſitas; Atqui ſi poſſet Confeſſarius inferior commutare pœnitentiam ſuperioris, ceſſaret finis reſervationis; ergo non poteſt inferior illam commutare.

Nam reſpondeo, finem reſervationis eſſe, ut peccatores a gravioribus criminibus arceantur, dum ſciunt, ea eſſe ſummis Sacerdotibus reſervata, & ut pro iis graviora, & ſalubriora monita accipiant; quod ſpectat ad populi diſciplinam: Non eſt autem finis reſervationis, ut pœnitentia a Superiore impoſita ſit immutabilis.

VII. Neque dicas tertio, quod ſi poſſet Inferior commutare pœnitentiam a ſuperiore impoſitam pro reſervatis, poſſet etiam ſimplex Sacerdos commutare pœnitentiam impoſitam a Confeſſario pro mortalibus; cum

cum ita ſe habeant mortalia abſoluta a Confeſſario relate ad ſimplicem Sacerdotem, ſicut ſe habent reſervata abſoluta a ſuperiore relate ad confeſſarium inferiorem, qui non habet poteſtatem in reſervata.

Nam, quamvis ſequelam admittat Jo. Sancius cum Dian. part. 3. tract. 4. reſol. 53. equidem cum Suar. illam nego. Et diſparitas eſt, quia cum univerſim in dubio melior ſit conditio poſſidentis, in dubio an pœnitentia impoſita pro reſervatis ſit & ipſa reſervata, dicendum, non eſſe reſervatam, atque adeo poſſe ab Inferiore commutari, quia ſtat in poſſeſſione libertas, ſeu poteſtas commutandi in Inferiore, & dubitatur an per reſervationem ea ſit limitata: Contra vero in dubio an ſoli confeſſario competat poteſtas commutandi pœnitentiam impoſitam pro mortalibus, nequit ſimplex Sacerdos eam commutare; quia non ſtat in poſſeſſione poteſtas eam commutandi, ita ut dubitetur, an ea ſit limitata per reſervationem, ſed eſt in poſſeſſione præceptum, ne ſimplex Sacerdos ingerat ſe relate ad mortalia non alias confeſſa, atque adeo nec relate ad pœnitentiam pro iiſdem impoſitam.

# QUÆSTIO VII.

## De Forma Sacramenti Pœnitentiæ, quæ eſt Abſolutio.

PRæcipua pars hujus Sacramenti eſt forma, ex Trident. ſeſſ. 14. cap. 3., utpote quæ determinationem, ac perfectionem reliquis tribuit. De ea autem primo inquirendum, Quænam ſit? Deinde, quandonam abſolutio dari poſſit ſub conditione, aut differri? Tertio, expediemus reliqua ad abſolutionem pertinentia.

### ARTICULUS I.

Quænam ſit forma abſolutionis?

*I. Invalida eſt abſolutio, niſi forma abſolutoria ore proferatur.*

*II. Omnia Sacramenta voce humana conferri debent, circumſcripto Matrimonio, quod ſequitur naturam contractus.*

*III. Quænam verba eſſentialiter ad abſolutionem ſpectent?*

*IV. Forma abſolutoria non poteſt eſſe mutila; poteſt tamen eſſe æquivoca, & a circumſtantiis ad ſenſum debitum determinari.*

*V. Nequit forma in hoc Sacramento deprecatorio modo conferri, ut in Extrema Unctione: valide tamen, ſed illicite conferretur abſolutio per hæc verba, Abſolvatur Servus Chriſti.*

*VI. Quinam ſit germanus ſenſus formæ abſolutoriæ?*

*VII. Num gratia conferatur poſt illa verba, Abſolvo te, an vero poſt illa alia, A peccatis tuis?*

I. QUæritur primo, An forma abſolutoria debeat humana voce proferri?

Reſpondeo cum communi affirmative; ſic enim Chriſtus Dominus inſtituit, & perpetua traditio, & conſuetudo Eccleſiæ demonſtrat, & Concilia definiunt; Unde Clemens VIII. damnavit propoſitionem illam, quod ſci-

ſcilicet poſſit quis per literas, ſeu internuncium Confeſſario abſenti peccata ſacramentaliter confiteri, & ab eodem abſente abſolutionem obtinere; & Paulus V. die 14. Julii 1605. declaravit, utrumque prohiberi, videlicet tam confeſſionem, quam abſolutionem per literas, ſeu internuncium. Et quamvis in aliquo caſu poſſit dari præſenti Confeſſario papyrus, in qua ſcripta ſint peccata, oſtendendo ſigna doloris, & addendo, quod de iis pœnitens ſe accuſet; (modo non ſit mutus, cui non ſit integrum vocem ullam proferre, ſed ſolum poſſit, ſigna doloris oſtendere) At forma abſolutoria debet humana voce proferri, cum magis expreſſam ſignificationem poſtulet forma, quam materia: Unde fit, poſſe mutum pœnitentem abſolvi, ſed Sacerdotem mutum nequaquam poſſe ſacramentaliter abſolvere.

Ubi adverte cum de Lugo, abſolutionem per literas, aut internuncium collatam non ſolum eſſe illicitam, ſed etiam invalidam; ſi enim eſſet valida, poſſet licite conferri in caſu extremæ neceſſitatis, ſcilicet in articulo mortis, quando aliter conferri non poſſet: Cum tamen Clemens VIII. dicat, in nullo caſu poſſe talem ſententiam in praxim deduci, ſequitur, talem abſolutionem eſſe invalidam.

II. Neque dicas, in Matrimonio, quod inſtitutum eſt per modum contractus, non requiri verba humana; ergo neque in Sacramento pœnitentiæ, quod eſt inſtitutum per modum judicii; cum in judicio etiam per literas ſententia proferatur.

Nam conceſſo antecedente, nego conſequentiam; Diſparitas eſt, quia noluit Chriſtus Dominus hoc judicium ſacramentale in omnibus eſſe conforme judicio forenſi; etenim in hoc Tribunali idem eſt reus accuſator, & teſtis, eidemque creditur, tam pro ſe, quam contra ſe; quod in forenſi judicio non habetur; ſic etiam differunt in caſu noſtro.

III. Quæritur ſecundo, Quænam verba pertineant ad formam abſolutoriam?

Reſpondeo, in Rituali Pauli V. ea verba apponi adhibenda, Miſereatur tui, &c. Indulgentiam, abſolutionem, &c., Dominus noſter Jeſus Chriſtus te abſolvat, &c., & poſt abſolutionem tum a cenſuris, tum a peccatis, Paſſio Domini noſtri, &c. Verum ex conſuetudine Eccleſiæ omittuntur illa, Miſereatur tui, & Indulgentiam: Immo in magno concurſu populi, & in breviſſimis confeſſionibus hæc tantum verba poſſunt adhiberi; Ego te abſolvo ab omnibus cenſuris, & peccatis tuis, in nomine Patris, Filii, & Spiritus Sancti: Etenim preces illæ antecedentes, Miſereatur tui, &c., necnon conſequentes, Paſſio Domini noſtri, &c. ex Trident. ſeſſ. 14. cap. 3. laudabiliter adjunguntur; unde infertur, poſſe ſine culpa omitti.

Abſolutio etiam a cenſuris omitti poteſt, ex Granad. quando nulla probabili ratione exiſtimatur eas incurriſſe pœnitentem. Quamvis omitti non debeat juxta conſuetudinem Eccleſiæ, ad hoc ut ſi pœnitens ſit immemor alicujus peccati habentis annexam cenſuram, prius ab illa abſolvatur, ut poſſit Sacramentum recipere. In caſu tamen neceſſitatis illa verba, Abſolvo te a peccatis tuis, ſignificant abſolutionem cenſurarum ſimul, & peccatorum; quia ſæpe nomine peccatorum veniunt etiam pœnæ debitæ peccatis, ut ſunt etiam cenſuræ: Sicut cum dicitur in Scriptura in alio mundo remitti peccata, ſenſus eſt, remitti pœnas Purgatorii debitas peccatis.

Invocatio Sanctiſſimæ Trinitatis non eſt neceſſaria, ſicut eſt neceſſaria in ba-

baptiſmo : Nam Chriſtus Dominus dixit, baptizandos eſſe homines In nomine Patris, Filii, & Spiritus Sancti; At in inſtitutione Sacramenti pœnitentiæ dixit, *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis*. Unde ſatis eſt ad formam abſolutoriam exprimere verba, quæ remiſſionem peccatorum ſignificent.

Pronomen illud, Ego, non eſt eſſentiale, quia implicite continetur in ly Abſolvo, quod juxta omnium ſententiam eſt eſsentiale.

Particula illa, Te, a communi Doctorum contra aliquos Recentiores exiſtimatur eſse eſsentialis; quia non habetur ſignificatio completa ſine illa.

IV. Verum particula illa, A peccatis tuis, communius contra quamplures Recentiores non reputatur eſſentialis; quia ex circumſtantiis ſignificatio illorum verborum, Abſolvo te, quæ eſt indeterminata, & æquivoca, determinatur ad ſignificandam remiſſionem a peccatis. Ubi adverte, verbum, Abſolvo, conficere propoſitionem mutilam, non æquivocam; hæc autem verba, Abſolvo te, conficere propoſitionem non mutilam, ſed æquivocam; Non ſecus ac propoſitio iſta, Ego vidi, eſt mutila; hæc alia vero, Ego vidi canem, eſt æquivoca: Poteſt autem ex circumſtantiis propoſitio æquivoca determinari ad hanc potius, quam ad aliam ſignificationem: At non debet in Sacramentis conferendis propoſitio mutila ex circumſtantiis compleri. Et ratio eſt, quia verba Sacramentalia debent ex ſe, & non ex circumſtantiis ſignificare id, quod cauſant; Unde ſequitur, quod propoſitio, Abſolvo, quæ eſt mutila, non ſit ſufficiens in Sacramento pœnitentiæ; Nec ſi quis dicat confeſſario, abſolviſſe me a peccatis meis? ſatis eſt, quod ille dicat, Abſolvo, vel maxime quia iſta verba non ſignificant ex ſe id, quod cauſant, videlicet remiſſionem peccatorum: Contra vero, ſatis eſt dicere, Abſolvo te, quamvis propoſitio iſta ſit æquivoca, & à circumſtantiis determinetur ad ſignificandam abſolutionem a peccatis potius, quam a cenſuris, aut a vinculis. Quia tamen in re gravi non eſt recedendum a conſuetudine, nec eſt exponendum Sacramentum periculo fruſtrationis, ideo ſine culpa gravi omitti non poſſunt illa verba, A peccatis tuis: Sine culpa autem ſolum veniali omitti non poteſt ly, Ego, & ly, in nomine Patris &c.; quia ſi hæc omittantur, receditur a conſuetudine Eccleſiæ, non tamen exponitur Sacramentum periculo fruſtrationis.

V. Hinc habes, abſolutionem non rite conferri deprecatorio modo, dicendo, Abſolvat te Deus, ſicut confertur Sacramentum Extremæ Unctionis, dicendo, Per ſuam piiſſimam miſericordiam indulgeat tibi Deus, &c. Ratio eſt, quia Chriſtus Dominus noluit, ut ſuus miniſter impetret abſolutionem, ſed voluit, quod abſolvat; dixit enim, *Quorum remiſeritis* &c. Quare confeſſarius debet abſolute dicere, tamquam Judex, & Chriſti locum tenens, Ego abſolvo, proferendo ſententiam, non deprecando. Eſſet autem valida, quamvis illicita abſolutio, ſi diceretur, Abſolvatur Servus Chriſti, &c. ſicut valide baptiſmum conferunt Græci, dicendo, Baptizetur ſervus Chriſti.

VI. Quæritur tertio, Quinam ſit ſenſus horum verborum, Ego te abſolvo, &c.?

Reſpondeo cum communi contra Gabriel. diſt. 18., non eſſe ſenſum; Ego remitto tibi obligationem ſubjiciendi te clavibus Eccleſiæ; nec per ea ſignificari remiſſionem pœnæ æternæ, aut temporalis; nec ſolum declarari pœnitentem abſolutum, quod aliqui antiqui dixerunt; ſed ſenſum eſſe; Ego confero tibi gratiam ex

ſe

ſe remiſſivam peccati, ſeu Impendo tibi Sacramentum pœnitentiæ conferens gratiam ex ſe remiſſivam peccati. Ratio eſt, quia verba Sacramentorum ſignificant practice id, quod cauſant; ſicut cauſant id quod ſignificant; Atqui verba abſolutoria cauſant gratiam ex ſe remiſſivam peccati; ergo productionem talis gratiæ ſignificant. Hic autem ſenſus verificatur etiam in eo, qui accedit ad Sacramentum cum contritione, atque adeo cum culpa jam remiſſa; necnon in eo, qui peccata olim confeſſa, & remiſſa confitetur iterum; Poteſt enim vere renovari remiſſio; ſicut renovatur promiſſio, & renovantur vota, ut diximus quæſt. 2. art. 5.

Dices; Dei ſolius eſt remittere peccata, juxta illud Matth. 9. *Quis poteſt peccata remittere, niſi ſolus Deus?* ergo Confeſſarius non remittit peccata, ſed ſolum declarat pœnitentem abſolutum.

Reſpondeo, Deum ſolum remittere peccata auctoritate propria; Confeſſarium vero auctoritate aliena, & accepta a Deo, tamquam a principali remittente.

VII. Quæritur ultimo, Quandonam confertur gratia Sacramentalis? Num poſt prolationem illorum dumtaxat verborum, Abſolvo te, quæ ſunt eſſentialia, ut tenent Suar. Lug. Bonac., & alii; An vero poſt illa verba, A peccatis tuis, ut tenent Vaſq., Henr., & alii putantes, quod quamvis illa ſolum verba, Abſolvo te, ſint eſſentialia, at illa alia verba, A peccatis tuis, quando apponuntur ad clarius ſententiam explicandam, concurrunt ad cauſalitatem gratiæ, & ideo gratia non confertur, niſi illis prolatis.

Reſpondeo, utramque ſententiam eſſe ſpeculative probabilem; debet tamen quilibet practice, ut advertunt Valent., & Henr., habere intentionem conferendi gratiam, & abſolvendi juxta intentionem Eccleſiæ, & inſtitutionem Chriſti Domini: Et idem dicunt ſervandum in conſecratione Calicis; Oportet enim habere intentionem conſecrandi juxta intentionem Eccleſiæ potius, quam conſecrandi ſtatim poſt illa verba, Hic eſt calix Sanguinis mei. Et ratio in utroque caſu eſt, quia cum ſit diſſidium inter Theologos, num in Sacramento Pœnitentiæ ſint etiam de eſſentia verba illa, A peccatis tuis, & in conſecratione calicis illa alia verba, Qui pro vobis, & pro multis, &c., ideo intentio miniſtri relate ad abſolvendum, & conſecrandum debet eſſet juxta inſtitutionem Chriſti Domini, & non juxta hanc, vel illam opinionem.

## ARTICULUS II.

### Quandonam conferri poſſit abſolutio ſub conditione, aut differri?

*I. Valida eſt, ſed regulariter illicita abſolutio ſub conditione de præterito, aut de præſenti.*

*II. At ſub conditione de futuro eſt invalida.*

*III. Cur poſſit Matrimonium celebrari ſub conditione de futuro, quin ſuſpendatur effectus Sacramenti? Et cur ſolum Matrimonium, urgente gravi metu, ſimulari poſſit?*

*IV. Quibus de cauſis poſſit aliquando, aut debeat abſolutio differri?*

*V. Peccatori publico qualiter differenda ſit abſolutio?*

*VI. Num debeat Confeſſarius accommodare ſe opinioni probabili pœnitentis; quamvis ipſe tali opinioni non adhæreat?*

I. Quæritur primo, Poſſitne dari abſolutio ſub conditione de præterito; verbi gratia, ſi jam re-

reſtituiſti, ſi concubinam ejeciſti, &c.? vel ſaltem ſub conditione de præſenti, dicendo verbi gratia, ſi eſt vivus ille, quem vulneraſti, &c; Ego te abſolvo.

Reſpondeo, abſolutionem ſub conditione ſive de præterito, ſive de præſenti non eſſe invalidam, cum non ſuſpendat actum, nec Sacramentum, nec gratiam; Vere enim Sacerdos intendit abſolvere de præſenti, ſi res ita ſe habeat, uti ſub conditione exprimitur. Eſt tamen hujuſmodi abſolutio illicita, niſi adſit rationabilis cauſa; quia uſus Eccleſiæ non eſt ſub hujuſmodi conditionibus Sacramenta conficere; atque hoc exigit reverentia debita Sacramentis.

Excuſat tamen aliquando neceſſitas, ut ſi dubites poſitive de diſpoſitione pœnitentis, nec poſſis dubium deponere. Pariter ſi quis dubitet rationabiliter, an valide formam abſolutoriam protulerit, poterit iterum illam ſub conditione mentali pronunciare; vel ſi dubites de ſufficienti materia; ut ſi quis ſolum peccata dubia confiteatur, nec recordetur certa, quod facile in pueris accidere ſolet; tunc enim licite ſub conditione abſolutio profertur.

II. Quæritur ſecundo; num poſſit abſolutio conferri ſub conditione de futuro; verbi gratia, ſi cras reſtitues, Ego te abſolvo.

Reſpondeo, hujuſmodi abſolutionem non ſolum eſſe illicitam, ſed etiam invalidam; quia non poteſt ſuſpendi effectus Sacramenti a miniſtro, poſita materia, & forma ejuſdem, ſeu poſito toto Sacramento: Quare Sacerdos ſic abſolvens neque abſolvit de præſenti, quia non eſt impleta conditio; neque abſolvit pro tempore futuro, quia poſita materia, & forma Sacramenti, ſuſpenderetur ejus effectus, quod fieri non poteſt.

III. Dices: Poteſt Sacramentum matrimonii celebrari ſub conditione de futuro, verbi gratia, ſi genitores conſenſerint, vel ſi Papa diſpenſaverit in impedimento, ut docent communiter Canoniſtæ, & Theologi cum Sanch. lib. 5. de matrim. diſp. 8.; ergo etiam Sacramentum pœnitentiæ.

Reſpondeo cum Perez diſp. 18. ſect. 8., conceſſo antecedente, nego conſequentiam. Ratio eſt, quia in Sacramento matrimonii celebrato ſub conditione de futuro non ſuſpenditur effectus Sacramenti, poſitis omnibus conſtitutivis illius; Etenim Sacramentum Matrimonii conſtituitur per contractum abſolutum; contractus autem tunc evadit abſolutus, quando purificatur ejus conditio; quare purificata conditione, habentur ſimul conſtitutiva Sacramenti matrimonii, & ejus effectus: At ſi Sacramentum pœnitentiæ conferretur ſub conditione de futuro, ponerentur omnia ejus conſtitutiva, & ſuſpenderetur ejus effectus, quod fieri nequit. Præterea Chriſtus Dominus inſtituendo Matrimonii Sacramentum ſolum elevavit contractum humanum ad rationem Sacramenti, nihil immutando leges contractus; cum ergo contractus fieri poſſit ſub conditione de futuro, ſicut etiam per Procuratores, per literas, per internuncium, poterit etiam tale Sacramentum ſic valide celebrari. Unde purificata conditione, (ut tenet Sanch. contra alios) ſtatim ſine novo conſenſu perficitur Sacramentum Matrimonii, & gratia confertur; Hoc tamen non militat in reliquis Sacramentis.

Eadem eſt ratio, quare liceat ſimulare contractum Matrimonii, urgente neceſſitate, non liceat tamen ſimulare reliqua Sacramenta; (quicquid in contrarium docuerit Jo: Sancius in Selectis quæſtionibus diſp. 35.) Proſcripta enim eſt propoſitio 29. ab Innoc. XI. dicens: *Urgens metus gra-*

*vis eſt cauſa juſta Sacramentorum adminiſtrationem ſimulandi*. Etenim, ut docet Lumbier, & Pal., materia Sacramenti Matrimonii eſt contractus legitimus, qui urgente metu gravi poteſt ſimulari juxta leges contractus, & ſi ſimuletur, non irrogatur injuria Sacramento; eo quod vere non ponatur materia Sacramenti a Chriſto Domino inſtituta, quæ eſt verus contractus: Contra vero, ſi ſimularentur reliqua Sacramenta, vere poneretur eorum materia, & forma a Chriſto Domino inſtituta ſine intentione conficiendi Sacramentum; quod gravem irreverentiam importat: Ex quo ſequitur, licitum eſſe ſimulare contractum dumtaxat, non Sacramentum Matrimonii, ut fuſius explicavimus in Trutina exponendo illam theſim.

IV. Quæritur tertio; quandonam poſſit, vel debeat abſolutio differri?

Reſpondeo, ad validitatem Sacramenti non obſtare dilationem abſolutionis poſt confeſſionem doloroſam; ſicut enim in judicio forenſi poteſt ſententia proferri multo poſt proceſſum compilatum, ita etiam in judicio Sacramentali: Et ob eandem rationem, Sacramentum Matrimonii, utpote inſtitutum ad modum contractus, valide celebratur, etiam ſi unus conſenſus per longum tempus diſtet ab alio: Reliqua vero Sacramenta, ut ſint valida, indigent conjunctione morali materiæ cum forma, ut patet.

Præterea licite etiam differri poteſt abſolutio, Primo ex conſenſu Pœnitentis; Secundo, quando Confeſſarius indiget conſilio, vel ſtudio ad abſolvendum; Tertio, quando dilatio neceſſaria eſt ad experiendum propoſitum Pœnitentis; Quarto ex Tambur., & Lug. licet differre abſolutionem propter majorem utilitatem, & confirmationem majorem pœnitentis in bono propoſito; quia Confeſſarius eſt judex ſimul, & medicus; quare non tenetur ſtatim ex hoc quod ſit judex, lecto proceſſu proferre ſententiam; etenim poteſt, & aliquando inquantum medicus etiam debet in bonum delinquentis illam differre. Concedo tamen, quod quando pœnitens eſt rite diſpoſitus, & ex dilatione abſolutionis non reſultat illi majus bonum; ſed potius damnum, eo quod tædio affectus non facile ſit rediturus, tunc Confeſſarius non poſſit abſolutionem differre.

V. Quæritur quarto; An publico peccatori vere pœnitenti, puta Concubinario, Meretrici, Bandito, &c. differri debeat, aut poſſit abſolutio?

Reſpondeo, Confeſſarium, regulariter loquendo, antequam hos abſolvat, debere eorum emendationem per aliquod tempus probare. & ideo in tabella Neapolitana Caſuum reſervatorum habentur hæc verba: *Non abſolvantur Concubinarii, niſi facta reali ſeparatione & tori, & domus, per duos menſes ſe continuerint, vel niſi certo, aut valde probabiliter conſtet, factos phyſice, vel moraliter impotentes ad recidendum, aut paulo poſt eſſe inter ſe matrimonium contracturos.* Eodem itaque pacto, niſi meretrix deponat habitum meretricium, & peccati locum relinquat, ita ut vivere poſſit ſine turpi lucro, quamvis videatur hic, & nunc contrita, differenda tamen eſt illi abſolutio, regulariter loquendo, non ſolum ut Confeſſarius certior fiat de vero dolore, ſed etiam ut illa in vero propoſito ſtabiliatur, nec facile ad vomitum redeat, cum faciliime aliquando proponatur ſcandali, & proximæ occaſionis vitatio, quæ tamen deinde difficile vitantur.

VI. Quæritur quinto; An poſſit pœnitenti diſpoſito negari abſolutio propter varietatem opinionum probabilium.

Re-

Reſpondeo cum Lug. lib. 1. Reſponſ. moral. dub. 26., quod ſi diverſitas opinionum ſe teneat ex parte Confeſſarii, poterit Confeſſarius, quam maluerit, ſequi: Verbi gratia, ſi una opinio doceat, poſſe confeſſarium abſolvere in talibus circumſtantiis, altera doceat non poſſe; una doceat, haberi juriſdictionem a Confeſſario, altera non haberi, poterit profecto Confeſſarius, regulariter loquendo, ſequi opinionem, quam maluerit, & ſic, juxta opinionem negantem, poterit abſolutionem negare; eſto aliquando ex charitate teneatur ſequi opinionem favorabilem pœnitenti, puta ſi pœnitens ſit in mortis articulo, nec alius ſit Confeſſarius.

Quod ſi diverſitas opinionum ſe teneat ex parte pœnitentis, puta, ſi una opinio doceat, pœnitentem teneri ad reſtitutionem, ad removendam talem occaſionem, ac acceptandam talem pœnitentiam; altera opinio doceat, non teneri, non poteſt abſolutio negari, ſi pœnitens ſequatur opinionem ſibi favorabilem, dummodo probabilem; etiamſi Confeſſarius ſit in opinione contraria. Ratio eſt, quia quando pœnitens eſt rite diſpoſitus, & peccata manifeſtavit Confeſſario, etiamſi voluntario, habet jus ad ſolutionem; Atqui quando ſequitur opinionem probabilem, eſt rite diſpoſitus: ergo tenetur tunc Confeſſarius abſolutionem impertiri.

## ARTICULUS III.

### Expedintuur reliqua ad abſolutionem ſpectantia.

*I. Num ſit valida abſolutio a peccatis, non præmiſſa abſolutione a cenſuris, quibus pænitens eſt innodatus.*
*II. In quibus differat abſolutio a peccatis ab abſolutione a cenſuris?*
*III. In quanam diſtantia poſſit pænitens abſolvi; præſertim, ſi ante abſolutionem diſcedat?*
*IV. Num poſſit abſolvi, qui a longe petit abſolutionem?*
*V. Quid, ſi confeſſario innoteſcat, moribundum in aliqua domo clauſum abſolutionem poſtulare?*

I. Quæritur primo, ſi Confeſſarius abſolvat tantum a peccatis, non præmiſſa abſolutione a cenſuris, pœnitens, qui indigebat abſolutione a cenſuris, remanetne ab illis abſolutus?

Reſpondeo, vel pœnitens culpabiliter celavit cenſuram, omittendo peccatum, cui ea ſit annexa; vel inculpabiliter. Si primum, nec a cenſura, nec a peccatis abſolvitur, ut patet; quia committit novum ſacrilegium non ſuſcipiendo Sacramentum: Quod etiam certum eſt, ſi quis omittat in confeſſione peccatum veniale, cui eſt annexa excommunicatio minor. Si vero inculpabiliter celavit cenſuram, aut quia illius eſt oblitus, aut quia propter imminentem mortem non potuit amplius loqui, tunc ſubdiſtinguendum: Nam ſi cenſura non excedat poteſtatem abſolventis, per illa verba, Abſolvo te a peccatis tuis, abſolvitur a peccatis ſimul, & a cenſuris, (ut diximus art. 1. ex Leand. quæſt. 38.) Tum quia nomine peccatorum veniunt etiam cenſuræ, quæ ſunt vincula orta a peccatis; tum etiam quia præſumitur, quod Confeſſarius abſolvens velit fungi apte munere ſuo, atque adeo velit abſolvere pœnitentem a cenſuris ſimul, & a peccatis.

Quod ſi cenſura excedat facultatem abſolventis, iterum diſtinguendum: Nam vel Confeſſarius abſolvit bona fide a peccatis; & tunc pœnitens remanet abſolutus quidem a peccatis, ſed non a cenſuris, ut communiter tenent Doctores cum Suar. contra

Vaſq. ; quia gratia ſanctificans, per quam remittuntur peccata, non eſt incompoſſibilis cum cenſuris, ut patet: Nec ratione ulla evincitur, quod ſit incapax Sacramenti, qui inculpabiliter cum cenſura ignorata ponit omnia conſtitutiva Sacramenti : Vel Confeſſarius abſolveret a peccatis mala fide, & tunc peccaret Confeſſarius; Pœnitens vero ſi bona fide abſolutionem reciperet, remaneret pariter abſolutus a peccatis, ſed non a cenſuris.

Quod diximus de cenſura, pariformiter dici debet de caſibus reſervatis : Etenim ſi pœnitens bona fide omittit caſum reſervatum, & hic non excedat facultatem abſolventis, jam ſublata eſt omnis reſervatio ; unde a quolibet Confeſſario poteſt deinde abſolvi, quando memor illius peccati ſubjicit illud clavibus: Si vero caſus reſervatus excedat facultatem abſolventis , remanet pœnitens abſolutus a peccatis, ſi bona fide Sacramentum ſuſcepit , ſed cum onere comparendi apud Superiorem pro abſolutione a reſervato , a quo tantum indirecte eſt abſolutus: Si demum mala fide Confeſſarius pœnitentem abſolveret, peccaret quidem Confeſſarius, ſed pœnitentem abſolveret , directe quidem a non reſervatis, indirecte vero a reſervatis; non ſecus ac quando pœnitens obliviſcitur caſus reſervati , vel urgente neceſſitate Communionis ſimplici Confeſſario exponit reſervata ſimul, & non reſervata.

II. Hic demum adverto, abſolutionem a cenſuris differre ab abſolutione a peccatis ; quia illa non eſt ſacramentalis, imo ſæpe extra Sacramentum datur, nec pendet ab abſolutione a peccatis , cum huic præmittatur: Præterea dari poteſt invito; ſicut enim invitus poteſt a vinculis, & compedibus ſolvi, ita & a cenſuris, quæ non ſunt peccata, ſed pœna peccati : Demum abſolutio a cenſuris poteſt dari etiam ſcripto, nutu, & quocumque ſigno externo ſufficienter ſignificativo talis abſolutionis ; loquendo tamen de abſolutione a cenſuris privata ; nam in publica ſervari debent nonnulli ritus, quos videre eſt apud Filliuc. tom. I. tract. 12. cap. 10., & alios.

III. Quæritur ſecundo ; An poſſit Confeſſarius abſolvere pœnitentem parum diſtantem, ſi dubitet , an illum abſolverit; vel ſi ante abſolutionem inadvertenter abjerit.

Reſpondet Leand. diſp. 2. qu. 30. Dian. part. 5. tract. 13. reſol. 56. cum aliis affirmative ; ſi alias nequeat ſine incommodo, vel ſcandalo pœnitens revocari ; quia ſcilicet ad abſolutionem non requiritur contactus phyſicus pœnitentis , ſed præſentia moralis illius, quæ ſatis habetur, ſi Confeſſarius illum videre, aut alio ſenſu percipere poſſit ; nec requiritur, ut diximus quæſt. I. art. 3., quod pœnitens abſolutionem audiat.

IV. Infert hinc Leand. cum aliis viris doctis a ſe conſultis, quod ſi confeſſarius a longe videat, aut audiat moribundum petentem abſolutionem, poſſit illum abſolvere.

V. Quod ſi ſciret, intra domum aliquam eſſe moribundum , qui abſolutionem poſtulet, nec tamen illum aut videret, aut audiret, abſolutionem dare non poſſet; quia non haberetur in tali caſu præſentia moralis requiſita.

QUÆ-

# QUÆSTIO VIII.

## De Miniſtro Sacramenti Pœnitentiæ.

EXplicatis partibus hujus Sacramenti, inquirendum, Quænam requirantur in Miniſtro, ut valide, & licite poſſit illud miniſtrare. Et primo agemus de Juriſdictione ordinaria, & delegata. Secundo, de Juriſdictione dubia, probabili, & in articulo mortis. Tertio, de Approbatione. Quarto, de probitate, & doctrina in Confeſſario requiſita; Ac demum de obligatione Confeſſarii in ipſo actu Confeſſionis; In ſequenti deinde quæſtione agemus de Caſibus reſervatis, ac de Juriſdictione ad illos requiſita.

### ARTICULUS I.

### De Juriſdictione ordinaria, ac delegata Confeſſarii.

*I. In articulo mortis, deficiente Sacerdote, laudabiliter confeſſio fit Laico, non tamen Sacramentalis; & dubitatur, an iſte poſſit a Cenſuris tunc abſolvere.*

*II. Juriſdictio eſſentialiter requiſita ad abſolvendum quid importat?*

*III. Per poteſtatem Ordinis Sacerdotes non fiunt judices in hoc Sacramento, ſed ſolum eligi poſſunt in Judices.*

*IV. Quibuſnam competit juriſdictio Ordinaria, quibus vero delegata?*

*V. Regularis in una diœceſi approbatus num poſſit in alia diœceſi audire confeſſiones ſubditorum Epiſcopo, a quo fuit approbatus?*

*VI. Juriſdictio in venialia num competat cuivis Sacerdoti? Et unde?*

*VII. Univerſim illicita eſt, ſed non invalida Confeſſio venialium facta ſimplici Sacerdoti. Huic tamen venialia confiteri poſſunt Religioſi Societatis Jeſu ex declaratione P. Mutii Generalis; quod tamen P. Claudius diſſuadet.*

*VIII. Quibuſnam competit eligere ſibi ſimplicem Sacerdotem in Confeſſarium?*

*IX. Qui delegatam, aut ordinariam habet juriſdictionem, poteſtne illa uti extra propriam diœceſim?*

*X. Peregrini Sacramenta Confeſſionis, & Communionis recipiunt, ubi commorantur. Sed quid ſi incidant in reſervata?*

*XI. Limitari poteſt juriſdictio ad perſonas, ad caſus, ad tempus, ad locum.*

*XII. Juriſdictio delegata non expirat per mortem, aut excommunicationem delegantis.*

*XIII. Num poſſit delegatus pro caſu occurrenti ſubdelegare?*

*XIV. Non delegatur juriſdictio per ratihabitionem de futuro, aut de præſenti, nullo externo ſigno manifeſtata.*

*XV. At probabiliter delegatur, ſi ratihabitio de præſenti manifeſtetur ſigno externo.*

*XVI. Error communis eſt in cauſa, cur ab Eccleſia juriſdictio conferatur, etiamſi deſit titulus coloratus.*

I. CErtum eſt primo, ad valorem abſolutionis requiri Ordinem Sacerdotalem, ut definitur in Trid. ſeſſ. 14. cap. 6. & can. 10. ubi habetur: *Si quis dixerit, non ſolos Sacerdotes*

*dotes eſſe miniſtros hujus Sacramenti, Anathema ſit.* Quare ſi quis non Sacerdos auderet hoc Sacramentum adminiſtrare, non ſolum fieret irregularis, & tamquam ſuſpectus de hæreſi eſſet denunciandus, verum etiam ex decreto Gregorii XIII., Clem. VIII. Urbani VIII., ſi vigeſimum annum complevit, tradi deberet Curiæ ſeculari, ut capite plecteretur; ſicut & qui auderet Miſſam ſine presbyteratu celebrare. Unde habes, quod, quando Magiſter Sententiarum, & D. Th. dicunt, confeſſionem in articulo mortis faciendam eſſe laico in abſentia Sacerdotis, non loquantur de Confeſſione Sacramentali; ſed dent conſilium talis actus humiliationis, ut moribundus a laico inſtrui melius poſſit ad petendam a Deo veniam per contritionem; Quicquid ſit, an laicus poſſit in tali caſu abſolvere a cenſuris; quod multis videtur probabile.

II. Certum eſt ſecundo, præter poteſtatem Ordinis requiri in Confeſſario ad validitatem abſolutionis poteſtatem juriſdictionis, ſeu auctoritatem in alium, tamquam in ſubditum, relate ad ea, quæ ſpectant ad actum cognoſcendi illius conſcientiam, eamque ligandi, & ſolvendi. Patet hoc, tum ex Florent., quod in literis Eugenii habet: *Miniſtrum hujus Sacramenti eſſe Sacerdotem habentem auctoritatem abſolvendi delegatam, vel ordinariam;* tum ex Trident. ſeſſ. 14. cap. 7. ubi ex eo, quod ad judicem ſpectet, ut ſententiam ferat in ſubditos, colligit ad ferendam ſententiam in foro Sacramentali ita eſſe neceſſariam juriſdictionem, ut ſine ea invalide feratur.

III. Quare certum eſt apud Theologos, per illa verba Chriſti Domini, *Quorum remiſeritis* &c., quæ in ordinatione ſingulis Sacerdotibus dicuntur, non conferri poteſtatem juriſdictionis, ſed ſolum poteſtatem Ordinis judiciariam, ſeu ordinatam ad exercendum judicium Sacramentale, quoties aderunt requiſita, inter quæ eſt juriſdictio: Et conſequenter per poteſtatem Ordinis Sacerdotes non fiunt judices, ſed fiunt eligibiles in judices relate ad eos, quos Eccleſia deſignabit in ſubditos in foro Sacramentali. Non ſecus ac Doctor in jure canonico, vel civili per lauream doctoratus accipit aliquo modo poteſtatem judiciariam, non quia fit judex, ſed quia per illam redditur aptus, qui in Judicem, vel Gubernatorem eligatur ab habente auctoritatem. Et ratio eſt manifeſta, quia ſi vi characteris Sacerdotalis daretur omnibus Sacerdotibus juriſdictio, & ſuperioritas, ſequeretur, quod juriſdictio daretur immediate a Chriſto Domino; unde non poſſet illam Eccleſia tollere, aut limitare; ſicut non poteſt Eccleſia tollere Sacerdotibus poteſtatem conſecrandi, quam habent in ordinatione a Chriſto Domino.

Ubi ſciendum, quod qui ſine juriſdictione abſolveret, non ſolum invalide abſolveret, ut docet Trident., ſed etiam incurreret in jure ſuſpenſionem ab officio, ideſt a Confeſſionibus audiendis, & a celebratione Miſſæ; quamvis ea ſuſpenſio non ſit latæ, ſed ferendæ ſententiæ, ut notat hic Tambur.

IV. Certum eſt tertio, Juriſdictionem eſſe duplicem, Ordinariam, & Delegatam. Juriſdictio ordinaria dicitur illa, quæ alicui competit ratione ſui muneris, ideſt ratione curæ animarum, quarum eſt Paſtor: Unde Papa, Epiſcopus, Abbas habens Epiſcopalem juriſdictionem, Parochus, Vicarius perpetuus Epiſcopi, Vicarius Capitularis, ſummus Pœnitentiarius, Cardinalis in Eccleſia ſui tituli, Legatus in Provincia ſuæ legationis; & inter Regulares Generalis,

&

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

& Provincialis, necnon Superiores locales, qui ſimiles ſunt Parochis, eo quod ſint immediati Paſtores, & alii ſimiles dicuntur habere juriſdictionem ordinariam relate ad eos, quorum curam habent ex proprio officio. Et hi omnes veniunt nomine Ordinarii, & nomine proprii Sacerdotis in cap. *Omnis utriuſque ſexus*: Ex quo ſequitur, Papam non habere Ordinarium, cum ſit ſupremus Paſtor; & Ordinarium Epiſcopi eſſe ſolum Papam; Parochi vero Ordinarium eſſe etiam Epiſcopum; Archiepiſcopus, dum actu viſitat diœceſim Epiſcopi ſuffraganei, habet juriſdictionem ordinariam abſolvendi ſacramentaliter illius ſubditos.

Juriſdictio vero delegata, ſeu commiſſa dicitur illa, quæ convenit alicui Sacerdoti, non ratione curæ animarum, quam habeat, ſed ex voluntate alterius habentis juriſdictionem ordinariam, qui legitime illam concedat. Dixi, legitime, nam ſi ille ſit excommunicatus, vel ſuſpenſus non toleratus, non poteſt juriſdictionem delegare, ut notat Suar. contra Paludan., & S. Antoninum. Ratio eſt, quia tunc nullam in ſe habet juriſdictionem, atque adeo non poteſt illam delegare: Unde etiam fit, quod neque poſſit ad Confeſſiones approbare, ut idem Suar. notat contra Fagund. de Præceptis Eccl. lib. 7. cap. 9. num. 49.; quia approbare eſt actus legitimus alicujus poteſtatis, ſed non poteſtatis Ordinis, tum quia non omnis Sacerdos poteſt approbare, tum etiam quia Vicarius non ſacerdos poteſt approbare, ac licentiam dare ad audiendas confeſſiones; ergo eſt actus poteſtatis juriſdictionis: Quare cum excommunicatus, & ſuſpenſus non toleratus careant juriſdictione, non poterunt approbare ad audiendas confeſſiones.

Certum eſt quarto, eos, qui habent juriſdictionem ordinariam, poſſe illam delegare, ut patet ex cap. *Cum Epiſcopus in* 6.. Et ratio eſt, quia delegatio eſt unus ex actibus juriſdictionis ordinariæ. Verum tamen eſt, quod Parochi non poſſint juriſdictionem in proprias oves delegare, niſi Sacerdotibus ab Epiſcopo approbatis, ut conſtat ex Trident. ſeſſ. 23. cap. 15. de Reformatione. Quare unus Parochus poteſt alii Parocho juriſdictionem in proprias oves delegare, quia eo ipſo ac eſt Parochus, cenſetur ab Epiſcopo approbatus: Superiores tamen Regulares poſſunt ſuam juriſdictionem cuilibet Sacerdoti delegare, quia Trident. exigit approbationem Epiſcopi ſolum in eo, qui auditurus eſt confeſſiones Secularium, etiamſi Sacerdotum, non vero in eo, qui auditurus eſt confeſſiones Regularium.

V. Utrum autem ſatis ſit approbatio ab Epiſcopo, cui eſt ſubditus Confeſſarius, an ab Epiſcopo loci, in quo auditur confeſſio, an a quocumque Epiſcopo? Diſcutit Suar. diſp. 28. ſect. 6., & nos art. 3. examinabimus. Quamvis autem Clemens X. in ſua Bulla anno 1670. declararit, Regularem in una diœceſi approbatum non poſſe audire in alia diœceſi confeſſiones, ne illorum quidem pœnitentium, qui ſubditi ſunt illi Epiſcopo, a quo fuerat approbatus talis Regularis; id tamen intelligendum eſt, ut notat Platel. num. 872., quod non poſſit ſe exponere ad audiendas confeſſiones, non vero quod non poſſit privatim in alia diœceſi confeſſionem audire alicujus ſecum iter facientis, qui ſit ſubditus illi Epiſcopo, a quo Regularis fuerat approbatus; in hoc enim caſu valde de materiali ſe habet locus, qui ſit in alia diœceſi. Cæterum Clemens non loquitur de omnibus confeſſariis, ſed tantum de Regularibus; quippe qui facile ex uno loco in alium ſe trans-

fe-

ferunt, & juriſdictionem habent immediate a Pontifice, non ab Epiſcopo, ſicut habent Sacerdotes ſæculares. His præmiſſis, ad varia quæſita circa juriſdictionem deſcendimus, præſertim de Juriſdictione circa venialia, de Juriſdictione delegata, de Juriſdictione dubia, aut probabili, ac de Juriſdictione in articulo mortis.

VI. Quæritur itaque primo; An quilibet Sacerdos habeat juriſdictionem circa venialia, aut mortalia alias rite confeſſa?

Reſpondeo, Sotum exiſtimare ad venialia abſolvenda non requiri poteſtatem juriſdictionis, ſed ſufficere poteſtatem Ordinis; Et eadem eſt ratio de mortalibus alias rite confeſſis. Paludan. vero, Canus, Capreol., & alii, quos refert, & ſequitur Vaſq., putant, juriſdictionem circa venialia conferri a Chriſto Domino in ipſa ordinatione, atque adeo unumquemque Sacerdotem habere juriſdictionem ordinariam circa venialia: Et ratio videtur eſſe, quia venialia non poſſunt ab Eccleſia reſervari, cum ſint materia voluntaria; ergo juriſdictio in illa non confertur ab Eccleſia, ſed a Chriſto Domino.

Demum Suar. diſp. 26. ſect. 5., Lug., Con., Henr., Bonac., & alii apud Dian. part. 5. tract. 14. reſol. 86. probabilius docent, Juriſdictionem circa venialia ex ipſa conſuetudine Eccleſiæ conferri a Pontifice. Et ratio eſt, quia abſolutio a venialibus eſt actus judicii, licet voluntarii; ergo requirit juriſdictionem; Atqui hæc juriſdictio non confertur a Chriſto Domino in ordinatione; quia non omnis Sacerdos eſt Paſtor; ergo confertur a Papa, qui poteſt illam pro libito auferre, & de facto aufert ab excommunicato, & ſuſpenſo non tolerato.

VII. Verum undecumque talis juriſdictio procedat, Innoc. XI. anno 1679. voluit, ut Epiſcopi non permittant venialium confeſſionem fieri ſimplici Sacerdoti non approbato ab Epiſcopo, aut Ordinario, & rigoroſam animadverſionem ab Epiſcopo tanquam Sedis Apoſtolicæ delegato exequendam minitatur in contrafacientes etiam Regulares. Hæc ſunt verba Pontificis id vetantis: *Non permittant* (vid. Epiſcopi) *ut venialium confeſſio fiat Sacerdoti non approbato, &c.* Unde illicita univerſim eſt talis confeſſio. Puto tamen cum Carden., & aliis apud Croix num. 1489., quod non ſit invalida, & quod non exponeretur periculo fruſtrationis Sacramentum; Cum enim probabile ſit, Juriſdictionem in venialia conferri Sacerdoti immediate a Chriſto Domino; & cum juriſdictione probabili valide conferatur Sacramentum Pœnitentiæ, ut dicemus quæſito nono; idcirco valide confertur Sacramentum a ſimplici Sacerdote abſolvente dumtaxat a venialibus, aut a mortalibus alias abſolutis. Cæterum relate ad Religioſos Societatis Jeſu declaravit P. Mutius Generalis, quod quilibet Sacerdos juriſdictionem habeat in venialia, ita ut poſſit ab illis abſolvere, ut habet Croix lib. 6. part. 2. num. 1553., quamvis id P. Claudius Generalis diſſuadeat.

VIII. Quæritur ſecundo; Quinam habeant juriſdictionem delegatam?

Reſpondeo, delegari juriſdictionem vel directe Confeſſariis, vel indirecte, quoties ſcilicet datur alicui facultas eligendi ſibi Confeſſarium; Primo autem directe delegatur juriſdictio ad abſolvendum ab omnibus peccatis, & cenſuris moribundum cuilibet Sacerdoti; Secundo, Mendicantibus ab Ordinario approbatis, vi propriarum Bullarum delegatur juriſdictio relate ad omnes caſus, & cenſuras Papæ reſervatas, ut communius docent, exceptis tamen caſibus Bullæ Cœnæ, & ſex illis intra Italiam extra Urbem a Clem. VIII. reſervatis. Tertio dele-

ga-

gatur indirecte juriſdictio, quando alicui vel ab homine, vel a jure, vel a conſuetudine datur facultas eligendi ſibi Confeſſarium: Etenim ab homine habere poteſt facultatem eligendi ſibi Confeſſarium quilibet fidelis a Papa, Diœceſanus ab Epiſcopo, Parochianus a ſuo Parocho, Regularis a ſuo Superiore: A jure eandem facultatem habent Epiſcopi, quatenus poſſunt Sacerdotem ſimplicem ſuum ſubditum approbare relate ad audiendas ſuas, & ſuarum ovium confeſſiones. Damnata autem eſt ab Alex. VII. theſis 16. dicens: *Qui Beneficium curatum habent, poſſunt ſibi eligere in confeſſarium Sacerdotem ſimplicem non approbatum*; in cujus expoſitione oſtendimus non poſſe Epiſcopum in aliena diœceſi eligere ſibi in Confeſſarium ſimplicem Sacerdotem non ſubditum; quicquid ſit an id potuerit ante Tridentinum. Quare a fortiori Parocho, aliiſque Prælatis exemptis hæc facultas non competit. Prælati tamen regulares, videlicet Generalis, Provincialis, & Superiores locales poſſunt eligere ſibi in Confeſſarium quemcumque Sacerdotem, niſi tamen, ut notat Suar. diſp. 27. ſect. 2., Prælatus inferior Confeſſarium habeat deſignatum a ſuo Superiore; Abbatiſſæ carent ſine dubio hac facultate, quia non veniunt nomine Prælati, cum juriſdictionem ſpiritualem non habeant. Demum ex conſuetudine, ſeu ex tacita Papæ licentia facultatem eligendi ſibi Confeſſarium habent Cardinales, Legati a latere, Imperatores, Reges, & domeſtici Papæ, ut videre eſt apud Leand., & Lug., qui etiam docent, poſſe Cardinales dare familiæ ſuæ facultatem eligendi ſibi confeſſarium, & Epiſcopos poſſe familiam ſuam eximere a Parocho.

IX. Quæritur tertio; An habens juriſdictionem delegatam, ſive etiam ordinariam poſſit illa uti cum iiſdem ſubditis extra propriam diœceſim?

Reſpondeo cum Suar. diſp. 28. ſect. 6., Sanch. lib. 3. de Matrim. diſp. 34., Dian. part. 11. tract. 4. reſol. 16., & aliis communius affirmative; dummodo formula delegationis non limitet ad talem locum, vel diœceſim, ut fieri ſolet. Et ratio eſt, quia ſola juriſdictio contentioſa, quæ requirit ſtrepitum judicialem, clauditur intra territorium; At juriſdictio Sacramentalis, utpote voluntaria, quæ reſpicit tantum forum conſcientiæ, & eſt in perſonas, non in loca, poteſt extra territorium exerceri. Bulla Clem. X. quæ incipit, *Superna*, vetat ſolum, ne Regulares approbati in diœceſi A poſſint univerſim audire in diœceſi B confeſſiones pœnitentium ejuſdem diœceſis A. (niſi forte, ut notat Platelius num. 867., Regularis in diœceſi A approbatus iter faciat cum ſubdito ejuſdem diœceſis A, eo quod in tali caſu videatur de materiali ſe habere locus: & Bulla videtur vetare, ne id fiat permanenter, & palam cum offenſione Epiſcoporum, non vero ne fiat tranſeunter; quod pariter alii autumant apud Croix lib. 6. p. 2. n. 1513.) Nec vetat hoc aliis habentibus juriſdictionem delegatam, ut jam diximus, & multo minus habentibus ordinariam. Decreta pariter Sacræ Congregationis Cardinalium tantum vetant, quod qui eſt approbatus in diœceſi A, audiat in diœceſi B confeſſiones pœnitentis, qui ſit diœceſis B, non vero pœnitentis, qui ſit ejuſdem diœceſis A. Quamvis id vetetur in Bulla Innoc. XII. relata a Felice Poteſtate pag. 422. relate ad eos, qui volunt uti privilegiis Bullæ cruciatæ.

X. Circa peregrinos communis ſententia fert, poſſe illos ex tacito Ordinariorum conſenſu confirmato a conſuetudine Sacramentum confeſſionis, necnon communionis recipere a quolibet Sacerdote habente vel ordina-

riam, vel delegatam poteſtatem in eo loco, in quo verſantur; Idque etiam de confeſſione, & communione annua paſchali intelligendum eſt, ex declaratione Eugenii IV., ut notat Cajet. V. *Abſolutio* apud Suar. diſp. 25. ſect. 2.

Addit Laym. ex Cajet., & Henr. probabilius eſſe, peregrinos, cum in aliena diœceſi juſta de cauſa confitentur, poſſe abſolvi a peccatis in propria diœceſi reſervatis: Et quidem ſi in illa diœceſi, in qua verſantur, reſervata non ſunt, poterunt ab iis abſolvi etiam per confeſſarios non habentes poteſtatem in reſervata: Si vero in ea diœceſi, in qua verſantur, ſint reſervata, ab Epiſcopo ſolummodo abſolvi poterunt, aut ab alio habente poteſtatem abſolvendi a reſervatis; quia Reus judicandus eſt juxta leges, & conſuetudines diœceſis, in qua verſatur; Eſto oppoſitam ſententiam Suar. putet probabilem diſp. 20. ſect. 1., quando ſcilicet ea peccata reſervata non ſint in propria peregrinorum diœceſi. Verum Clemens X. in Bulla laudata vetuit, ne Regulares habentes juriſdictionem delegatam in diœceſi A, ubi peccatum aliquod non eſt reſervatum, abſolvant advenam a tali peccato, quod ſit reſervatum in ſua diœceſi, ſi hujuſmodi advena accedat ad diœceſim A in fraudem reſervationis. Sed de his recurret ſermo quæſt. ſequenti artic. 3.

XI. Quæritur quarto; An juriſdictio limitari poſſit ad perſonas, aut caſus determinatos, vel ad tempus, aut locum; ita ut, verbi gratia, virorum tantum, non mulierum, horum, non illorum caſuum, ſolum de die, vel in templo confeſſiones audiantur.

Reſpondeo, ſine dubio juriſdictionem limitari poſſe ad arbitrium illam delegantis; etenim cum non ex inſtitutione Chriſti Domini, neque ex natura rei habeatur, ut hic ſit ſubditus illius, ſequitur, quod ad arbitrium delegantis juriſdictionem, poſſit hic, vel ille conſtitui ſubditus, & relate ad eos caſus, quos ſibi placuerit: Advertendum tamen, limitationem aliquando cadere ſupra ſubſtantiam juriſdictionis, ut ſi limitetur ad confeſſiones virorum, non mulierum, horum, non illorum caſuum; aliquando vero cadere circa modum utendi tali juriſdictione, verbi gratia, audiendo confeſſiones de die, in templo, &c. In primo caſu abſolutio eſſet invalida, ſi extra limites impoſitos ferretur; In ſecundo vero caſu eſſet tantum illicita, prout præceptum graviter, vel leviter obligat. Cum autem Regulares ſolum ab Epiſcopo indigeant Approbatione, (eo quod juriſdictionem habeant a Pontifice) difficultas eſt, an poſſint ab Epiſcopo approbari limitate, ſi cæteroqui cenſeantur idonei illimitate? Certe ſi detur juſta cauſa, poſſunt id licite Epiſcopi; ſecus vero ſine juſta cauſa, ut advertit Platelius n. 874. referens verba Clementis X. in ſua Conſtitutione, quæ incipit, *Superna*, ubi habet: *Illos Religioſos, qui ad confeſſiones audiendas idonei generaliter reperti ſunt, abſque limitatione temporis, cæterorumque locorum, aut generis perſonarum in diœceſi propria admittendos: Quoad cæteros vero, qui non adeo idonei reperiuntur, ſi petierint ſe admitti, arbitrio Ordinariorum relinqui, ipſos cum limitata facultate approbare, & admittere.* Ubi adverto, quod licet Epiſcopus peccaret aut non approbando idoneum, aut non approbando illum illimitate, quamvis ſit idoneus illimitate, non per hoc valide poſſit conferri abſolutio ab eo, cui ea illicite denegatur, cum deſit illi approbatio eſſentialiter ad valide abſolvendum requiſita, juxta ea quæ diximus in expoſitione theſis XIII. ab Alex. VII. proſcriptæ, & dicemus in calce quæſt. nonæ.

XII.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

XII. Quæritur quinto ; An juriſdictio delegata expiret morte delegantis?

Reſpondeo, communem eſſe ſententiam, quod non expiret, ſi res non ſit integra, ſeu ſi delegatus inceperit jam judicium; ſi vero res ſit integra, ſeu ſi judicium non ſit inchoatum, Paludan., Sylveſt., & alii docent, delegationem expirare, ſive delegans moriatur, ſive ab officio amoveatur, ſive propter excommunicationem, vel ſuſpenſionem poteſtatem amittat; eo quod delegatus cenſeatur habere eandem juriſdictionem cum delegante; Unde quando juriſdictio per mortem, vel excommunicationem, &c. amittitur in delegante, amittitur etiam in delegato. Sed probabilius negant expirare Suar. diſp. 36. ſect. 3., Pal. tom. 1. tract. 3. diſp. 4., Navar., & alii; quia delegatio juriſdictionis non eſt penſanda per regulas juſtitiæ, ſed gratiæ; eſt enim gratia, tam reſpectu eorum, circa quos exercetur, quam reſpectu ipſiuſmet exercentis; Quare perſeverat, donec revocetur ab eo, qui ſuccedit in adminiſtratione juriſdictionis. Hinc etiam eſt, quod habens ab Epiſcopo proprio facultatem ſuſcipiendi Ordines Sacros ab alieno, aut veſcendi ovis, & lacticiniis in Quadrageſima, eo mortuo, facultatem acceptam non amittat, quia univerſim Gratia non expirat morte concedentis: Et quamvis in cap. *Si gratioſe de Reſcriptis* in 6. dicatur, quod juriſdictio conceſſa ad beneplacitum expiret morte concedentis; id tamen intelligendum de juriſdictione contentioſa, non de gratioſa, ſicut eſt in caſu noſtro, ut docent Pal. Lug., Sà, Tambur. de Sacram. lib. 5. cap. 4. num. 40.

XIII. Quæritur ſexto; An delegatus poſſit ſubdelegare juriſdictionem?

Reſpondeo, Sanch. lib. 3. de Matrim. diſp. 32. num. 20. cum multis Juriſtis, & Theologis probabiliter docere, non ſolum delegatum Principis, ſed etiam delegatum ad univerſitatem cauſarum poſſe ſubdelegare in caſu particulari; Verbi gratia, quando committitur alicui genus aliquod cauſarum, ſive generaliſſimum, ſive ſubalternum, ſive reſtrictum ad aliquod tempus, vel locum; Ut ſi committantur alicui omnes cauſæ, quæ hoc anno accidunt, vel in tali Territorio, poteſt probabiliter in caſu aliquo occurrenti ſuam juriſdictionem delegatam ſubdelegare; Idque probat Sanch. tum quia delegatus ad univerſitatem cauſarum reputatur quaſi Ordinarius; tum quia plura jura id permittunt. Ex qua doctrina ſequitur, quod quando Epiſcopus concedit alicui Confeſſario facultatem abſolvendi ab omnibus reſervatis, poſſit hic in caſu occurrenti facultatem ſuam ſubdelegare; Quod expreſſe docent ex Navar., Naldo, Peyrinus, Bordonus decis. 75., necnon Homobon., & alii apud Dian. part. 2. tract. 17. reſol. 53.

XIV. Quæritur ſeptimo; An juriſdictio delegata habeatur ſufficienter per ratihabitionem de futuro, vel per voluntatem præſumptam Superioris delegantis nullo ſigno externo manifeſtatam?

Reſpondeo cum communi negative. Dicitur enim habere juriſdictionem per ratihabitionem Superioris de futuro ille, cui Superior juriſdictionem non conceſſit, ſed ſperat futurum, quod Superior ſciens illum dediſſe abſolutionem, ratum habeat, & factum approbet; Et hæc ratihabitio dici ſolet etiam juriſdictio præſumpta de futuro. Quod autem non ſufficiat, patet, quia abſolutio non eſt valida, niſi Sacerdos habeat juriſdictionem actu, quando abſolvit; cum non poſſit ſuſpendi effectus Sacramenti; ſed quando habetur juriſdictio hæc præſum-



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ſumpta de futuro, non adeſt actu juriſdictio, cum ſolum detur actu ſpes ratihabitionis, & juriſdictionis; ergo talis juriſdictio per ratihabitionem non ſufficit.

Præterea juriſdictio per voluntatem Superioris præſumptam de præſenti haberetur, quando quis judicaret prudenter, quod ſi peteretur juriſdictio a Superiore, illam concederet, vel quando de præſenti judicatur eo animo eſſe Superior, ut actu velit me abſolvere, qui tamen animus nullo externo ſigno ſit declaratus, ne implicite quidem.

Quod autem neque hujuſmodi juriſdictio præſumpta de præſenti ſufficiat, patet etiam, quia vel voluntas Superioris, quæ præſumitur concedere juriſdictionem, eſt ſolum conditionata, quatenus ſi peteretur juriſdictio, illam concederet, & ſic juriſdictio non habetur, ſed haberetur; Unde non ſatis eſt ad valorem Sacramenti; quia quod non eſt, ſed eſſet, nihil operatur: Vel voluntas Superioris probabiliter creditur adeſſe, ſed nullo externo ſigno ſufficienter manifeſtatur, & eſt prorſus inanis; quia delegatio juriſdictionis fieri debet externo ſigno ad valorem judicii. Ita communiter contra Filliuc., & alios apud Dian. part. 3. tract. 4. reſol. 68.

Neque dicas; Ad tollendam malitiam furti in eo, qui non reſtituit, ſatis eſt voluntas Domini præſumpta, quod non fiat reſtitutio, ut multi probabiliter docent; ergo etiam ad valorem judicii Sacramentalis ſatis eſt juriſdictio habita per voluntatem Superioris præſumptam.

Nam, conceſſo antecedente, nego conſequentiam. Et diſparitas eſt, quia Dominus non eſt ſimpliciter invitus, quando præſumitur velle, quod non fiat reſtitutio, quatenus, ſi id peteretur, annueret, cum ſit pius, verbi gratia, vel ſoleat debita dimittere; Atqui, quando Dominus non eſt invitus, ceſſat malitia furti in eo, qui non reſtituit; ergo per voluntatem Domini præſumptam, quod non fiat reſtitutio, tollitur malitia furti: Contrá vero, ad delegationem juriſdictionis non ſatis eſt, quod præſumatur voluntas Superioris aut conditionata, aut interna, ſed debet fieri humano, & ſenſibili modo, & ſigno externo conferri ad valorem judicii: Quis enim dixerit, eſſe legitimum Judicem illum, qui nullo externo ſigno conſtitutus ſit Judex a Principe, etſi Princeps voluntatem internam habeat conſtituendi illum Judicem? Diſpar eſt itaque ratio, cur in primo caſu ſufficiat voluntas interna Domini ſolum præſumpta, non vero in ſecundo.

XV. Quod ſi habeatur ratihabitio de præſenti, per hoc ſcilicet quod ſigno aliquo vel evidenti, vel ſaltem probabili manifeſtetur adeſſe de facto in Superiore voluntas conferendi juriſdictionem, tunc probabiliter juriſdictio iſta ſic præſumpta, & interpretativa ſufficit ad validitatem judicii: ut docent communius cum Filliuc., Buſemb., Fagund. Præc. 2. lib. 7. cap. 2. Et talis ratihabitio de præſenti haberetur, quando, verbi gratia, Sacerdos, vidente, & non contradicente Epiſcopo, audiret confeſſiones, & eidem Epiſcopo conſtaret, quod illi juriſdictionem non contulerit; aut ſi Parochus abſens alias ſignificaverit alteri Parocho gratum ſibi fore, quod ſuarum ovium confeſſiones audiat. Ratio eſt, quia talis ratihabitio fundatur in ſignis externis ſufficienter indicantibus dari actu juriſdictionem, & conſenſum Superioris implicitum.

XVI. Quæritur octavo; an error communis ſatis ſit, ut conferatur juriſdictio, etiam circumſcripto titulo colorato?

Reſpondeo, juriſdictionem conferri, non ſolum quando errori communi

muni

muni adjungitur titulus coloratus, puta ſi exiſtimetur aliquis communiter eſſe Paſtor, aut habens aliunde juriſdictionem, cum tamen non habeat, vel propter cenſuram, vel propter alium defectum; ſed etiam probabiliter ſi error communis non conjungatur cum titulo colorato, puta ſi Sacerdos non habens juriſdictionem bona, vel mala fide exponat ſe confeſſionali ad confeſſiones audiendas, communiter cenſetur confeſſarius approbatus: Ita Dian. part. 3. tract. 4. reſol. 22., & reſol. 122. ex Molleſ., & aliis. Et ratio eſt, quia tam jus Civile *lege Barbarius ff. de Officio Prætoris*, quam jus Canonicum, *Cap. Ad probandum de Sententia, & re judic.*, diſponunt valere geſta a Judice putativo, quandò communis error concurrit; idque propter bonum commune exigens talem diſpoſitionem ad vitanda multa inconvenientia; ergo etiam judex Sacerdotalis, ſi cæteroqui juriſdictione careat, quando ex errore communi putetur illam habere, propter bonum commune illam habet ab Eccleſia; dummodo tamen ſit capax illius; nam, ſi non eſſet Sacerdos, verbi gratia, certe juriſdictionem ab Eccleſia habere non poſſet in foro Sacramentali; quia humana poteſtas ſolum tollere poteſt impedimentum juris humani, non vero juris divini, aut naturalis. Debet autem hic error eſſe probabilis, non vero ſupinus, aut craſſus, ut advertit Bardi in Bullam Cruciatæ part. 2. tract. 5. cap. 1. num. 153. ex Sanch., & aliis; quia error ſupinus, & craſſus in Jure æquiparatur ſcientiæ.

## ARTICULUS II.

### De Juriſdictione dubia, probabili, & in articulo mortis.

*I. Cum juriſdictione negative dubia non licet abſolutionem impendere.*

*II. Licitum tamen eſt illam impendere cum juriſdictione probabili, ſupplente Eccleſia juriſdictionem, ſi forte deſit.*

*III. Habens juriſdictionem in mortalia pœnitentis, ſi negative dubitet, an aliquod mortale ſit reſervatum, licite ab illo abſolvit.*

*IV. Juriſdictio, quæ datur cuivis Sacerdoti pro mortis articulo, datur etiam pro periculo mortis. Et quinam dicantur in tali periculo verſari?*

*V. Probabiliter ſimplici Sacerdoti confertur juriſdictio, etiam præſente Parocho.*

*VI. Abſolutio a peccatis reſervatis in mortis ſive articulo, ſive periculo confertur ſine onere; ſecus vero abſolutio a cenſuris reſervatis; ſi tamen pœnitens ſit denunciatus; & careat impedimento perpetuo adeundi Superiorem.*

I. Quæritur primo; An liceat abſolvere cum juriſdictione dubia, vel ſaltem probabili?

Reſpondeo cum communi, extra caſum neceſſitatis dari non poſſe abſolutionem ab eo, qui negative dubitat de ſua juriſdictione; quia extra neceſſitatem nullum Sacramentum poteſt licite conferri cum dubio de ejus valore; ut ſi quis baptizaret cum aqua roſacea habens aquam naturalem; aut ſi quis abſolveret dubitans an ſit Sacerdos. Cum autem non minus ad valorem Sacramenti requiratur poteſtas juriſdictionis, quam poteſtas Ordinis, ſequitur, quod non poſſit licite



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

abſolvere, qui negative dubitat de ſua jurisdictione.

Quod ſi dubium negativum per rationem aliquam poſitivam deponatur, unde evadat dubium poſitivum, quæſtio difficilior eſt, An poſſit licite conferri abſolutio cum juriſdictione iſta poſitive dubia, ſeu probabili; præſertim poſtquam Innoc. XI. damnavit propoſitionem illam, quam explicavimus quæſt. 3. art. 6.: Etenim juriſdictio probabilis ex una parte non eſt certa, & ex alia parte pertinet ad valorem Sacramenti: Unde videtur exponi Sacramentum periculo fruſtrationis, non minus per juriſdictionem, quam per materiam, & formam Sacramentorum probabiles; atque adeo ſicut non licet conficere Sacramentum cum materia probabili, omiſſa certa, ſic videtur non licere conficere Sacramentum pœnitentiæ cum juriſdictione probabili, ſaltem quando poteſt haberi juriſdictio certa.

II. Nihilominus cenſeo, licitum eſſe abſolvere cum juriſdictione probabili, ut fuſe docui in expoſitione illius primæ theſis ab Innoc. XI. confixæ. Pro hac ſententia Gobat. tract. 7. num. 116. numerat centum triginta Doctores; Negat tamen contra Raslerum ſententiam hanc eſſe moraliter certam; cum multi graves Doctores illam reſpuant, dicentes, tunc ſolum ab Eccleſia ſuppleri defectum juriſdictionis, ſi abeſſet, quando abſolutio confertur cum juriſdictione probabili, quia non poteſt haberi certa, ſecus vero, quando confertur abſolutio cum juriſdictione probabili, omiſſa certa, quæ poteſt haberi; atque adeo ne exponatur periculo fruſtrationis Sacramentum, putant, non eſſe licitum abſolvere cum juriſdictione probabili, omiſſa certa.

Probatur tamen noſtra concluſio primo a poſteriori; tum quia non eſt probabile, centum triginta Doctores a Gobat relatos in re tanti momenti eſſe deceptos, & indiguiſſe cenſura; tum etiam quia praxis, & uſus Eccleſiæ fert, ut pænitentes abſolvantur non ſolum a peccatis, ſed etiam ab excommunicatione, quando probabiliter poſſunt abſolvi; ergo univerſim licitum eſt abſolvere cum juriſdictione probabili. Secunda pars hujus antecedentis patet; etenim, cum Doctores examinant, utrum hæc, vel illa excommunicatio poſſit abſolvi a tali Confeſſario, non examinant, an ſpeculative tantum loquendo, ſed etiam an practice poſſit abſolvi, & ſæpe cenſent, poſſe abſolvi, in quo caſu abſolutio confertur cum juriſdictione probabili, omiſſa certa, quæ poſſet haberi, ſi pœnitens remitteretur ad Superiorem, qui certam habet juriſdictionem.

Neque dicas; in tali caſu non exponi Sacramentum periculo fruſtrationis, quia abſolutio caderet ſupra reliqua peccata, a quibus poteſt Sacerdos directe abſolvere, & ſolum indirecte caderet ſupra peccatum illud, in quod probabilem tantum habet juriſdictionem: At ſi juriſdictio abſolute ſit probabilis relate ad omnia peccata, exponeretur Sacramentum periculo fruſtrationis; & ideo non licet cum juriſdictione probabili abſolvere.

Nam contra eſt, quia cum certum ſit, quemcumque Sacerdotem habere juriſdictionem in venialia, aut mortalia alias remiſsa, vel a Chriſto Domino, vel a Papa ex conſuetudine Eccleſiæ; (nam Innoc. XI. prohibuit tantum, ſed non declaravit invalidam confeſſionem venialium factam ſimplici Sacerdoti non approbato ab Epiſcopo, vel Ordinario) ſequitur, quod ſaltem quando quis confitetur tali Sacerdoti habenti juriſdictionem probabilem, addendo aliquod veniale, ſupra quod ille habet juriſdictionem

cer-

certam, non exponitur Sacramentum periculo fruſtrationis.

Probatur tamen ſecundo Concluſio a priori; quia quando juriſdictio eſt probabilis, eo ipſo eſt certa, ſupplente Eccleſia ejus defectum, ſi adeſſet; atqui quando juriſdictio eſt certa, ſine dubio licitum eſt abſolvere, nec exponitur Sacramentum periculo fruſtrationis; ergo licitum eſt abſolvere cum juriſdictione probabili. Probatur major, quia intantum non eſſet certa, inquantum graves Doctores dicunt, non ſuppleri defectum juriſdictionis ab Eccleſia, quando quis abſolvit cum juriſdictione probabili, omiſſa certa; ſed hoc quod ab his aſſeritur eſt falſum, tum quia non eſt probabile, quod Pontifex propter bonum publicum nolit ſupplere defectum juriſdictionis in tali caſu, in quo ſic conferens abſolutionem ſequitur opinionem probabiliſſimam, quam plurimi, & communiter Doctores docent; tum etiam quia, quando habetur error communis, Eccleſia ſupplet defectum juriſdictionis, ut ſupra diximus, propter bonum commune, ne tot actus ſint irriti; ergo a fortiori ſupplet talem defectum, quando Confeſſarius ſequendo opinionem probabiliſſimam abſolvit; atque adeo quando juriſdictio eſt probabilis, eſt ſaltem moraliter certa, quia moraliter certum videtur, quod Eccleſia Mater benigniſſima velit ſupplere illius defectum, ſi quis eſſet. Et ſane quamvis non pauci Doctores antiqui apud Suar., & alios aſſeruerint, in Sacramento Pœnitentiæ requiri contritionem perfectam, non per hoc deſinit eſſe moraliter certum, ſufficere Attritionem, ſpectatis verbis Tridentini, ratione, & auctoritate fere communiſſima in contrarium: Ergo pariter in caſu noſtro quamvis graves Doctores negent ab Eccleſia ſuppleri univerſim juriſdictionem, ſi forte deſit, quando quis abſolvit cum juriſdictione probabili; non deſinit tamen eſſe moraliter certum oppoſitum, ſpectatis rationibus, & communiſſima auctoritate Doctorum benigne ſentientium de Sancta Matre Eccleſia.

Probatur demum hæc aſſertio; quia ſine dubio habet juriſdictionem debitam ille, qui habet juriſdictionem implicitam per ratihabitionem de præſenti ſigno externo manifeſtatam; ſicut accidit, quando quis audit confeſſiones, vidente Prælato, a quo facile impediri poteſt, nec impeditur, ut ſupra diximus quæſito ſeptimo: Atqui qui abſolvit cum juriſdictione probabili, habet a Pontifice juriſdictionem implicitam, eo quod ſciat Pontifex confeſſarios ut plurimum abſolvere cum juriſdictione probabili juxta opinionem probabiliſſimam, quod facile poteſt prohibere, & tamen non prohibet; ergo qui habet juriſdictionem probabilem, habet a Pontifice juriſdictionem debitam; atque adeo cum juriſdictione probabili non exponitur Sacramentum periculo fruſtrationis; ſicut exponeretur cum materia, aut forma probabili.

Hinc ſequitur, ab Innoc. XI. in prima ex ejus proſcriptis theſibus non eſſe damnatam hanc ſententiam; quia debuiſſet apte illam damnare, ſi voluiſset, quod non ſolum in iis, quæ pertinent ad materiam, & formam Sacramenti, ſed etiam in iis, quæ pertinent ad juriſdictionem, ſequamur opinionem tutiorem, omiſsa probabili, ut multi viri docti cenſent cum Lumb. contra Piſan., & Riccium exponentes illam theſim.

III. Adverto demum, quod ſi quis certus ſit de juriſdictione in aliqua mortalia pœnitentis, & dubitet negative de aliis, (ut accidit, quando quis audiens confeſſionem dubitat negative, an pœnitens inciderit in aliquod mortale reſervatum) in tali caſu, quamvis

vis Armil., & Cordub. apud Buſembaum hic dub. 4. §. ultim., & Suar. negent, poſse licite abſolutionem conferri; Affirmant tamen probabilius Lug. diſp. 20. ſect. 2., Filliuc., & alii; quia peccatum, de quo dubitatur, etiamſi negative, an ſit reſervatum, eo ipſo non eſt reſervatum, ut dicemus quæſt. ſequenti, quia ſcilicet in dubio melior eſt conditio poſſidentis, & in hoc caſu eſt in poſſeſſione facultas abſolvendi; (quod non accideret, ſi quis negative dubitaret, an habeat ſimpliciter jurisdictionem, tunc enim eſſet in poſſeſſione lex prohibens abſolutionem) Et Lugo addit, quod ſi poſt abſolutionem deprehendatur, vere illud fuiſſe reſervatum, non proinde opus ſit nova abſolutione: Sicut dubius de voto reſervato Pontifici, ſi ab Epiſcopo diſpenſetur, non indiget nova diſpenſatione, etiamſi deinde deprehendatur vere votum fuiſſe Pontifici reſervatum. Et idem dicitur de Cenſura reſervata; Licet, ſi poſt abſolutionem cenſura deprehendatur fuiſſe reſervata, teneatur pœnitens pro foro externo, non tamen pro foro conſcientiæ comparere coram Superiore.

IV. Quæritur ſecundo; An juriſdictio, quæ delegatur cuilibet Sacerdoti ab Eccleſia in articulo mortis, delegetur etiam in periculo mortis?

Reſpondeo cum communi Doctorum affirmative; tum quia ex uſu Eccleſiaſtico, pro eodem ſumitur articulus, & periculum mortis, ut patet ex Cap. *Eos qui, de ſententia excommunicationis in 6.* ubi in eodem contextu ille, qui vocatus fuerat articulus, vocatur deinde periculum mortis; tum etiam quia cæteroqui qui eſſet in periculo mortis, remaneret in periculo moriendi ſine confeſſione: Eſt autem proprie articulus mortis, quando mors moraliter certa proxime imminet; Periculum vero dicitur, quando eſt probabile dubium de morte, eo quod frequenter ſoleat in tali caſu mors accidere; ut in actuali pugna, in longa navigatione, in acuta febri, in partu difficili, in itinere latronibus infeſto; vel quando quis probabiliter ſibi mortem timet ab inimicis privatis per venenum, &c. Item in peſte graſſante, in terræmotu imminente, &c.. & ex Sancio in prima die periculoſæ infirmitatis, & in damnatis ad mortem; non vero in damnatis ad triremes, ut docent communiter Doctores contra Sà; quia periculum in iis non eſt proximum, ſed remotum. Præterea ex Palao poſſunt abſolvi, perinde ac eſſent in periculo mortis, qui ſunt in perpetuo impedimento paupertatis, ægritudinis, ſervitutis, &c. Certum enim eſt, quod quando non poteſt pœnitens ſuum Superiorem adire, non obligatur per procuratorem, aut per literas ſe præſentare, nec per confeſſarium, qui ab eo petat privilegium abſolvendi; nec tenetur vocare ad ſe ſuperiorem, quia eſſet illum gravare.

V. Quæritur tertio; An etiam præſente Parocho, vel Sacerdote privilegiato, poſſit quilibet Sacerdos, etiam excommunicatus, degradatus, hæreticus, &c. abſolvere ab omnibus etiam reſervatis in articulo mortis?

Reſpondeo, communiorem ſententiam cum Suar., Vaſq., Molin., & aliis negare. Primo, quia ceſſat finis conceſſionis Trident., qui eſt ſubvenire neceſſitati fidelium: Secundo, quia Trident. dicit, *Cuſtoditum ſemper in Eccleſia fuiſſe, ne aliquis defectu hujus Sacramenti pereat, ut in illo articulo nulla eſſet reſervatio*; ergo Trident. non condit novum jus, ſed ſolum approbat conſuetudinem Eccleſiæ; Atqui in Eccleſia non fuit conſuetudo, ut præſente proprio Sacerdote, ſeu Parocho, abſolvatur moribundus a ſim-

ſimplici Sacerdote; Imo ſicut nullus infirmus audet recipere ullum aliud Sacramentum ab alieno Sacerdote, præſente proprio, ſic nec Sacramentum pœnitentiæ; ergo, &c.

Verum probabilis etiam eſt, & in praxi ſecura ſententia affirmativa, quam docent Perez, Navar., Sà, Ledeſm., & alii plurimi apud Dian. part. 1. tract. de Abſolut. hæreſ. reſolut. 5.; & part. 3. tract. 4. reſol. 161. tum quia verba Trident. loquuntur univerſaliter, & ſine ulla exceptione, poſſe ſcilicet quemlibet ab omnibus peccatis per Sacerdotes abſolvi; ergo etiam præſente proprio Sacerdote poteſt ſimplex Sacerdos abſolvere; tum etiam, quia cum finis dictæ conceſſionis ſit, *ne hac occaſione aliquis pereat*, dicendum, ad majorem favorem, & gratiam periclitantium voluiſſe Trident. concedere hanc facultatem ſine ulla conditione & limitatione: Accidere enim poſſet, vel quod moribundus moriatur, dum expectat licentiam Prælati, vel quod minori cum rubore, & majori cum facilitate confiteatur ſimplici Sacerdoti amico, quam Parocho; unde ubi lex non diſtinguit, nec limitat, nec nos limitare debemus.

Ad primam rationem in contrarium, nego ceſſare finem conceſſionis Trident., qui non eſt ſolum ſubvenire neceſſitati periclitantium quandocumque, ſed ſubvenire meliori modo, quo poſſit, atque adeo dando illis facultatem, ut libere a quovis Sacerdote abſolvantur. Ad ſecundam, nego minorem, & tranſmiſſa minore, dico, id fieri propter condecentiam, & majorem ſecuritatem, non ex obligatione: Ad id, quod additur, dico, non haberi utilitatem ſpecialem in reliquis Sacramentis per hoc, quod a Parocho, vel ab aliis ſuſcipiantur; ſicut habetur in Sacramento pœnitentiæ; Poteſt enim moribundus cum majori facilitate confiteri ſimplici Sacerdoti amico, & ideo hoc illi non denegandum.

Advertendum tamen, quod moribundus ſine ulla ſui ſpeciali utilitate non debeat ad adminiſtrandum hoc Sacramentum advocare Sacerdotem excommunicatum, aut hæreticum, &c., aut quem ſciret eſſe in peccato mortali; non quia in eo non eſſet in tali caſu juriſdictio; ſed quia moribundus ſine ulla ſui utilitate eſſet cauſa indignæ adminiſtrationis Sacramenti, quæ fieret a tali Sacerdote.

VI. Quæritur ultimo; An abſolutus in articulo mortis a peccatis, vel a cenſuris reſervatis teneatur deinde, ſi convaleſcat, Superiorem adire pro abſolutione?

Reſpondeo cum Lug., Suar., & aliis communiter contra Vaſq. apud Lug. diſp. 20. num. 207. Abſolutionem a peccatis reſervatis in articulo, vel periculo mortis conferri ſine ullo onere; Ratio eſt, quia Trident. dicit in tali articulo nullam eſſe reſervationem; & idem probabiliter dicendum in caſu legitimi impedimenti perpetui adeundi Superiorem, ut infra explicabimus: Contra vero abſolutio a cenſuris reſervatis confertur cum onere comparendi ſeu præſentandi ſe Superiori, ubi ceſſet impedimentum, ſub pœna reincidentiæ, non quidem ad abſolutionem Sacramentalem, aut a cenſuris iterum recipiendam, ſed ut pœnitens obediat mandatis Superioris, & ut conſtet de ſatisfactione partis: Et ideo poteſt ſe præſentare per Procuratorem, vel per literas (excepta excommunicatione ob percuſſionem Clerici, quæ exigit perſonalem præſentationem) Quare ſi elapſo periculo non ſe præſentet, ubi commode poteſt, relabitur in eandem excommunicationem, ut conſtat ex Cap. *Eos qui, de ſententia excommunicationis in 6.*

Ubi adverte primo, moribundum abſolvi poſſe ſolum ab iis cenſuris, quæ impediunt ſuſceptionem Sacramentorum, puta ab excommunicatione, &c., non vero a ſuſpenſione ab Ordine, vel ab Officio, aut Beneficio, ut patet ex ratione a Trident. tradita, videlicet ne hac occaſione aliquis pereat. Immo Mendo putat, excommunicatum poſſe abſolvi ab excommunicatione ſolum in ordine ad effectum ſuſcipiendi Sacramenta, non vero in ordine ad effectum ſepulturæ, in ordine ad quem poteſt adhuc poſt mortem a judice legitimo abſolvi.

Adverte ſecundo, in jure præcipi, ut ab eo, qui in caſu neceſſitatis abſolvitur, exigantur quædam juramenta: Sic ab incendiario, a percuſſore Clericorum, ab excommunicato excommunicatione Bullæ cœnæ exigitur juramentum de ſtando mandatis Eccleſiæ, ſeu ſervandi, quod ea occaſione injunctum fuerit ab Eccleſia, ſeu a Superiore abſolvente. Præterea ab eo, qui non poteſt ſtatim ſatisfacere parti læſæ, exigendum eſt (ſi debitum ſit pecuniarium) primo loco pignus; ſecundo, ſi pignus haberi non poſſit, fidejuſſio, ac demum, ſi nec fidejuſſio haberi poſſit, juramentum de ſatisfaciendo; & habita hac cautione vel pignoratitia, vel fidejuſſoria, vel juratoria, poteſt abſolvi. Verum Dian. part. 2. tract. 16. reſol. 44. cum Navar., Valero, Henr., Pelliz., Tamb., aliiſque tenet, quod quando abſolutio datur tantum in foro conſcientiæ, ſatisfit per firmum propoſitum de ſtando mandatis Eccleſiæ, & ſatisfaciendi parti læſæ, ſi non poſſit ſtatim ſatisfacere; eo quod hæc juramenta, & cautiones in jure exigantur pro foro exteriori: Quod oſtendit praxis Confeſſariorum, qui non ſolent in caſibus expreſſis hæc juramenta, aut cautiones exigere. Unde ſaltem dicendum, quod ea juramenta, etiamſi pro foro conſcientiæ exigant juramenta, vi conſuetudinis tamen non amplius obligent.

Advertendum tertio, abſolutionem ab excommunicatione reſervata, etiam canonis, *Si quis ſuadente diabolo*, tunc in articulo mortis conferendam eſſe cum onere ſe præſentandi ceſſante periculo, quando pœnitens eſt excommunicatus denunciatus, ut docet Dian. part. 3. tract. 14. reſol. 63. ex Januario, & aliis; tum quia textus ille Capitis *Eos qui*, loquitur de excommunicatis denunciatis tantum; tum etiam, quia non amplius habet locum hujuſmodi onus poſt Trident. aſſerens, in articulo mortis nullam eſſe reſervationem; Quare Trident. correxit quoad hoc jus antiquum, dum oneris ab eo impoſiti non meminit: Quando autem quis abſolvitur ab excommunicatione reſervata propter impedimentum perpetuum, non debet obligari ad comparendum; cum impedimentum perpetuum ceſſare non poſſit; ſecus vero ſi abſolvitur propter impedimentum temporale.

## ARTICULUS III.

### De Approbatione in Confeſſario requiſita.

*I. Solum ad audiendam Confeſſionem Secularium requiritur aut Approbatio ab Epiſcopo, aut Parochiale Beneficium in Confeſſario. Poteſtque Parochus juriſdictionem erga ſuas oves delegare alteri Parocho, ac Sacerdotibus ab Epiſcopo proprio alibi approbatis.*

*II. In quo differat Approbatio a Juriſdictione?*

*III. Juriſdictio dari debet ab Epiſcopo, vel Parocho, cui eſt ſubditus pœnitens; Approbatio vero datur ab Epiſcopo Confeſſarii.*

*IV. Epiſcopus poteſt aliquem ad examen*

*men*

*men non admittere, non tamen poteſt illum non approbare, ſi admiſerit, & ſit idoneus.*

V. *Regulares ab Epiſcopo approbati, ut valide abſolvant, non indigent facultate proprii Prælati.*

I. TRident. ſeſſ. 23. cap. 15. hæc habet: *Decernit Sancta Synodus, nullum, etiam Regularem, poſſe confeſſiones Sæcularium etiam Sacerdotum audire, nec ad id idoneum reputari, niſi aut parochiale beneficium habeat, aut ab Epiſcopis per examen, ſi illis videbitur eſſe neceſſarium, aut alias idoneus judicetur, & approbationem, quæ gratis detur, obtineat.*

Sequitur hinc primo, Approbationem hanc Epiſcopi requiri ad validitatem Sacramenti; non ſecus ac requiritur poteſtas Ordinis, & juriſdictionis.

Sequitur ſecundo, non requiri hujuſmodi approbationem ad audiendas confeſſiones Regularium, adeoque Regulares poſſe a quolibet ſimplici Sacerdote abſolvi de licentia ſuorum Prælatorum, qui juriſdictionem conferant. Nomine autem Regularium veniunt etiam Equites S. Joannis, S. Jacobi, Alcantaræ, Calatravæ, &c. ex Joan. Sancio, & aliis apud Dian. par. 3. tract. 20. reſol. 30., & Leand. diſp. 11. quæſt. 47.; quia omnes iſti ſunt vere religioſi. Quamvis autem nomine Regularium veniant univerſim etiam Moniales; At hæ ex decreto Gregor. XV. confiteri debent Confeſſariis approbatis ab Epiſcopo.

Ubi notandum, Clem. X. in ſua ſeptima Conſtitutione, quæ incipit, *Superna*, tribuere facultatem, ut ii Seculares, qui in Monaſteriis, ſeu Collegiis Regularium degunt, & ſunt familiares, ac continui commenſales, abſolvi poſſint a Prælatis eorundem Regularium, & a Confeſſariis eorundem Monaſteriorum; quod tamen non conceditur aliis famulis, qui Monaſterio inſerviunt. Et in eadem Conſtitutione loquendo de Monialibus decernit Pontifex, quod ad audiendas Monialium confeſſiones requiratur ſpecialis approbatio; Et quod approbatus ad audiendas confeſſiones unius Monaſterii non cenſeatur eatenus approbatus ad audiendas confeſſiones alterius Monaſterii. Imo confeſſarii extraordinarii deputati ab Epiſcopo ad Confeſſiones alicujus Monaſterii pro una vice audiendas non poſſunt vi talis approbationis iterum earumdem Monialium Confeſſiones audire. Ubi notat Platelius n. 875., quod licet Pontifex loquatur de Confeſſariis Regularibus, id a fortiori dicendum de confeſſariis ſecularibus, utpote minus privilegiatis.

Sequitur tertio, Approbatione hac non indigere eum, qui Parochiale, ſeu Curatum beneficium obtinuit; Unde poterit extra diæceſim a quolibet aliquo Parocho advocari, ut illum adjuvet ad audiendas confeſſiones; non ſecus ac Sacerdos approbatus. Nomine autem beneficii parochialis ex Suar. diſp. 39. ſect. 4. venit non ſolum Parochus, ſed etiam habens Vicariam perpetuam, & Rectoriam parochiæ; & qui habent ſuperiora beneficia, ut Epiſcopi, Archiepiſcopi, Abbates nonnulli habentes beneficia cum juriſdictione ordinaria in foro externo. Non comprehenduntur tamen Prælati regulares, quamvis pariter habeant curam animarum, inſtar Parochorum, ut communiter docent Doctores cum Suar. de Pœnit. diſp. 28. ſect. 8. contra Henr., Joannem Valerum apud Lug. diſp. 21. num. 1., & alios cum Boſſio apud Dian. part. 2. tract. 16. reſol. 44., & part. 5. tract. 12. reſol. 51., quia Trident. expreſſe voluit, Regulares ſubjacere examini Epiſcoporum, nul-

la facta diſtinctione Prælatorum; Ubi autem lex non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus. Quamvis Dian. loc. laudat. probabilem putet, & Boſſius in praxi tutam ſententiam oppoſitam: Equidem non aſtipulor: Illud eſt certum, quod ſi Parochus ſuum beneficium curatum dimiſit, approbatione Epiſcopi indigeat deinde ad confeſſiones audiendas, quia non amplius habet, ſed habuit beneficium parochiale.

Sequitur quarto ex Suar. diſp. 28. ſect. 5. Epiſcopos, & Prælatos ſeculares non poſſe eligere ſibi in Confeſſarium, niſi vel Parochum, vel approbatum ab Ordinario; Et ab Alex. VII. damnata eſt illa propoſitio dicens: *Qui beneficium curatum habent, poſſunt ſibi eligere in Confeſſarium ſimplicem Sacerdotem non approbatum ab Ordinario.*

Sequitur quinto, non poſſe Parochum delegare juriſdictionem ſuam relate ad ſuos Parochianos ſimplici Sacerdoti, ſed probabiliter poſſe illam delegare vel alteri Parocho, vel Sacerdoti alibi approbato ab Epiſcopo. Ita communius Doctores apud Lug. num. *6.* contra nonnullos; & apud Dian. part. 5. tract. 12. reſol. 47. Ratio eſt, quia hoc decretum Trident. factum fuit ad tollendum Parochorum abuſum, qui ineptis oves ſuas committebant. Advertitque Fagund. de Præcep. Eccl. lib. 3. num. 48. ex Sanch., videri ſatis eſſe etiam approbationem factam ab Epiſcopo cum aliqua limitatione; Verbi gratia, ad viros tantum, dummodo cæteroqui ſit idoneus.

Utrum autem Parochus poſſit Juriſdictionem erga ſuas oves delegare Regulari alibi approbato ab Epiſcopo? In expoſit. theſ. XVI. confixæ ab Alex. VII. dixi, non eſſe improbabile, quod poſſit, dummodo Epiſcopus non ſupponatur invitus.

II. Sequitur ultimo, Approbationem diverſam eſſe a Juriſdictione, cum poſſit aliquis habere approbationem ſine juriſdictione: Eſt enim approbatio teſtimonium, & judicium de ſufficientia, & idoneitate Sacerdotis ad audiendas confeſſiones. Quare per ſolam approbationem nulla juriſdictio, nec poteſtas confertur.

III. Quæritur nunc primo; A quonam Epiſcopo approbari debeat confeſſarius? ab Epiſcopo confeſſariine, an pœnitentis, an ab utroque, an ab Epiſcopo loci, ubi fit confeſſio, an a quocunque?

Reſpondeo cum communiori, quod ab Epiſcopo Confeſſarii. Ita Suar. diſp. 28. ſect. 6., Bonac., Fagund., Con., Lug. diſp. 27. num. 35.: Elbo alii in alia ſint opinione, & varias reſponſiones Sacræ Congregationis ſuper hoc adducant. Ratio eſt, quia approbatio eſt actus juriſdictionis, adeoque nequit exerceri, niſi in ſubditum; ergo Sacerdos approbandus eſt ab Epiſcopo, cui eſt ſubditus, vel ratione domicilii fixi, vel tranſeuntis, vel ratione originis, vel ratione beneficii, ut docent Hurt., & Fagund.

Hinc ſequitur primo, quod juriſdictio dari debeat ab Epiſcopo, vel Parocho, cui eſt ſubditus pœnitens: Contra vero approbatio dari debet ab Epiſcopo, cui eſt ſubditus confeſſarius. Regulares vero, qui juriſdictionem habent a Pontifice, & indigent approbatione Epiſcopi tamquam requiſito eſſentiali, approbari debent ab eo Epiſcopo, in cujus diœceſi verſantur, juxta decretum Urbani VIII. relatum a Lug. num. 28.

Sequitur ſecundo, ab eodem Epiſcopo, cui eſt ſubditus pœnitens, poſſe dari approbationem Confeſſario non ſubdito, dummodo ſit in diœceſi talis Epiſcopi; Verbi gratia, poteſt Epiſcopus Neapolitanus dare

ap-

approbationem Sacerdoti Nolano relate ad confeſſiones audiendas Neapoli; quia Sacerdos Nolanus, dum eſt Neapoli, cenſetur ſubditus Epiſcopi Neapolitani: Non ſecus ac pœnitens Nolanus, dum verſatur Neapoli, poteſt confiteri confeſſariis Neapolitanis, quia cenſetur ſubditus Epiſcopi Neapolitani.

IV. Quæritur ſecundo; An poſſit Epiſcopus Sacerdotem, quem judicat idoneum, non approbare?

Reſpondeo cum Con., & aliis communiter negative; eſto poſſit illum ad examen non admittere, ſaltem ſi ſit ſecularis. Ratio eſt, quia approbatio non eſt gratia, ſed actus juſtitiæ poſt felicem ſucceſſum examinis; Quare, ſi Epiſcopus illum non approbat, peccat graviter, cum ſit in re gravi actus juſtitiæ. Poteſt tamen Sacerdoti approbato juriſdictionem denegare; ſiquidem delegatio juriſdictionis eſt gratia: Quia tamen, ut diximus, Juriſdictio Regularibus confertur immediate a Pontifice, ut conſtat ex eorum Privilegiis; ideo Regularis ſtatim ac eſt ab Epiſcopo approbatus, habet juriſdictionem in diœceſi talis Epiſcopi, ita ut ſolum intra diœceſim illam poſſit confeſſiones audire, ex Bulla Clem. X. Quod ſi Epiſcopus injuſte alicui approbationem denegaret, aut illam injuſte limitaret, non eatenus hic poſſet valide confeſſiones audire; ut advertimus articulo primo, numero undecimo; & conſtat ex iis quæ diximus exponendo theſim XIII. ab Alex. VII. confixam, quæ habet: *Satisfacit præcepto annuæ confeſſionis, qui confitetur Regulari Epiſcopo præſentato, & ab eo injuſte reprobato.*

V. Quæritur tertio; An Regulares indigeant approbatione, & licentia proprii Prælati, ut poſſint Secularium Confeſſiones audire.

Reſpondeo, ea non indigere ad valide conferendum hoc Sacramentum, ut communiter docent Doctores apud Dian. part. 1. tract. 11. reſol. 15. contra alios relatos a Leand. quæſt. 75.

## ARTICULUS IV.

### De Prudentia, Probitate, & Scientia in Confeſſario requiſita.

*I. Miniſter hujus Sacramenti debet in ſtatu gratiæ illud adminiſtrare, niſi urgens neceſſitas id non permittat.*

*II. Prudentia pariter in eo requiritur propria Judicis, ac Medici Spiritualis; Ac ſcientia conſentanea.*

*III. Quænam præcipue ſcienda ſunt a Confeſſario ad licite abſolvendum?*

*IV. Quid, ſi dubitet, an præditus ſit ſcientia debita?*

*V. Qui advertit, Confeſſarium eſſe inſufficientem ad ferendum judicium Sacramentale ſuper peccatis expoſitis, debet confeſſionem apud doctiorem repetere.*

*VI. Debet Confeſſarius ſaltem ſcire dubitare, ita ut poſſit in rebus difficilioribus Auctores, vel doctos conſulere.*

I. AD licite adminiſtrandum hoc Sacramentum, in Miniſtro requiri Probitatem, Prudentiam, & Scientiam, indubitatum eſt. Circa Probitatem ſatis eſt, ut ſit in ſtatu gratiæ, quando illud adminiſtrat; Unde conſcius peccati mortalis, necnon dubius de illo debet vel contritionem, vel attritionem cum confeſſione præmittere, antequam abſolvat; Niſi tamen urgeat neceſſitas abſolvendi moribundum, quæ non det locum contritioni.

II. Circa Prudentiam, requiritur, ut poſſit boni Judicis, & Medici ſpiritualis munere fungi; cum utrumque

que munus illi incumbat. Circa Scientiam requiritur, ad validitatem ſententiæ ferendæ, ut ſciat peccatum, de quo ferenda eſt ſententia, ſub ratione peccati, & modum, quo poſſit juxta Chriſti inſtitutionem in hoc Sacramento remitti; unde fit, ut ſcire debeat formam abſolutionis, intentionem debitam, & qualitatem diſpoſitionis requiſitæ in pœnitente, ut poſſit illum abſolvere.

III. Quæritur autem primo; quænam Scientia requiratur, non ſolum ad validam, ſed etiam ad licitam hujus Sacramenti adminiſtrationem?

Reſpondeo cum communi apud Suar., Lug., & alios, requiri eam doctrinam, quæ ſatis ſit ad ferendum prudens judicium in hoc Sacramento, ſeu ne feratur ſententia, incognita cauſa; & ideo confeſſarius ſcire debet primo, quæ ſint peccata mortalia, quæ venialia; Secundo, quænam ſint reſervata, & quænam habeant cenſuram annexam; Tertio, quæ circumſtantiæ mutent ſpeciem in peccatis, quæ paſſim occurrunt; Quarto, quando pœnitens obligetur ad reſtitutionem; Quinto, requiſita in pœnitente, ut poſſit abſolvi; Sexto, remedia peccatis opportuna.

Notant tamen communiter Doctores apud Perez; Primo, ſatis eſſe, ut confeſſarius intelligat ea, quæ frequentius accidunt, & de aliis ſciat dubitare, ut poſſit in caſu occurrenti vel alios, vel libros conſulere; Secundo, non eandem ſcientiam requiri in omnibus confeſſariis; Nam minor ſcientia ſufficit ad audiendas confeſſiones puerorum, & ruſticorum, quam mercatorum, & Judicum, qui caſus habent difficiles; Ac proinde in Oppidis aliquibus permittuntur Parochi, & Confeſſarii indocti, & rudes; quia præſtat hos præficere, quam Oppidum carere illis, quibus cæteroqui careret propter exiguum ſtipendium, &c.

IV. Ex dictis ſequitur, peccare eum, qui extra caſum neceſſitatis exponit ſe ad confeſſiones audiendas ſine doctrina ſufficienti. Quod ſi de ea dubitet, poteſt deponere dubium, remittendo ſe judicio Superioris, ut notat Vaſq., Lug. ex Navar., Et eos, qui ab Ordinario examinantur non leviter, & ab examinatoribus citra paſſionem approbantur, poſſe dubium omne, ac timorem deponere, & ſe confeſſionibus audiendis exponere.

Sequitur etiam, peccare graviter eum, qui aut tolerat, cum non debeat, aut approbat ad confeſſiones audiendas Sacerdotes indoctos, & inſufficientes; niſi quando pœnitens ejus doctrinæ ſit, qui poſſit inſcitiam confeſſarii ſupplere.

V. Sequitur demum, quod ſicut qui advertit, confeſſarium non percipere peccati ſui gravitatem, debet illum monere, & ſpecificare peccatum ſuum; ita qui advertit, confeſſarium non eſſe aptum ad judicium Sacramentale ferendum ſuper peccatis, quæ confitetur, tenetur confeſſionem repetere apud doctiorem.

VI. Quæritur ſecundo; An neceſſaria ſit in confeſſario tanta ſcientia, ut poſſit ſtatim diſcernere mortalia a venialibus, & dubia, quæ proponi poſſunt, reſolvere?

Reſpondeo cum communi apud Suarez diſp. 28. ſect. 2. negative; Etenim rariſſimi ſunt, qui præſtare id poſſint; Quare ſatis eſt in rebus difficilioribus ſcire, dubitare, & poſſe dubia reſolvere, conſulendo aut libros, aut alios, aut pœnitentem ipſum.

## ARTICULUS V.

### De Obligationibus Confeſſarii in ipſa Sacramenti adminiſtratione.

*I. Quomodo Confeſſarius interrogare ſæpe debeat Pœnitentem?*

*II.*

*II. Quid faciat confeſſarius, ſi advertat, peccatum aliquod a pœnitente in confeſſione omitti ſive invincibiliter, ſive ex erubeſcentia?*

*III. De quibus debeat Confeſſarius Pœnitentem inſtruere?*

*IV. Quandonam teneatur ignorantiam Pœnitentis Confeſſarius amovere?*

*V. Quid ſi Confeſſarius dubitet, an ſit profutura Pœnitenti notitia veritatis?*

*VI. Num poſſit aliquando Confeſſarius ad peccatum materiale pœnitentem obligare, puta, ad reddendum debitum conjugi putatæ?*

*VII. Quandonam Confeſſarius monere debet pœnitentem, ut Sanctæ Inquiſitioni denunciet Confeſſarium, a quo ſollicitata fuit?*

*VIII. Quænam excuſent a denunciatione facienda?*

*IX. Num teneatur Confeſſarius aliquando onera pœnitentis ſubire?*

*X. Quid faciat Confeſſarius, ſi erravit in abſolvendo ſive circa valorem Sacramenti, ſive circa damnum tertii, ſive circa materialem integritatem Confeſſionis?*

*XI. Quandonam obligatur Confeſſarius audire Confeſſiones Pœnitentium?*

Ex eo, quod Confeſſarius Judex ſit, & Medicus, ſequitur, debere pœnitentem interrogare, docere, corrigere, & diſponere ad abſolutionem, ac illum audire; Et ſi quando Confeſſarius erravit, corrigere debet errorem ſuum.

I. Quæritur itaque primo; An, & quomodo teneatur confeſſarius pœnitentem interrogare.

Reſpondeo cum communi apud Suarez diſp. 32. ſect. 3., quod ſi prudenter judicet confeſſarius, pœnitentem eſſe integre confeſſum, non teneatur illum interrogare; ſi tamen judicet aliquam circumſtantiam omittere, nec ſatis explicare, vel ex ignorantia, vel ex culpabili oblivione, vel ex verecundia, tenetur ſuis interrogationibus defectum integritatis ſupplere, & pœnitentem juvare tum circa ea, quæ dicit, tum circa ea, quæ tacet; Ratio eſt, tum quia hoc exigit munus Medici, & Judicis; Tum etiam, quia in cap. *Omnis utriuſque ſexus* hæc habentur: *Sit Sacerdos diſcretus, & cautus more periti Medici, diligenter inquirens peccatorum circumſtantias.*

Hic autem adverte, quod quando confeſſarius prudenter judicat, pœnitentem in examinanda ſua conſcientia diligentiam ſufficientem, & moralem adhibuiſſe, non tenetur illum amplius interrogare; quia ad integritatem confeſſionis primo loco tenetur pœnitens, & deinde in ejus defectum confeſſarius; Unde, ſi pœnitens ſuæ obligationi in examinanda ſua conſcientia ſatisfecit, ad nihil amplius tenetur confeſſarius. Præterea confeſſarius in interrogationibus accommodare ſe debet capacitati pœnitentis, nec interrogationes inſtituere, quæ odioſum; & grave reddant hoc Sacramentum; Et ideo inter illas cauſas excuſantes ab integritate materiali confeſſionis, ea eſt in caſu noſtro, ne nimiis interrogationibus confeſſarii ſupra lapſum pœnitentis odioſa, & gravis reddatur confeſſio, & ne nimiis interrogationibus, præſertim in materia luxuriæ, mens pœnitentis, & confeſſarii turbetur.

II. Quod ſi ſciat confeſſarius, peccatum aliud ex oblivione inculpabili a pœnitente omitti; quamvis aliqui putent, non debere illum de tali peccato interrogare, quia confeſſio eſt formaliter integra: At communis Doctorum ſententia docet, quod debeat interrogare, quia confeſſarius, utpote Judex, debet facere, quantum in ſe eſt, ut confeſſio ſit non ſolum formaliter, ſed etiam materialiter integra, quod conſtat ex verbis cap. laudati. Si tamen pœnitens interrogatus de aliquo

pec-

peccato neget ſe illud feciſſe; regulariter loquendo credendum eſt illi, quod ſcilicet vel non fecerit, vel ſi fecit, jam illud ſit alias confeſſus, vel ex errore invincibili putet ſe non teneri ad illud hic, & nunc confitendum. Quod ſi prudenter judicet confeſſarius pœnitentem negare ex erubeſcentia, quam ſuperare nolit, atque adeo ex malitia, docet Suar. diſp. 32. ſect. 3., & Lug. diſp. 22. ſect. 2., abſolvendum non eſſe, cum ſit indiſpoſitus.

Neque dicas, in judicio debere judicem judicare ſecundum allegata, & approbata, non vero juxta privatam ſcientiam; Et in judicio Sacramentali credendum eſſe pœnitenti, ſive pro ſe, ſive contra ſe loquatur. Nam hoc eſt verum, quando aliunde non conſtat confeſſario, pœnitentem eſſe indiſpoſitum, ut alibi oſtendimus ex propoſitione 60. damnata ab Innoc. XI.

III. Quæritur ſecundo; An teneatur confeſſarius pœnitentem inſtruere, & de quibus?

Reſpondeo, debere confeſſarium, quando dubitat prudenter, an pœnitens ſciat, quæ neceſſario ſcire debet ad Sacramentum hoc recipiendum, præſertim ſi puer, vel ruſticus ſit, illum inſtruere ante abſolutionem: Scire autem ille debet, non ſolum dari Deum remuneratorem; ſed etiam myſteria Incarnationis, & Trinitatis, ita ut iis culpabiliter ignoratis, incapax ſit Sacramenti, ut conſtat ex 64. theſi confixa ab Innoc. XI. Scire etiam debet, quæ efficere debeat ad recipiendum cum fructu hoc Sacramentum, ſcilicet præmittere confeſſioni examen, dolere ex motivo ſupernaturali, cum propoſito non peccandi, &c.: Debet etiam craſſo ſaltem modo Symbolum ſcire, & Orationem Dominicam, necnon præcepta Decalogi, & Eccleſiæ, non quidem memoriter, ſed ita ut poſſit interrogationibus circa illa apte reſpondere. Quod ſi hæc neſciat, putat Barboſa cum aliis, abſolvi non poſſe; ſed probabilius abſolvi poteſt, dummodo de culpabili negligentia doleat, & proponat ea ſtatim addiſcere ſaltem a Parochis, qui proprias oves, ſicut parentes filios, inſtruere tenentur, ſive per ſe, ſive per alios.

IV. Quæritur tertio; An teneatur confeſſarius ignorantiam pœnitentis amovere, ſive ea ſit facti, ſive juris, circa aliquod peccatum?

Reſpondeo, ex Lug. diſp. 22. ſect. 2., Sanch., Suar., Tambur. lib. 3. cap. 4. §. 1., & aliis, quod ſi ignorantia ſit graviter culpabilis, teneatur confeſſarius illam amovere; quia aliter pœnitens eſt indiſpoſitus. Quod ſi ſit inculpabilis, regula generalis eſt, quod ſit conſulendum bono pœnitentis; Quare ſi ſperatur, quod pœnitens advertens, verbi gratia, matrimonium eſſe invalidum, aut contractum, quem putat juſtum, eſſe injuſtum, &c., ſublaturus ſit ea peccata materialia, tenetur confeſſarius ignorantiam detegere propter bonum pœnitentis, ne ſic contra legem Dei peccet etiam materialiter: Quod ſi non ſperetur profectus, ſed potius timeatur, quod peccatum materiale deinceps ſit futurum peccatum formale; Verbi gratia, ſi ſciens matrimonium eſſe invalidum, non facile tunc abſtineret a cognoſcenda illa, quam conjugem putabat, in tali caſu ignorantia non eſt amovenda, juxta illud Auguſt. in Cap. *Si quis autem*, *de Pœnitentia* diſt. 7. cap. 5. *Si ſcirem non tibi prodeſſe, non te admonerem, nec te terrerem.* Idemque docet Tambur. ex Pelliz., quando quis bona fide eſt in occaſione proxima, nec ſperatur emendatio; vel quando quis bona fide non reſtituit alienum; Etenim revelatio veritatis noceret pœnitenti, ſi deinde cum culpa formali re-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

remaneret in occaſione proxima, aut retineret alienum; Nec hoc prodeſſet ei, cui alienum reſtituendum eſt, quia ſupponimus non dari ſpem, quod reſtituatur, ſi bona fides illi tollatur.

Quod ſi confeſſarius a pœnitente de iis interrogetur ad ſedandos conſcientiæ ſcrupulos, procul dubio tenetur confeſſarius veritatem aperire, ne ſuo ſilentio errorem approbet. Advertendum tamen, quod veritatem aperire debet ſolum quantum ſatis eſt ad interrogationem, quando, ſi ulterius procedatur, non ſperatur profectus pœnitentis: Verbi gratia, ſi Petrus roget, an matrimonium contractum poſt votum ſimplex caſtitatis ſit validum, & an poſſit, ac teneatur reddere debitum; reſpondere debet, quod ſit validum, & quod teneatur reddere, tacendo tamen obligationem non petendi debitum, ſi non ſperatur fore, ut ille a petendo abſtineat.

V. Quod ſi confeſſarius dubitet, an admonitio ſit profutura, tunc comparet utilitatem, quæ ſperatur, cum damno, quod timetur, & juxta illud, quod videtur præponderare, proſequatur. Ita Filliuc. tract. 28. num. 135. Lug. a num. 21.

VI. Rogabis hic: Si Berta, quæ contraxit matrimonium invalide, putet invincibiliter verum eſſe ſuum matrimonium, & accuſet ſe in confeſſione, quod debitum negarit Titio putato conjugi; debetne confeſſarius dicere, quod debitum reddat?

Reſpondeo cum Sanch., Lug., & aliis communiter, quod ſi confeſſarius aperiendo invaliditatem matrimonii non ſperet moraliter profectum pœnitentis, ſed potius timeat ejus ruinam, dicere poſſit, quod teneatur reddere debitum; quia vere tenetur reddere, quouſque putat Titium eſſe ſuum conjugem; Unde iſta materialis fornicatio eſſet formaliter actus conjugalis.

Advertendum tamen, non facile judicandum pœnitentem non eſſe ſatisfacturum ſuæ obligationi poſt notitiam veritatis, nec profuturam eſſe confeſſarii admonitionem: Quare univerſim tenetur confeſſarius monere pœnitentem, primo de obligatione, quam habet, reſtituendi famam, aut rem alienam; ſecundo de obligatione corrigendi fraterne proximum; tertio, tollendi occaſiones proximas; quarto, adeundi Superiorem pro reſervatis; quinto, denunciandi eos, quos debet, Sanctæ Inquiſitioni, vel alteri Tribunali: Ex conſtitutione enim Gregorii XV. tenentur confeſſarii monere pœnitentes, quos noverint ab aliis ſolicitatos eſſe in actu Sacramentalis confeſſionis, de obligatione eos denunciandi Inquiſitoribus, vel locorum Ordinariis; ſicut etiam ſuſpectos de hæreſi tenetur quilibet denunciare.

VII. Quæritur quarto; Quam obligationem habeant confeſſarii monendi pœnitentes, ut Sanctæ Inquiſitioni denuncient confeſſarium ſolicitantem, & ſub quibus pœnis?

Reſpondeo, Gregorium XV. poſt Pium IV., & Paulum V. ſtatuiſſe per hæc verba: *Quod Sacerdotes ad inhoneſta, ſive inter ſe, ſive cum aliis quomodolibet perpetranda in actu Sacramentalis confeſſionis, ſive ante, vel poſt immediate, ſeu occaſione, vel prætextu confeſſionis hujuſmodi, etiam ipſa confeſſione non ſequuta, ſive extra occaſionem confeſſionis in confeſſionario, aut in loco quocumque, ubi confeſſiones Sacramentales audiantur, ſeu ad confeſſionem audiendam electo, ſimulantes ibidem confeſſiones audire, ſolicitare, vel procurare tentaverint, aut cum iis illicitos, & inhoneſtos ſermones, ſeu tractatus habuerint, in officio Sanctæ Inquiſitionis deferantur.* Deinde adduntur graviſſimæ pœnæ confeſſariis ſolicitantibus infligendæ, ac intimatur confeſſariis præceptum monendi pœnitentes de hac obliga-



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ligatione denunciandi, & præcipitur illis, ut non abſolvant pœnitentem, antequam denunciet; Quod tamen intelligendum, dummodo poſſit pœnitens intra breve tempus denunciare. In Edicto pariter pœnitentibus præcipitur, ut ante ſex dies poſt ſolicitationem denuncient; Hic tamen non eſt terminus obligationis, ſed executionis, ut patet.

Adverte hic primo, Pontificem loqui ſolum de ſolicitatione ad turpia, non vero ad quodcumque aliud crimen.

Secundo, ſi confeſſarius tradat pœnitenti chartam ſolicitationis domi legendam etiam eſt denunciandus, ut definivit Alex. VII. proſcribendo ſextam Theſim, quicquid prius in contrarium dixerint Pal., & Hurt.

Tertio, non eſſe ex vi hujus Bullæ denunciandum laicum fingentem ſe confeſſarium, & ſollicitantem; quia Bulla loquitur de Sacerdotibus; ut notat Dian. part. 1. tract. 4. reſol. 16.: Immo neque Sacerdotem non habentem juriſdictionem, ut notat Leand. ex Hurt.; quia Bulla loquitur de Sacerdotibus confeſſariis: Neque eſt denunciandus interpres confeſſionis, nec mandans confeſſario, ut ſolicitet pœnitentem. Verum, ut notat Hurt., quamvis iſti non ſint denunciandi ex vi hujus Bullæ, ſunt tamen denunciandi ex vi Edicti Inquiſitionis, tamquam ſuſpecti de fide, cum abutantur Sacramentis.

Quarto, neque eſſe denunciandum confeſſarium, qui dixit fœminæ, ut ſe tali hora ad confeſſionem audiendam domi vocaret, & deinde domi citra ullam ſimulationem confeſſionis inhoneſtos ſermones haberet. Ita communiter contra Fagund., & Sancium; quia prætextus confeſſionis, de quo loquitur Bulla, debet eſſe proximus, non remotus a loco, & ſtatu confeſſionis. Utrum autem denunciandus ſit, qui ſedens in confeſſionario, & loquens cum fœmina ſtante, aut ſedente juxta illud, illam ſolicitet? Negat Leand. quæſt. 30. cum Fagund. Palao, Souſa, Lezana, Freitas, & aliis apud Dian. part. 4. tract. 5. reſol. 38., quia Bulla requirit ſimulationem confeſſionis, quæ tunc habetur, quando pœnitens flexis genibus, vel aliter apparet aliis, quod confiteatur: At dicendum verius cum Peyrino, & Diana loco laudato eſſe denunciandum, ex quodam decreto S. Congregationis 1614., in quo ad hunc denunciandum non requirit, quod ſimuletur confeſſio, prout videtur requiri a Bulla Greg. XV.

Ubi notandum, quod ſi fœmina non facile poſſit Inquiſitorem adire ad denunciandum, confeſſarius monere illam poteſt, ut ſuo Parocho extra confeſſionem referat obligationem, quam habet, denunciandi ſolicitantem, ut ipſe videat, quomodo denunciatio fieri poſſit. Dixi, extra confeſſionem, quia nullatenus tenetur in denunciatione aperire ullum peccatum proprium, ſed ſolum peccatum ſollicitantis.

VIII. Quinto, Pœnitentem excuſari a denunciando Confeſſario ſolicitante, primo juxta nonnullos, ſi ipſe prius ſolicitaverit, & Confeſſarius conſenſerit, ut docet Leand. cum aliis: Sed oppoſita ſententia tenenda eſt, quia confeſſarius vere deliquit: Secundo, ſi Confeſſarius ſit jam emendatus, niſi aliter præcipiatur. Ita probabiliter Leand., Pal., & alii; quia finis denunciationis eſt emendatio; Cenſetur autem Confeſſarius ſolicitans jam emendatus, ſi per triennium bene vixerit, juxta Sancium, Riccium, & alios plures, vel ſi ad Sacramentum pœnitentiæ acceſſit poſt ſolicitationem, juxta Filliuc.; vel ſi conſecutus ſit jubilæum, juxta Genuenſ.; vel juxta Dian., ſi mulier ſolicitata ter, vel

vel quater ad eundem rediens, nullum in eo libidinoſum animum, nec ſigna turpia reperit: Hæc tamen non videntur ſufficere, niſi ex aliis etiam adjunctis conſtet de emendatione. Tertio, ſi Confeſſarius ſit mortuus. Quarto, ſi Confeſſarius ab aliis accuſatus, & convictus jam abjuravit. Quinto, ſi habeat pœnitens impotentiam phyſicam, vel moralem denunciandi; puta, ſi denunciando timeat prudenter aliquod grave damnum vitæ, vel famæ, vel bonorum ſibi, vel ſuis conſanguineis uſque ad quartum gradum. Sexto, quando datur materiæ parvitas, puta, ſi Confeſſarius tantum laudavit fœminæ pulchritudinem, aut alio levi verbo, ſeu ſigno, ſeu facto indicavit amorem laſcivum. Ita Pal., Portel., Hurt. Et ratio eſt, quia cum pœna ſolicitantium ſit gravis, culpa etiam in hoc genere debet eſſe gravis: In dubio tamen de materiæ hujus parvitate, debet attendi ad qualitatem fœminæ, nam quod non eſt judicium ſolicitationis reſpectu fœminæ nobilis, eſſet tale reſpectu mulierculæ, quæ facilius acquieſcit; ut ſi donaret illi aliquid pretioſum, &c.

Ultimo advertendum, quod a denunciatione facienda non excuſet, vel prætextus correctionis fraternæ præmittendæ, ut declaravit Alex. VII. in conſtitutione incipiente, *Licet*: vel conſenſus præſtitus ſolicitationi ab ipſa pœnitente, ut ſupra diximus contra Leand., quia ſcilicet ipſa per hoc, quod ſolicitet, non dicitur complex criminis Confeſſarii, nec exponitur periculo infamationis, eo quod tali Confeſſario a pœnitente ipſa accuſato nulla fides in hoc habeatur: Vel quod a Confeſſario pœnitens multa beneficia receperit, unde videatur eſſe ingrata, ſi illum accuſet, ut putat Joannes Sancius; Nam Sacra Congregatio voluit hoc deleri ab operibus Sancii. Demum confixa eſt ab Alex. VII. theſis illa ſeptima dicens: *Modus evadendi obligationem denunciandæ ſolicitationis eſt, ſi ſolicitatus confiteatur cum ſolicitante; hic poteſt ipſum abſolvere abſque onere denunciandi*: Et ratio eſt, quia onus denunciandi non imponitur a Confeſſario, ſed a Pontifice. Quare Confeſſarius ſolum tenetur de hac obligatione pœnitentem ſolicitatum monere, (quamvis non teneatur illum monere adverſum, ſe ſi ipſe ſolicitaverit) Quapropter ſi non moneat, metuens ſibi grave damnum ex denunciatione, non proinde eximitur pœnitens ab onere denunciandi, ut patet.

IX. Quæritur quinto; An teneatur Confeſſarius ſubire aliquando onus pœnitentis, ſive denunciandi aliquem, ſive reſtituendi, ſive corrigendi proximum, ſive adeundi Superiorem pro abſolutione a reſervatis?

Reſpondeo, univerſim non teneri, ut docet Suar. diſp. 34. ſect. 4., Tambur. cap. 9. §. 4., Sanch., & alii; Imo nec expedire, niſi quando obligat ipſa charitas, ut fiat id, ad quod tenetur pœnitens, qui non poſſit id per alium præſtare, quam per ipſum Confeſſarium, a quo ſine magno incommodo præſtari poſſit; ut ſi debeat proximus corrigi, vel malum imminens Reipublicæ revelari: Quare ſi pœnitens non poſſit reſtituere famam, aut alienum æs, nec per ſe, nec per alium, qui velit tale onus ſubire, excuſatur a reſtitutione hic, & nunc facienda; Nec tenetur Confeſſarius hoc onus acceptare, niſi reſtitutio fieri debeat graviter indigenti, ut idem Tambur. docet, ex Sanch., Suar., Palao. Nec tenetur Confeſſarius denunciare aliquem loco pœnitentis, qui ſine gravi incommodo id præſtare non poteſt; niſi quando, ut diximus, bonum publicum periclitetur. Nec demum tenetur adire Superiorem pro



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

abſolutione a reſervatis. Et ratio eſt, quia in gravi periculo mortis, & in impedimento perpetuo pœnitentis caſus non eſt reſervatus; Quando vero impedimentum eſt temporale, ut ſi urgeat neceſſitas communionis, aut ponendi ſe in ſtatu gratiæ, nec poſſit pœnitens hic, & nunc Superiorem adire, poteſt abſolvi a reſervatis indirecte, quin teneatur pœnitens Superiorem adire per procuratorem, aut per literas, aut per ipſum Confeſſarium; poterit tamen hic aliquando ex charitate id facere, ut conſulat bono pœnitentis, quem videt ægre ferre onus, quod habet.

X. Quæritur ſexto; Quid facere debeat Confeſſarius, ſi in abſolvendo erravit?

Reſpondeo, ex Lug. diſp. 22. ſect. 3., tripliciter poſſe errorem contingere; Primo circa valorem Sacramenti; ut ſi abſolvit ſine juriſdictione, ſine intentione, aut ſine diſpoſitione pœnitentis; Secundo circa ea, quæ ſunt in damnum tertii; ut deobligando aliquem a reſtitutione, vel obligando eum, qui non tenetur reſtituere; Tertio, circa ea, quæ neque pertinent ad valorem Sacramenti, neque ſunt in damnum tertii; ut ſi omiſit interrogare ſpeciem, aut numerum peccati, aut reliquit pœnitentem in occaſione proxima, &c. Rurſus hujuſmodi errores dupliciter committi poſſunt a Confeſſario, vel bona fide, ſeu ſine culpa ſaltem gravi, vel mala fide, ſeu ſcienter, & cum gravi culpa. His præſuppoſitis

Dico primo; errores primi generis tenetur Confeſſarius corrigere, etiam cum gravi incommodo, & rubore, admonendo de eo pœnitentem ignarum, ſic expoſcente damno tertii a ſe illato; ſi tamen mala fide talem errorem commiſit. Quod ſi bona fide, tunc vel pœnitens eſt in gravi periculo, ne amplius confiteatur, vel non; Si primum, tenetur Confeſſarius cum incommodo, & rubore errorem corrigere, ne pœnitens ſine Sacramento decedat; ſi ſecundum, ad nihil tenebitur, quia pœnitens in altera confeſſione abſolvetur indirecte ab iis peccatis non legitime abſolutis: Quare propter incommodum, & ruborem, quem ſubiret Confeſſarius, excuſatur ab obligatione admonendi pœnitentem, ut ſatisfaciat legi Dei de ſubdendis omnibus peccatis directe clavibus; ſi tamen error fuit circa abſolutionem a cenſuris, hæc conferri poteſt abſenti.

Ubi adverte, quod petenda prius ſit venia a pœnitente, antequam cum illo Confeſſarius loquatur de tali errore; quam ſi neget, non tenebitur Confeſſarius illum monere, quia frangeret ſigillum, ut docet cum communi Dian. part. 5. tract. 11. reſol. 18. contra Suar. diſp. 33. ſect. 5., & Filliuc.: Quod ſi pœnitens redeat ad confeſſionem, tunc libere poteſt Confeſſarius cum illo loqui de priori defectu, etiamſi bona fide commiſſo; quia perficit, quæ jam inchoata remanſerant in alia confeſſione; Immo ex Lug. loc. citat. num. 77. debet; quia non adeſt rubor, nec incommodum, quod excuſet Confeſſarium a procuranda integritate illius confeſſionis.

Dico ſecundo; Errores cum damno tertii, ſi mala fide Confeſſarius commiſit, (vel poſitive deobligando a reſtitutione eum, qui tenetur reſtituere, vel poſitive obligando ad reſtitutionem, qui non tenetur) debet emendare, monendo pœnitentem, etiam cum gravi incommodo; Et in defectum pœnitentis, qui vel non poſſit moneri, vel non poſſit amplius reſtituere, tenetur Confeſſarius reſarcire de proprio; quia actione ſua injuſta fuit cauſa talis damni. Si vero tantum mala fide omiſit obligare ad reſti-

reſtitutionem, quem debebat obligare, peccavit tantum contra charitatem; unde non tenetur reſtituere de proprio in defectum pœnitentis; quia Confeſſarius ex proprio munere non tenetur procurare bonum temporale aliorum, ſed bonum ſpirituale pœnitentis.

Quod ſi hujuſmodi errores bona fide commiſit, Lug. putat, ex charitate teneri ad monendum pœnitentem cum aliquo incommodo, quamvis non cum tanto, quanto ſi mala fide proceſſiſſet. Alii addunt teneri aliquo modo etiam ex juſtitia, ita ut ſi non faciat, teneatur ad reſtitutionem; ſicuti ſi quis inculpabiliter incendit domum Petri, tenetur ex juſtitia ignem extinguere, ſi poſſit ſine magno incommodo, quamvis alius, qui non incendit, teneatur ſolum ex charitate.

Dico tertio; Errores tertii generis, ſi bona fide committantur (verbi gratia, non obligando pœnitentem exprimere numerum peccatorum) Confeſſarius non tenetur corrigere, ſed Deo commendet; quia judicium eſt finitum, & tantum materialiter pœnitens non obſervat legem de integritate Confeſſionis; non tenetur autem Confeſſarius cum gravi incommodo procurare, ne pœnitens materialiter tranſgrediatur legem Dei: ſicuti ſi videam aliquem die feſto laborantem, eo quod putet, diem illum eſſe feriatum, non teneor illum monere cum gravi incommodo: Cenſetur autem grave incommodum Confeſſarii dicere cum rubore pœnitenti, ſe erraſſe, dum non monuit illum de ſua obligatione manifeſtandi numerum peccatorum; Si vero bona fide non ſolum non obligavit, ſed poſitive deobligavit pœnitentem, Filliuc. docet, non teneri illum monere; quia id fieri non poteſt ſine gravi incommodo, & rubore; Lug. ait, raro ad id teneri; quia raro fieri poteſt ſine gravi incommodo; Quod ſi bona fide vel non obligavit, vel deobligavit pœnitentem relinquere occaſionem proximam, tenetur ex lege charitatis monere cum aliquo incommodo, ut ſcandalum vitet; ſicuti etiam ſi ex taciturnitate Confeſſarii ſequatur aliquod malum publicum; Verbi gratia, ſi Parochus invincibiliter erret circa bonos mores, putando, verbi gratia, fornicationem eſſe licitam, quod in malum publicum verteretur. Si tamen mala fide hujuſmodi errores committantur, procul dubio tenetur Confeſſarius diligentiam moralem adhibere, ut pœnitentem admoneat, ex Lug. num. 43.; quia in tali caſu cenſetur Confeſſarius eſſe cauſa moralis tranſgreſſionis divinæ legis, eſto materialis tantum ſit in pœnitente ea tranſgreſſio.

XI. Quæritur ultimo; Quinam Confeſſarii teneantur Confeſſiones audire, & quando?

Reſpondeo, aliquos teneri ex juſtitia, & ex officio, ut Parochus; alios vero ex charitate, ut alii, qui non ſunt paſtores proprii.

Dubium itaque eſt primo; quandonam Parochus teneatur ſuis ſubditis adminiſtrare Sacramentum pœnitentiæ?

Reſpondeo, Medin., & Sylveſt. V. *confeſſio*, exiſtimare, tunc ſolum ad id teneri Parochum, quando ſubditus tenetur confiteri, videlicet ſemel in anno; quia per hoc ſufficienter ſatisfacit neceſſitatibus ſubditi, atque adeo muneri ſuo. Verum communis ſententia cum Vaſq., Suar., Azor., & aliis apud Lug. diſp. 22. ſect. 1. docet, Parochum teneri frequentius audire ſubditos, ſi confiteri velint; Non enim ſatisfacit officio Paſtoris ſpiritualis, ſi ſolum in extremis neceſſitatibus provideat ovibus ſuis: Præterquamquod jus habent fideles ad Sacramentum



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

tum pœnitentiæ recipiendum juxta Chriſti Domini inſtitutionem, quæ non ſolum fuit, ut in extremis neceſſitatibus ſibi ſubveniant, ſed etiam, ut alias in peccatum lapſi Deo reconcilientur, & uſu Sacramentorum ſuum ſpiritualem profectum procurent; proinde tenentur Paſtores proprii pluries in anno illud adminiſtrare ovibus ſuis, ſi petatur.

Quoties autem in anno teneatur Parochus? non poteſt certa menſura aſſignari: attendendum enim eſt tum neceſſitati pœnitentis, qui quando poſt commiſſum mortale recurrit ad medicum, non eſt regulariter rejiciendus; tum etiam ad fructum, quem ex confeſſione percipit pœnitens; ſi enim videat Parochus, quod frequens confiteatur ſine ulla emendatione, poteſt etiam a tam frequenti confeſſione repellere; tum demum ad gravamen ipſius Parochi; præſertim ſi tantam ovium multitudinem habeat, ut teneatur alias deſerere, uni liberalius ſerviturus; Unde ſi in tali caſu aliquando ſubditum repellat, non propterea damnandus erit peccati mortalis; Nec ſi ſemel, aut iterum neget, aut differat audire confeſſionem ob levitatem materiæ; quicquid in contrarium ſentiat Bonac.; dummodo dilatio non ſit nimia, neque gravis alia cauſa urgeat, verbi gratia, gravis tentatio pœnitentis, occaſio Jubilæi, longum iter aggrediendum, &c.: Ubi adverte non ſemper teneri Parochum per ſe ipſum ſubditos audire; ſatisfacit enim ſuo muneri, ſi de alio apto Confeſſario iis provideat, niſi ex ſpeciali aliqua ratione debeat ipſe illos audire. Ita Lug. loc. citat. cum aliis.

Dubium eſt ſecundo, An Confeſſarii, qui non ſunt proprii Paſtores, ſed voluntarii, in extrema ſolummodo, an etiam in gravi neceſſitate teneantur aliorum Confeſſiones audire?

Reſpondeo, peccatorem eſſe in extrema neceſſitate Confeſſionis, quando ignorat actum contritionis, aut non poteſt illum amplius elicere; eſſe vero in gravi neceſſitate, quando difficulter poteſt actum contritionis elicere, & confeſſionem petit. Certe in extrema neceſſitate tenetur quilibet Confeſſarius ex charitate, & Parochus etiam ex juſtitia, cum periculo vitæ, ſi opus ſit, confeſſionem audire. Ita communiter Doctores apud Lug. loc. citat. ex illo Joan. 3. *In hoc cognovimus charitatem Dei, quoniam ille animam ſuam pro nobis poſuit, & nos debemus animam pro fratribus ponere.*

In gravi vero neceſſitate tenetur quidem Paſtor, ut docent communiter Doctores apud eundem Lug., ſed probabiliter non tenentur alii Confeſſarii cum periculo vitæ, quia cum proximus meus poſſit ſe ſine meo auxilio a periculo liberare, non teneor illi cum tanto meo incommodo ſubvenire. Excipitur tamen ex Lug. neceſſitas gravis totius communitatis, verbi gratia, peſte graſſante; tum quia in tali neceſſitate vix accidit, quod nullus ſit in neceſſitate extrema; tum etiam, quia bonum commune præferri debet bono privato.

QUÆ-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# QUÆSTIO XI.

## De Caſibus reſervatis.

Quatuor hic diſcutienda; Primo, quinam poſſit reſervare peccata? Secundo, quænam peccata poſſint reſervari? Tertio, quinam ſubjaceant reſervationi? Quarto, quinam poſſint abſolvere a reſervatis, & quomodo?

### ARTICULUS I.

### Quinam poſſint reſervare Caſus?

*I. In quibuſnam reſideat poteſtas reſervandi caſus? Superiores regulares qualiter poſſint illos reſervare?*

*II. Parochus etiam poteſt reſervare caſus; Sicut Epiſcopus relate ad Parochos.*

*III. Reſervato peccato, cui eſt annexa cenſura, tam peccatum, quam cenſura immediate reſervantur; & ſimul deinde tollitur utrumque; Qui vero ratione ignorantiæ invincibilis cenſuræ, illam non incurrit, nec incurrit reſervationem peccati; idque etiam in caſibus Epiſcopalibus.*

*IV. Reſervatio caſuum Epiſcopalium ſynodalium ceſſat, ſi non exprimantur in Tabella.*

*V. Epiſcopo mortuo, vel amoto, ceſſat reſervatio caſuum Epiſcopalium; non vero ſynodalium.*

*VI. Valida, & illicita eſt reſervatio caſuum facta ab Epiſcopo ſine rationabili cauſa. Sed num etiam relate ad Parochos?*

*VII. Non poteſt Prælatus Regularis ſine conſenſu Capituli aliquid graviter prohibere ſub pœna excommunicationis ſibi reſervata.*

I. Nomine caſuum veniunt & peccata, & cenſuræ: Eſſe autem in Eccleſia Dei poteſtatem reſervandi peccata, & cenſuras, certum eſt ex Trident. ſeſſ. 14. cap. 2.; ubi ex natura, & conditione judicii, quæ huic Sacramento competit, & ex uſu Eccleſiæ id probatur; ac definitur, In eadem Eccleſia ſemper cuſtoditum fuiſſe, ut nulla ſit reſervatio in articulo mortis.

Primo itaque reſidet hæc poteſtas in Pontifice relate ad univerſam Eccleſiam. Secundo in Epiſcopis relate ad ſuas diœceſes; ut patet ex eodem Trident., quod ſeſſ. 14. can. 11. hæc habet: *Si quis dixerit, Epiſcopos non habere jus reſervandi ſibi caſus, niſi quoad externam politiam, atque adeo caſuum reſervationem non prohibere, quominus Sacerdos a reſervatis vere abſolvat, Anathema ſit.* Tertio, habent eandem poteſtatem Prælati Regulares; eo modo tamen, quo Clem. VIII. præſcripſit, videlicet cum moderatione, & tantum in Capitulis generalibus, & provincialibus. Quarto, habent illam omnes ii, qui habent juriſdictionem ordinariam reſpectu eorum, quibus delegare poſſunt juriſdictionem; nam cum delegati accipiant juriſdictionem ab habente juriſdictionem ordinariam, poſſunt illam accipere cum aliqua limitatione, videlicet relate ad aliqua tantum peccata; Unde reliqua remanent reſervata.

II. Hinc ſequitur ex Suar. diſp. 29. ſect. 1. Parochos etiam poſſe caſus reſervare, cum & ipſi habeant juriſdi-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

dictionem ordinariam, quam delegare poſſunt aliis Parochis, & Sacerdotibus a ſuo Epiſcopo approbatis. Verum idem Suar. advertit, id non eſſe in uſu; quia univerſim coadjutores, qui aſsumuntur a Parochis, quibus delegari poteſt ab iis juriſdictio, non ſunt minus idonei, quam ipſi Parochi: Poſsunt tamen Epiſcopi reſervare Parochis aliquos caſus, quia Parochi ſunt ab Epiſcopis dependentes, non ſecus ac Epiſcopi a Pontifice.

Sicut autem omnes habentes juriſdictionem ordinariam poſsunt reſervare peccata ſibi, ita pariter poſsunt reſervare illa alteri, Verbi gratia, ita ut in tali caſu pœnitens nequeat niſi vel a ſe ipſo Epiſcopo, vel a Decano, aut Pœnitentiario abſolvi. Ratio eſt clara, quia poſsunt ad libitum delegare juriſdictionem eo modo, quo ſibi placuerit; Et de facto Pontifex multos caſus reſervat Epiſcopis; & in Trident. ſeſs. 14 cap. 60. nonnulli caſus reſervantur Epiſcopo, nonnulli Vicario per Epiſcopum deſignato.

III. Quæritur nunc primo; Num quando Superior, ſive ſit Pontifex, ſive Epiſcopus, ſive alius reſervat ſibi peccatum, cui eſt annexa cenſura, utrumque ſibi reſervet, peccatum, & cenſuram, an ſolum peccatum, vel ſolam cenſuram?

Reſpondeo, Durandum aſſerere cenſuras tantum, non peccata reſervari; Verum communiſſima apud Perez diſp. 46. ſect. 5. cum Suar. diſp. 29. ſect. 2., Lug diſp. 20. num. 26., Con. diſp. 8. num. 23., Sanch. lib. 2 num. 8. docet, utrumque reſervari, ut conſtat ex verbis decretorum Pontificum, & ex interpretum ſenſu. Unde ſequitur primo, quod Superior dans facultatem abſolvendi a cenſura aliqua reſervata det pariter facultatem abſolvendi ab illo peccato; Et dans facultatem abſolvendi a peccato reſervato det pariter facultatem abſolvendi a Cenſura illi annexa; quia utramque ſimul reſervationem ſolent ponere, & utramque ſimul tollere.

Sequitur præterea, quod ignorantia, quæ excuſat ab incurrenda cenſura, excuſet pariter ab incurrenda reſervatione talis peccati, cui illa cenſura annectitur, ut notat Fagund. 2. præcepto Eccleſiæ cap. 1. Lug., Leand. diſp. 12. quæſt. 16., Mendo in Epitome V. *Reſervatio*, Sanch. loc. citat., & alii: Idque verum eſt tam de caſibus Papalibus, quam de Epiſcopalibus: Eſto neget id de Epiſcopalibus Merol. t. 1. diſp. 1. cap. 2., eo quod ſoleant Epiſcopi reſervare peccata ſine cenſura, quod non ſolent Pontifices.

IV. Quæritur ſecundo; An præter caſus expoſitos in Tabella ab Epiſcopis ſint etiam reſervati Epiſcopis Caſus Synodales.

Reſpondeo cum Comitolo lib. 1. reſponſ. moral. quæſt. 25 Paſqual. centur. 2. quæſt. 165. contra Bordon, ceſſare reſervationem caſuum ſynodalium, quando exponuntur ab Epiſcopis caſus reſervati in tabella. Ratio eſt, quia ex pluribus legibus civilibus, & Canonicis habetur, quod non expreſſum habeatur pro omiſſo; ergo cum Epiſcopus non exprimat in tabella caſus ſynodales, ſicut poſset, videtur illos negligere, ac non reſervare.

V. Quæritur tertio; An mortuo, vel amoto Epiſcopo, ceſset reſervatio caſuum ab ipſo facta?

Reſpondeo, caſuum ſynodalium reſervationem per mortem Epiſcopi non ceſsare, ut docet Paſqual. Centur. 4 quæſt. 345.; quia ſtatutum ſynodale, cum ſit lex, non exſpirat morte ullius: Contra tamen ceſsat reſervatio facta ab Epiſcopo per mortem Epiſcopi; quia univerſim perſonalia ſequuntur perſonam, eaque extincta, extinguuntur: & ideo etiam

quæ

quæ ſunt mere beneplacita extinguuntur morte concedentis, ( in foro tamen contentioſo ) ut diximus quæſt. 8. art. 1. ex cap. *Gratioſe de Reſcriptis* in 6., Et ita docet Dian. part. *6.* tract. miſcellan. reſol. 42. cum Sanch., Fagund. contra Præpoſit.. Imo addo cum Paſqual. quæſt. 296. contra Dian., & Fagund., mortuo, vel amoto Epiſcopo, poſſe a non habente facultatem in reſervata abſolvi non ſolum eum, qui poſt mortem Epiſcopi reſervantis incurrit in caſum reſervatum, ſed etiam eum qui Epiſcopo vivente in caſum reſervatum incurrerat. Ratio eſt, quia poteſtas juriſdictionis non reſpicit peccata, quando committuntur, ſed quando ſubjiciuntur clavibus. Ubi adverte ex Cyſpedes apud Pelliz. tr. 6. cap. 2. n. 59. reſervationem caſuum Synodalium eſſe a jure, Epiſcopalium vero eſſe ab homine, & ideo hæc tantum morte Epiſcopi reſervantis expirat, non vero illa. Eſto enim Epiſcopus exponendo in tabella aliquos dumtaxat ex reſervatis Synodalibus cenſeatur conſentire, ut relate ad reliquos nulla ſit reſervatio; mortuo tamen Epiſcopo lex ſynodalis non ceſſat obligare, quippe quæ lata eſt per poteſtatem collatam a Chriſto Domino, qui non moritur.

VI. Quæritur quarto; An reſervatio alicujus caſus facta ab Epiſcopo abſque legitima, & rationabili cauſa ſit valida?

Reſpondeo cum Perez diſp. 46. ſect. 2., certum eſſe primo, quod talis reſervatio ſit illicita; Etenim cum reſervatio ſit odioſa, tam Confeſſariis, quibus minuit poteſtatem, quam pœnitentibus, quibus eſt moleſta, non poteſt fieri ſine rationabili cauſa. Certum eſt ſecundo, quod valide poſſit Epiſcopus quoslibet caſus reſervare illi, cui juriſdictionem delegat; cum enim pro libito illam deleget, poteſt etiam pro libito illam limitare. Dubium eſt ſolum, An relate ad Parochos habentes juriſdictionem ordinariam in ſuos ſubditos valide reſervet Epiſcopus ſine legitima cauſa caſus aliquos? Vaſq. quæſt. 91. art. 3. dub. 4. cum Sot., & aliis putat, quod invalide; tum quia Trident. docet, poſſe Epiſcopos reſervare in ædificationem, non in deſtructionem; tum etiam, quia cum jure divino Parochi habeant juriſdictionem, non poteſt illa a jure humano ſine cauſa valide reſtringi. Verum Suar. diſp. 29. ſect. 4. cenſet, quod valide, propter ſubordinationem, ac dependentiam, quam habent Parochi ab Epiſcopo; Lug. demum diſp. 20. ſect. 3. cum Perez probabilius putat, tunc ſolum eſſe invalidam hujuſmodi reſervationem, quando notabiliter impediret, vel diminueret Parochis juriſdictionem neceſſariam ad ſuum munus exequendum; Etenim ſicut non poteſt Epiſcopus amovere Parochum a ſuo officio ſine juſta cauſa, nempe propter ineptitudinem; ita nec poteſt ab eo tollere, aut notabiliter diminuere neceſſariam juriſdictionem.

VII. Quæritur ultimo; An poſſint Prælati Regulares ſine conſenſu Capituli aliquid graviter prohibere ſub excommunicatione ſibi reſervata?

Reſpondent affirmative Suar. diſp. 29. ſect. 4., Villalob., Tamburinus, & alii apud Perez, & Dian. part. 2. tract. 2. reſol. 49., quia a Clem. VIII. ſolum prohibetur, ne peccata ſibi reſervent Prælati Regulares ſine conſenſu Capituli; ergo poſſunt reſervare cenſuras, quamvis per accidens ſic etiam reſervent peccata. Sed communiter Doctores tenent oppoſitum cum Perez, Dian., Lug., Sanch.; tum quia ſic fruſtraretur finis prohibitionis Clementis; tum etiam, quia extat decretum Sacræ Congregationis relatum a Lug. num. 47. declarans,

non poſſe illos cenſuras hujuſmodi ſibi reſervare.

## ARTICULUS II.

### Quænam peccata cadant ſub reſervationem?

*I. Non conſtat inter Doctores, num poſſint reſervari venialia, ac mortalia alias remiſſa. Peccata vero pure interna non ſolent reſervari.*

*II. Quando caſus reſervatur, peccatum externum debet eſſe conſummatum, & de ſe grave; Unde percuſſio Clerici ſi ſit ſimpliciter levis, quamvis cum culpa gravi, non eſt reſervata; Eſt ſolum reſervata Epiſcopo percuſſio, qua ſit levis comparata cum enormi.*

*III. Caſus reſervatus, effectu ſecuto, non incurritur ab eo, qui confitetur, antequam effectus ſequatur.*

*IV. In dubio, an peccatum fuerit mortale, ſeu an includatur in lege reſervante, reſervatio non incurritur; Quod ſi in tali dubio quis ſit abſolutus, non debet iterum a Superiore abſolvi, ſi deinde deprehendat caſum eſſe reſervatum.*

*V. Quid ſi idem peccatum cum cenſura a diverſis ſuperioribus reſervetur?*

*VI. Epiſcopis peccata nonnulla reſervantur jure communi; Alia ex conſuetudine; Alia vero per ſtatuta Epiſcopalia.*

*VII. Quid requiritur, ut caſus Papalis dicatur occultus, & idcirco Epiſcopo reſervatus? Et quid de occultis Bullæ Cœnæ?*

*VIII. Quinam dicantur perpetuo impediti adire Pontificem, ut eatenus poſſint a Caſibus Papalibus per Epiſcopum abſolvi ſine onere?*

*IX. Num ſicut impeditus adire Pontificem poteſt abſolvi ab Epiſcopo; ita impeditus adire Epiſcopum poſſit ab Inferiore abſolvi?*

*X. Probabiliter impeditis adire Pontificem non imponitur ab Epiſcopo onus adeundi illum ceſſante impedimento temporali, niſi caſus ſit reſervatus cum cenſura: Quid ſi ab inferiore detur abſolutio? In articulo mortis onus hoc imponitur ſolum, ſi excommunicatus ſit denunciatus.*

I. CErtum eſt primo, peccata venialia, necnon mortalia alias legitime confeſſa de facto non reſervari; quicquid ſit, Utrum de poſſibili reſervari poſſent? in quo variant Doctores; Etenim qui dicunt, juriſdictionem in venialia haberi a Chriſto Domino, aſſerunt cohærenter non poſſe ab Eccleſia reſervari; qui vero aſſerunt, juriſdictionem haberi a Pontifice, dicunt poſſe quidem reſervari, ſed inutiliter, cum poſſint aliis mediis tolli venialia; Et idem dicas de mortalibus remiſſis, & legitime confeſſis.

Certum eſt ſecundo, non reſervari de facto mortalia pure interna; quamvis juxta communem ſententiam Suar., Vaſq., & aliorum reſervari poſſint; Sicut de facto reſervat Pontifex ſibi diſpenſationem aliquorum votorum, etiamſi mere mentalium.

II. Certum eſt tertio, quod quando reſervatur actus externus, requiratur actus externus conſummatus, & qui in toto rigore vocabuli ſit talis; Unde reſervata ſodomia, verbi gratia, requiritur & commixtio duorum ejuſdem ſexus, & ſeminatio intra vas; quia reſervatio habet rationem pœnæ, & ideo odioſa eſt, & ſtricte interpretanda. Hinc ſi reſervaretur ſcriptio epiſtolæ de obſcœnis ad Moniales, ſi quis talem epiſtolam ſcribat, & mittat, ſed ea ad Moniales non perveniat, non incurrit in reſervationem.

Certum eſt quarto, quod quando reſervatur actus internus, qui prodeat in externum, verbi gratia, peccatum contra caſtitatem, tum actus externus debeat de ſe eſse gravis, ut docent Suar., Lug., & alii apud Leand. diſp. 12. quæſt. 9. contra Turrian. Unde qui ex intentione mortaliter peccaminoſa contra caſtitatem diceret alicui aliquod verbum turpe ex ſe leve, vel aliam actionem externam ex ſe levem exerceret circa illum, puta tangendo ejus veſtes, vel ſuſpirando, &c., non incurreret reſervationem; quia cum reſervatio cadat circa actum externum, hic de ſe debet eſse graviter malus, nec ſatis eſt, quod graviter malus ſit actus internus; Eccleſia enim non judicat de internis. Hinc etiam fit, quod, reſervato homicidio, non ſit reſervata percuſſio facta animo occidendi; & reſervata percuſſione, non eſt reſervata percuſſio levis facta cum intentione mortali; Et idem dicas de excommunicatione, quæ incurritur per actionem externam de ſe levem, etiamſi factam cum mortali intentione: Quare non incurrit excommunicationem, qui leviter percutit Clericum, aut qui reſervato furto, parvam materiam furatur, licet cum intentione graviter peccaminoſa: Percuſſio autem levis, quæ eſt Epiſcopo reſervata, ut mox dicemus, non eſt percuſſio Clerici ſimpliciter levis, ſed ea, quæ eſt ſolum levis comparata cum enormi, & ſimul eſt graviter peccaminoſa.

III. Certum eſt quinto, quod quando reſervatur caſus, effectu ſecuto, verbi gratia homicidium, procuratio abortus, &c., ſi quis propinet venenum, vel vulneret, ita ut ex tali veneno, ſeu vulnere ſequatur deinde mors, vel abortus, & interim pœnitens confiteatur ante effectum ſecutum, caſus non eſt reſervatus, ut docent Dian., Lug., & alii communiter. Utrum autem ſecuto effectu indigeat nova Superioris abſolutione? Affirmat Lug. diſp. 16. num. 253. ſed communiter negant, quia fuit jam directe abſolutus pœnitens a tali caſu: Et idem dicas, ſi caſui ſit annexa excommunicatio; Etenim ſublata culpa, & curato morbo per confeſſionem ante effectum ſecutum, non poteſt incurri pœna medicinalis, ſicut eſt excommunicatio, quando deinde ſequatur effectus, ut docent Avil., Filliuc., Hurt., Mend. num. 41.

IV. Quæritur nunc primo; An peccatum ſit reſervatum, quando dubium eſt de ipſius reſervatione; Vel quia dubium eſt, an ſit commiſſum, vel quia dubium, an fuerit mortale; vel quia dubium, an includatur in lege reſervante?

Reſpondeo negative cum Lug. diſp. 20. ſect. 3. Suar. de cenſuris diſp. 40. ſect. 6. Leand. quæſt. 11., & aliis communiter contra Armil., Cordub. apud Lugo. Ratio eſt, quia reſervatio, utpote odioſa, non debet ampliari ad peccatum dubium, ſed reſtringi ad certum; niſi forte ipſe reſervans expreſſe vellet etiam peccatum dubium reſervare, ut olim exprimebatur in caſibus Bullæ Cænæ ante decretum moderatorium Clem. VIII. Et in Extravag. *Perlectis* exprimitur reſervari Papæ percuſſionem clerici in dubio, an ſit gravis, non quidem quando dubitatur, an peccatum internum fuerit grave; quia in tali caſu multi docent, nec eſſe neceſſario confitendum, ſed quando ſuppoſito peccato interno gravi dubitatur, an percuſſio etiam fuerit gravis; ut docent communius contra Bordonum apud Dianam p. 9. tract. 4. reſ. 46. ubi pro benigniori ſententia laudat etiam Sanch. lib. p. cap. 10. n. 74. docentem in dubio num percuſſio ſit gravis, an levis, cenſendam eſſe levem, ne privetur Epiſcopus facultate ab-

 ſol-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ſolvendi ab illa. Quare ſolum quando percuſſio ſine ullo dubio eſt levis comparata cum enormi, non eſt reſervata Pontifici, ſed Epiſcopo, ut ſi quis Clericum pugno, pede, vel lapide, aut ligno non relinquente veſtigium percutiat; (attenta tamen gravitate injuriæ, non violentiæ) Immo ex Dian. part. 9. tract. 4. reſol. 29. ſi percutiatur pugno Sacerdos in facie, ita ut aliquæ guttæ ſanguinis effluant, adhuc percuſſio dicitur levis relate ad enormem, & Epiſcopo reſervata; Quod ſi percuſſio ſit ex ſe ſimpliciter levis, non vero levis comparata cum enormi, tunc nulla reſervatio, nec excommunicatio incurritur, etiamſi fiat cum intentione mortali, ut diximus num. 2. Quæ dicta ſunt de reſervatione, militant etiam circa excommunicationem, irregularitatem, & quamlibet aliam pœnam; In dubio enim peccati nulla iſtarum pœnarum incurritur, niſi exprimatur; Ideo autem irregularitas etiam in dubio homicidii incurritur, quia etiam in eo caſu dubio exprimit legislator debere illam incurri, dummodo culpa fuerit certe mortalis.

Neque dicas, quod in dubiis tutior pars ſit eligenda; ergo recurri debet ad ſuperiorem pro abſolutione a reſervato dubio, ut ſecurior ſit abſolutio. Nam hoc eſt conſilium, non præceptum, ut recte notat Suar. cum Navar., Sot., Sylveſt., & aliis; Abſolutio enim ſic data ab inferiore habet ſufficientem ſecuritatem, cum ſit moraliter certa.

Infertur hinc primo, poſſe Inferiorem abſolvere a reſervatis dubiis, ſive dubium ſit juris; verbi gratia, cum dubitatur, ſitne a jure reſervatum aliquod mortale certe commiſſum; ſive dubium ſit facti, verbi gratia cum dubitatur, an revera commiſeris peccatum certo reſervatum, puta, an quando protuleris hæreſim externam, etiam interius credideris, & protuleris animo eam aſſerendi; nam hoc totum requiritur, ut hæreſis externa ſit reſervata. Ratio illationis eſt, quia in dubiis melior eſt conditio poſſidentis. Debet quidem confeſſarius dubium examinare, ne exponat Sacramentum periculo fruſtrationis; Verum examinato dubio, ſi adhuc hæreat, poteſt abſolvere; quia dubium, quod remanet, tollit a peccato reſervationem, ſi qua eſſet; ut infra dicemus de ignorantia reſervationis, quæ eodem modo tollit a peccato reſervationem.

Infertur ſecundo, quod qui in caſu dubii abſolutus eſt ab inferiore a peccato, vel a cenſura reſervata, ſi deinde deprehendat certo peccatum illud eſſe reſervatum, non tenetur Superiorem adire. Ita Lug., Bardi diſp. 6. cap. 11. punct. 4 §. 5., quia jam ab eo peccato abſolutus fuit directe ab habente tunc poteſtatem: Sicuti dubius de voto Caſtitatis, ſi diſpenſetur ab Epiſcopo, & deinde deprehendat votum Caſtitatis fuiſſe certum, non tenetur Pontificem adire pro diſpenſatione, ex Sanch. lib. 4. cap. 44., Lug. diſp. 20. ſect. 2.

V. Quæritur ſecundo; An poſſit idem peccatum a pluribus Superioribus reſervari, ita ut ſublata una reſervatione remaneat altera?

Reſpondeo, vel reſervatio ſit cum cenſura, verbi gratia, cum excommunicatione annexa; vel non: Si primum, reſervatio unica eſt, etiamſi fiat pluries ab eodem ſuperiore. Quod ſi fiat a diverſis, verbi gratia, prius ab uno Epiſcopo, deinde ab alio, vel a Pontifice, tunc reſervatio, & excommunicatio eſt multiplex, ita ut una ſublata remaneat altera, ut oſtendit Suar. diſp. 31. ſect. 4 ſi vero reſervatio fiat ſine cenſura, ſive fiat ab eodem Superiore pluries, ſive prius ab uno Epiſcopo, deinde a

Succeſſore, tunc unica eſt reſervatio, & per unam facultatem abſolvendi tollitur: Quod ſi fiat a diverſis Superioribus, videlicet ab Epiſcopo, & a Papa, ſi prius fiat ab Epiſcopo, & deinde a Papa, tunc accedente reſervatione Pontificia, ceſſat Epiſcopalis, ut notat Lug. num. 151. cum non habeat tunc Epiſcopus facultatem abſolvendi, adeoque nec ſibi reſervandi; Quod ſi prius fiat a Papa, deinde ab Epiſcopo, propter eandem rationem reſervatio Epiſcopalis eſt nulla, ut docet Suar. diſp. 31.

VI. Quæritur tertio; Quænam peccata ſint de facto Epiſcopis reſervata?

Reſpondeo, tripliciter poſſe peccata Epiſcopis reſervari. Primo per ſtatuta Epiſcoporum, ſive ſynodalia, ſive extra ſynodalia. Secundo per conſuetudinem. Tertio jure communi. Quæ primo, aut ſecundo modo reſervantur, recenſeri non poſſunt, quia dependent a voluntate uniuſcujuſque Epiſcopi, & a conſuetudine cujuſvis diœceſis. Univerſim vero ſolent ſibi Epiſcopi reſervare homicidium voluntarium, crimen incendiarii, Pollutionem Eccleſiæ, Perjurium in judicio, Adulterium publicum, Falſificationem literarum, & his ſimilia, quæ diſcutit Tambur. in tractatu de Pœnitentia cap. 6. loquens de caſibus Panormi reſervatis. Quæ vero jure communi Epiſcopis reſervantur, ſunt, præter nonnullas diſpenſationes irregularitatum, & votorum, Primo levis percuſſio Clerici; & gravis, ſi fiat a fœmina. Secundo procuratio abortus fœtus animati effectu ſecuto. Tertio communicatio in eodem crimine cum excommunicatis ab Epiſcopo, & alia hujuſmodi, quæ notat Tolet. lib. 1. Inſtructionis Sacerdotis cap. 19., Ac demum omnes caſus Papæ reſervati, ſi ſint occulti. Et iidem etiam publici in caſu legitimi impedimenti ſive perpetui, ſive temporalis poſſunt jure communi ab Epiſcopis abſolvi, cum onere tamen, quod ceſſante impedimento temporali, ad Papam ſe præſentent; ut habetur in cap. *de cætero de ſentent. excommunicationis*. At in articulo mortis non ſolum Epiſcopi, ſed quilibet Sacerdos poterit ab omnibus caſibus Papalibus abſolvere, cum ex Tridentino in eo articulo, ſeu etiam periculo ceſſet omnis reſervatio.

VII. Circa hæc notandum primo, Crimen illud dici occultum, quod opponitur publico, ut exponit Suar. diſp. 30. ſect. 2.; publicum autem dicitur, quod notum eſt fere omnibus Oppidi, vel viciniæ, vel communitatis, vel publice diffamatum, vel deductum in forum contentioſum, dummodo ob defectum probationis non ſit ab eo Reus abſolutus; Unde quamvis aliquando crimen notum ſit aliquibus, adhuc poteſt dici occultum, quouſque Reus non laborat publica infamia, ut docet Navar. in Manual. cap. 27. num. 254. Quod ſi delictum ſit in aliquo loco publicum, non vero in eo, in quo petitur abſolutio, Sanch., Dian., & alii putant, poſſe etiam ab Epiſcopo abſolvi; Negat tamen Suar., quia quod alicubi publicum eſt, ſimpliciter eſt publicum; præterquamquod facile etiam ad alia loca defertur, & publicatur.

Notandum ſecundo, multos Doctores cum Tolet. apud Suar. loc. citat. negare, multos alios cum Navar., Lug. diſp. 20. ſect. 5. aſſerere, quod per Bullam Cœnæ revocata ſit ab Epiſcopis hæc facultas abſolvendi ab hæreſi occulta, necnon ab aliis occultis caſibus in ea Bulla contentis: quia in calce Bullæ dicitur Epiſcopus non poſſe ab iis caſibus abſolvere, non obſtantibus quibuſcumque: Quamvis utraque ſententia ſuos habeat Patronos; quia quando dicit Bulla, Epiſco-

piſcopos non poſſe ab iis abſolvere, *non obſtantibus quibuſcumque*, intelligi poteſt, quod loquatur de iis caſibus, quando ſunt publici, non quando ſunt occulti; Suar. tamen cenſet, tutiorem eſſe ſententiam Navar., Quod præſertim verum eſt, poſtquam confixa eſt theſis illa tertia ab Alex. VII., quam mox referemus.

Notandum tertio, facultatem hanc Epiſcoporum, quam habent ratione officii, & idcirco ordinariam Epiſcopi, eſſe cuilibet delegabilem; Unde ſequitur, quod Confeſſarius, cui Epiſcopus dat facultatem abſolvendi a Caſibus ſibi reſervatis, poſſit etiam abſolvere ab omnibus caſibus reſervatis Papæ, dummodo ſint vel occulti, vel cum legitimo impedimento adeundi Pontificem, eo modo, quo poteſt Epiſcopus; excepta tamen hæreſi externa, quæ unice ab Epiſcopo abſolvi poteſt, quando eſt occulta, juxta Trident. ſeſſ. 24. cap. 6., & ab Alex. VII. damnata eſt propoſitio 4. dicens, *Etiam Prælatos regulares poſſe ab ea abſolvere in foro conſcientiæ*. Damnata nihilominus etiam eſt ab eodem Pontifice propoſitio 3. dicens: *Sententia aſſerens Bullam Cœnæ ſolum prohibere abſolutionem hæreſis, & aliorum criminum, quando publica ſunt &c. in conciſtorio Sacræ Congregationis Cardinalium viſa, & tolerata eſt*. Ubi nonnemo putat non damnari hanc ſententiam, ſed ſolum damnari, quod ea viſa, & tolerata ſit a Sacra Congregatione. Equidem cum Moja dicendum probabilius cenſeo, etiam ſententiam illam damnari; quia niſi ſententia eſſet falſa, Alex. VII. non fuiſſet adeo ſolicitus de mendacio illo, quod ea ſententia a Sacra Congregatione viſa, & tolerata ſit: Quare quamvis prius probabile eſſet, ex auctoritate Navar., Lug., & aliorum Doctorum, quod Epiſcopi poſſent ab hereſi occulta, & ab occultis omnibus Bullæ Cœnę abſolvere, nunc tamen non videtur amplius ea ſententia eadem probabilitate pollere, ut oſtendimus in Trutina Theologica theſium damnatarum.

VIII. Notandum ultimo, onus comparendi coram Pontifice, ceſſante impedimento, non debere imponi ab Epiſcopo ei, qui abſolvitur, quando impedimentum adeundi Pontificem eſt perpetuum; quia fruſtra imponeretur. Dicuntur autem habere perpetuum impedimentum in jure Mulieres propter ſexus fragilitatem, pueri ante pubertatem, Regulares, filiifamilias, Senes, videlicet ſeptuagenarii, vel ſexagenarii, immo per aliquos Doctores etiam quinquagenarii, Servi, ideſt Mancipia, Pauperes, Infirmi, Carceribus perpetuo detenti, vel ad triremes damnati, vel in Inſulas relegati, Captivi apud Turcas; Necnon qui arripere iter non poſſunt ſine gravi detrimento vel temporali, vel ſpirituali, vel proprio, vel ſuorum, videlicet uxoris, familiæ, &c. Ad hoc tamen ut iſti dicantur perpetuo impediti, debent tali impedimento laborare ſolum per decennium, aut etiam (ex Tambur. in decalogum) per quinquennium. Aliter dicerentur laborare impedimento temporaneo, & non perpetuo.

IX. Dubium eſt magni ponderis; An ſicut in impedimento temporaneo, & non perpetuo adeundi Pontificem poteſt Epiſcopus abſolvere a caſibus Papæ reſervatis cum onere comparendi, ceſſante impedimento, ſub pœna reincidentiæ, ita pariter, quando pœnitens habet impedimentum adeundi Epiſcopum, poſſit quilibet Confeſſarius abſolvere cum onere comparendi apud Epiſcopum, ceſſante impedimento, ſub eadem pœna reincidentiæ?

Reſpondeo, plurimos Doctores cum Suar. diſp. 20. ſect. 2., Lug., Becan., &

& aliis communius negare, quia illud tantum exprimitur in jure; nec valet arguere a pari in lege poſitiva. Verum affirmant Perez diſp. 50. ſect. ultim., necnon Boſſ., Celeſtin., Hurt., & Granad. apud Dian. part. 5. tract. 14. reſol. 58., & Dicaſtil. apud eundem Dian. part. 11. tract. 8. reſol. 49. Ratio eſt, quia cum timeri poſſit in tali caſu probabile periculum animæ propter dilationem pœnitentiæ; & cum aliquando etiam urgeat neceſſitas communionis, & non ſit facilis contritio, cæteroqui prærequiſita, videtur veriſimile, quod noluerit Pontifex tollere remedium confeſſionis pœnitentibus impeditis adire Epiſcopum, quod iterum explicabimus in de Cenſuris quæſt. 2. art. 7.

Quare habens reſervata vel Papæ, vel Epiſcopo, apud quos non patet aditus, & volens ſe reconciliare cum Deo, vel propter neceſſitatem communionis, vel ne diu ſit in ſtatu peccati mortalis, tripliciter poteſt ſe gerere: Vel primo præmittendo communioni ſolam contritionem, perinde quaſi non haberet copiam Confeſſarii; etenim juxta primam communiorem laudatam opinionem Confeſſarius non poteſt abſolvere a reſervatis Epiſcopo, vel Papæ in caſu impedimenti: Vel ſecundo poteſt confiteri Confeſſario non reſervata, omittendo reſervata; cum non habeat Confeſſarius poteſtatem in illa, ut docent Sot., Cordub., Pal., Dian. part. 2. tract. 4. reſol. 104.: Vel tertio ſequendo ſecundam hanc opinionem, poteſt reſervata ſimul, & non reſervata confiteri, ita ut ab his directe, ab illis indirecte abſolvatur, ut communius Doctores docent cum Laym. de Sacramento Pœnit. cap. 12., Navar., Sot., & aliis. Immo ad id teneri docet Laym. ex D. Th., ut poſſit Confeſſarius integre cognoſcere ſtatum pœnitentis.

X. Addo hic probabilem eſſe ſententiam Lug. diſp. 20. num. 223. quod onus comparendi Papæ, ceſſante impedimento temporali, tunc imponi debeat ab Epiſcopo pœnitenti, quando hic ab eo abſolvitur a cenſura reſervata, non vero quando ab eodem abſolvitur a peccato Papæ reſervato ſine cenſura; quod perraro accidit. Ratio, quam affert de Lug. eſt, tum quia in jure tale onus imponitur ſolum pœnitenti, qui ratione impedimenti abſolvitur a cenſura; tum etiam, quia tale onus imponi debet ſub pœna reincidentiæ; quæ pœna ſolum cadere poteſt ſupra cenſuram, non ſupra peccatum, ut patet; tum demum, quia aliter qui fuit abſolutus directe a peccato, teneretur iterum illud ſubjicere clavibus, quod videtur durum. Utrum autem qui propter impedimentum temporale abſolvitur a caſibus ſine cenſura reſervatis a confeſſario, eo quod pœnitens non poſſit adire Epiſcopum, juxta dicta numero præcedenti, tunc pariter poſſit confeſſarius ab iis abſolvere ſine onere, extra mortis articulum? Diſputat Suarius diſp. 30. de Pœnit. ſect. 3. & Lugo diſp. 20. ſect. 10. num. 224., & neuter audet id aſſerere; cum communiſſime rejiciatur. Qua de re fuſius dixi in Trutina exponendo tertiam theſim ab Alex. VII. confixam num. 7.

Dices. Ideo Epiſcopus poteſt a caſibus Papalibus abſolvere ſine onere, ſi non ſit illis annexa cenſura, quia aliter qui fuit abſolutus ab iis directe ab Epiſcopo, teneretur iterum ſubjicere clavibus idem peccatum, quod eſt inconveniens; atqui hoc etiam ſequeretur, ſi in caſu impedimenti temporalis abſolutus a confeſſario a caſibus Epiſcopalibus ſine cenſura teneretur adire Epiſcopum, ut iterum abſolvatur ceſſante tali impedimento; ergo in utroque caſu dari poteſt abſolutio ſine onere.

Reſpondeo negando minorem. Nam ideo Epiſcopus in caſu impedimenti temporalis directe abſolvit a caſibus Papalibus, quia hoc illi a jure conceditur, tum in Cap. *de cætero de ſententia excommunicationis*, tum alibi; Unde cum abſolvatur pœnitens directe a caſibus Papalibus, non debet iterum adire Pontificem ceſſante impedimento, ut abſolvatur; ſed ſi peccato eſt annexa cenſura, abſolvitur cum onere ſiſtendi ſe coram Pontifice, non ut abſolvatur iterum a peccato, ſed ut ſtet ejus mandatis propter cenſuram incurſam, aliter in eandem cenſuram incidit. At quando confeſſarius ratione impedimenti temporalis abſolvit a caſibus reſervatis, tunc non abſolvit directe, cum nullibi talis facultas illi tribuatur, ſed abſolvit indirecte, non ſecus ac indirecte abſolvit a peccatis oblitis; & ideo ceſſante impedimento datur onus adeundi Superiorem pro abſolutione directa. Quod ſi Sacerdos abſolvat moribundum a reſervatis, tunc ideo abſolvit directe, & ſine onere, (niſi forte cenſura ſit denuntiata, ut ſatisfiat foro externo) quia ex Tridentino pro illo articulo confertur cuilibet Sacerdoti facultas abſolvendi a quibuſcunque peccatis, & cenſuris: Hæc enim habentur ſeſſ. 14. Concilii laudati cap. 7.: *Pie admodum, ne aliquis pereat, in Eccleſia Dei cuſtoditum ſemper fuit, ut nulla ſit reſervatio in articulo mortis, atque ideo omnes Sacerdotes quoslibet pœnitentes a quibuſvis peccatis, & cenſuris abſolvere poſſint.*

## ARTICULUS III.

### De iis, qui ſubjacent reſervationi.

*I. Impuberes probabiliter reſervationi, & excommunicationi non ſubjacent, niſi exprimantur.*

*II. Probabiliter etiam ignorantes reſervationem pœnalem illam non incurrunt.*

*III. Ignorantia reſervationis eſt ſolum in cauſa, cur reſervatio non incurratur; ſicut dicitur de ignorantia excommunicationis, aut ſi de reſervatione dubitetur.*

*IV. Num peregrini abſolvi poſſint a reſervatis ſuæ patriæ, ſi non ſint ſimul reſervata in diœceſi, in qua verſantur?*

*V. Num peccata reſervata in diœceſi abſolvi poſſint a quolibet confeſſario, ſi fuerint commiſſa in Monaſterio exempto?*

I. CErtum eſt, reſervationi univerſim ſubjacere omnes ſubditos reſervantis; niſi ſpecialiter aliqui exciperentur, ut de facto Eminentiſſimus Archiepiſcopus Neapolitanus fœminas excipit a reſervatis luxuriæ, & pueros, ac puellas omnes ante 14. annum ab omnibus reſervatis. Dubium tamen eſt, An univerſim impuberes, peregrini, & reſervationem ignorantes reſervationi ſubjaceant?

Quæritur itaque primo; an peccata impuberum poſſint reſervari?

Reſpondeo, Palud., Belloch. apud Dian. part. 1. tract. 1. Miſcel. reſol. 1. negare, quia minor ætas excuſat pueros in foro exteriori a pœna extraordinaria; Unde diximus quæſt. 4. art. 3., impuberes tranſgredientes præceptum confeſſionis annuæ non incurrere in foro exteriori pœnas latas in tranſgreſſores, nec excommunicationem ullam, niſi forte exprimerentur.

Sed Perez diſp. 45. ſect. 3., Lug., Homob., & alii diſtinguunt duplex genus reſervationis, alterum pœnalis, alterum medicinalis, ex Sanch. lib. 9. de Matrim. diſp. 32., & dicunt huic reſervationi medicinali, non illi pœnali impuberes ſubjacere. Reſervatio autem dicitur Medicinalis, quando imponitur ut remedium, ſeu quan-

do eſt veluti lex determinans caſus, in quibus recurri debeat ad Superiorem pro meliori remedio applicando; Hoc enim expedit ad bonam Eccleſiæ gubernationem; & in tali caſu ſicut impuberes ſubjacent aliis Eccleſiæ legibus, verbi gratia, abſtinentiæ a carnibus, confeſſionis annuæ, &c., ita pariter ſubjacent reſervationi: Dicitur vero reſervatio eſſe pœnalis, quando eſt quædam pœna impoſita in lege in odium, & vindictam peccati; ut fecit Sixtus V. contra male promotos ad ordines; & in tali caſu non ſubjacent impuberes reſervationi; ſicut nec ſubjacent juxta communiorem opinionem ulli excommunicationi, vel alteri pœnæ Eccleſiaſticæ.

Equidem tamen cenſeo, probabile eſſe, quod nunquam impuberes reſervationi ſubjaceant; ſicuti nunquam ſubjacent excommunicationi, niſi exprimantur; cum eadem ſit ratio de reſervatione, ac de excommunicatione, ut mox dicemus.

II. Quæritur ſecundo; An ignorantes reſervationem illam incurrant? Et idem quæritur de non advertentibus ad illam, dum actu peccant?

Reſpondeo, convenire communiter Doctores, quod cenſura ignorata non incurratur, ſicuti nec incurritur, ſi ad illam non advertatur, dum committitur peccatum, cui annexa eſt cenſura; ſiquidem inadvertentia actualis, ſeu oblivio æquiparatur ignorantiæ invincibili, & inculpabili. Ratio autem, quare non incurratur cenſura ignorata, eſt, quia cenſura eſt pœna ſpiritualis medicinalis, quæ applicari debet peccatori ægroto, ut poſſit illum curare; Applicatur autem unice per cognitionem, & conſequenter qui illam ignorat, non incurrit, ex Cap. *Ut animarum*, niſi ignorantia ſit craſſa, aut ſupina, prout ſuo loco dicemus. Dubium tamen eſt, an idem dicendum ſit de reſervatione?

Prima ſententia docet, illam incurri ab ignorante; Ita Homob. de Caſ. reſerv., Merol., & alii. Secunda ſententia negat; Ita Quintanad. tract. 3. ſingulari 11. dicens, per hæc verba, *Ignorantia reſervationis, ſive juris, ſive facti, etiamſi culpabilis, ſeu vincibilis excuſat a reſervatione*. Ita etiam Adamus Burghaber cent. 3. caſuum ſelectorum caſu 31., & alii apud Dian. part. 10. tract. 14. reſol. 63., qui opinionem hanc ſatis probabilem exiſtimat. Tertia Sententia diſtinguit cum Sanch. lib. 9. de Matrim. diſp. 32., Pal. tract. 2. diſp. 1. punct. 17., Bardi in Bullam Cruciatæ part. 2. tract. 6. cap. 1., Perez, Fagund., & aliis, qui docent, ut modo diximus de impuberibus, reſervationem, quæ ſit lex pœnalis facta in odium, & vindictam peccati, non incurri ab ignorante illam; ſecus vero reſervationem, quæ ſit lex medicinalis facta ob bonum commune Eccleſiæ, & rectam ejus gubernationem, quæ exigit, ut graviora crimina a Superioribus, & a Prælatis cognoſcantur. Demum magis ad rem Joſeph de Januario reſp. 1. diſtinguit duplicem reſervationem, alteram legalem, quæ fit per legem univerſalem, aut per ſtatutum ſynodale, ut plerumque fit; alteram vero perſonalem, quæ ſcilicet fit a perſona Superioris per modum præcepti, præcipiendo confeſſariis, ne a tali vel tali peccato abſolvant; quod raro accidit; Nam peccata, quæ reſervantur ab Epiſcopis in tabella, prius reſervata ſunt per ſtatutum ſynodale: Docet deinde Joſeph de Januario, primam reſervationem non incurri ab ignorante, quia habet rationem pœnæ medicinalis, non ſecus ac cenſura, & reſpicit directe pœnitentes; ſecundam vero incurri, quia directe reſpicit confeſſarios, quamvis in ordine ad Pœnitentes.

Equidem cenſeo in praxi ſequendam primam opinionem; ſed probabilem etiam eſſe ſecundam, prout limitatur a Joſepho de Januario apud Dian. part. 10. tract. 14. reſol. 63., ita ut tunc ſolum reſervatio incurratur ab ignorante illam, quando delegans juriſdictionem delegat cum aliqua limitatione præcipiendo, ne delegatus a tali, vel tali crimine abſolvat, quod raro habetur.

Probatur, quia omnis reſervatio habet rationem pœnæ medicinalis, ſi fiat per legem univerſalem, & eſt odioſa, tam confeſſario, cujus juriſdictionem reſtringit, quam pœnitentibus, qui coguntur Superiorem adire pro abſolutione: Atqui pœna ſpiritualis medicinalis ex communi Doctorum ſententia apud Sanch. lib. 1. Moralium cap. 8. non incurritur ab ignorante illam, (ut diximus de cenſura, quæ univerſim ignorata non incurritur) ergo nec reſervatio; Etenim tam excommunicatio reſervata, quam reſervatio peccati eſt reſtrictio juriſdictionis in abſolvente; utraque eſt pœna in delinquente, & eſt pœna medicinalis præſervativa a gravioribus delictis, ſpectans ad rectam Eccleſiæ gubernationem; ergo tam excommunicatio, quam reſervatio ignorata non incurruntur.

Confirmatur primo; quia nulla medicina poteſt ægrotum ſanare, niſi illi applicetur; atqui lex reſervationis, & excommunicationis ſunt medicinæ præſervantes a gravioribus delictis, & applicantur hominibus per cognitionem illarum; ergo niſi innoteſcant, non habent rationem medicinæ, & ſic non debent incurri.

Confirmatur ſecundo, quia intantum lex reſervationis, & excommunicationis ſpectat ad rectam Eccleſiæ gubernationem, inquantum talis pœna deterret reum a gravioribus criminibus; atqui niſi innoteſcat, non poteſt deterrere, ergo ignorata non debet incurri.

Dices primo: Diſpar eſt ratio de excommunicatione, ac de reſervatione; Illa præſervat præciſe inquantum eſt pœna privans Sacramentis, &c. Hæc vero præſervat, non ſolum ratione pœnæ, ſed etiam quia dum pœnitens adire debet Superiorem, poteſt ab eo graviora, & ſalubriora monita habere, quam ab inferiore; ergo quamvis excommunicatio ignorata non incurratur, non tamen reſervatio.

Reſpondeo, tam legem excommunicationis, quam reſervationis reſpicere & bonum publicum, & pœnam delinquentis, quamvis diverſimode utrumque reſpiciant; quia tamen conveniunt in hoc, quod utraque ſit pœna medicinalis, conveniunt pariter in eo, quod ab ignorantibus non incurrantur; quippe qui dum peccant peccato, cui ſit annexa vel cenſura, vel reſervatio, non ſunt prævaricatores talis legis poſitivæ, quam ignorant, & idcirco non ſunt rei talis pœnæ. Adde, quod etiam in excommunicatione reſervata habeatur hoc, quod per recurſum ad Superiorem poſſit delinquens habere ſalubriora monita ab illo, quam ab inferiore, & tamen etiam excommunicatio reſervata, ſi ignoretur, non incurritur; ergo inter excommunicationem, & reſervationem nulla diſparitas.

III. Dices ſecundo; Reſervatio eſt limitatio juriſdictionis in confeſſario, ſeu ablatio juriſdictionis relate ad tale peccatum; atqui ignorantia pœnitentis non poteſt conferre confeſſario juriſdictionem, quam non habet; ergo ignorantia reſervationis non impedit reſervationem.

Confirmatur, quia ſimplex Sacerdos non poteſt valide abſolvere a mortalibus, etiamſi bona fide pœnitens ad illum accedat. Et ratio eſt;

quia

quia ſimplex Sacerdos non habet juriſdictionem in mortalia; Atqui neque Confeſſarius inferior habet juriſdictionem in mortalia reſervata; ergo neque poterit valide ab illis abſolvere, per hoc quod pœnitens bona fide illi confiteatur ignorans reſervationem, ſeu reſtrictionem juriſdictionis.

Confirmatur ſecundo; quia ignorantia reſervationis, ſi ſit in Confeſſario, non facit, ut valide abſolvat; ergo neque ſi ſit in pœnitente. Et ratio a priori eſt, quia reſervatio fit ad rectam Eccleſiæ gubernationem, quæ expoſcit, ut graviora crimina a Superioribus tantum cognoſcantur; ergo ſive illam ſciant, ſive neſciant pœnitentes, non poſſunt valide abſolvi a reſervatis, niſi ab habentibus poteſtatem in illa.

Reſpondeo, hoc argumentum, quod eſt Achilles Adverſariorum, æque militare contra excommunicationem reſervatam, & contra peccatum in dubio reſervationis; quare ſicut excommunicatio etiam reſervata, eo ipſo quod eſt ignorata, non incurritur, & ideo ceſſat caput, unde per legem, qua reſervatur excommunicatio, limitatur in Confeſſario juriſdictio relate ad illam; & ſicuti ceſſat limitatio juriſdictionis relate ad peccata reſervata, quando dubium eſt de reſervatione; ita pariter quando ignoratur reſervatio. Limitatio itaque juriſdictionis eſt quidem circa peccata reſervata; verum quia accedente ignorantia reſervationis, peccatum non eſt amplius reſervatum, ideo accedente tali ignorantia, ſicut etiam accedente dubio reſervationis, non habetur juriſdictio reſtricta, & limitata in Confeſſario.

Ad primam, & ſecundam confirmationem facilis eſt reſponſio, ſi advertatur, nos non aſſerere, quod ignorantia reſervationis, quæ ſit in pœnitente, conferat Confeſſario juriſdictionem relate ad peccata reſervata; ſed ſolum aſſerimus, quod ignorantia reſervationis, quæ ſit in pœnitente, impediat quominus per legem reſervationis reſtringatur in confeſſario juriſdictio relate ad illa peccata; eo prorſus modo quo impediunt limitationem juriſdictionis, tam dubium reſervationis, quam ignorantia excommunicationis reſervatæ; ſiquidem pœna medicinalis non incurritur ab ignorante illam; Unde fit, quod ſi ignorantia reſervationis ſolum ſit in confeſſario, non per hoc Confeſſarius valide abſolvit a reſervatis, neque ſimplex Sacerdos poteſt valide abſolvere a mortalibus, etiamſi bona fide pœnitens ad illum accedat, quia ſimplex Sacerdos nullo pacto habet juriſdictionem in mortalia. Contra vero Confeſſarius inferior habet juriſdictionem in reſervata reſtrictam quidem per reſervationem, ſed non quoties datur caput impediens reſtrictionem talis juriſdictionis.

Quare a primo ad ultimum, nec reſervationem, neque excommunicationem incurrunt, qui illas ignorant; & quia communiter Doctores inadvertentiam actualem, & oblivionem æquiparant ignorantiæ invincibili, & inculpabili, inde fit, quod non advertens ad pœnam ſive reſervationis, ſive cenſuræ illam non incurrat, non ſecus ac ſi ignoraret; Unde Sanch. lib. 4. cap. 22. docet, quod ſi quis, verbi gratia, in pœnam perjurii voviſſet jejunare, quoties mentitur; ſi deinde mentiatur advertens ad votum non mentiendi, non vero ad pœnam impoſitam jejunandi, peccaret quidem, ſed non teneretur jejunare, ex hoc ſcilicet principio, quod pœna extraordinaria, & medicinalis non incurratur ab eo, qui illam ignorat, aut non advertit ad illam.

IV. Quæritur ultimo; Num peregrini ſubjaceant reſervationi Epiſcopi



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

proprii, quando extra ejus diœceſim verſantur; an vero Epiſcopi loci, ubi obiter degunt ſine animo permanendi, & ſine fixo domicilio; An vero utriuſque, an neutrius? Quod eſt quærere, a quibuſnam reſervatis poſſint hoſpites, & peregrini abſolvi; a reſervatiſne in propria diœceſi, an vero in aliena, an a neutris, an ab utriſque?

Reſpondeo, Pellizar. tract. 6. cap. 2. num. 93., Sancium in ſelectis diſp. diſp. 54., Sayr. lib. 3. cap. 4. Leſſ. lib. 4. cap. 2. num. 49., docere, Peregrinos, qui non habitant alicubi animo permanendi per majorem partem anni, (quod requiritur, ut dicantur ibi habere quaſi domicilium) neque teneri legibus patriæ, ubi non ſunt, neque legibus loci, ubi ſunt peregrini; Quare ſi caſus aliquis ſit reſervatus ab Epiſcopis, tam in patria, quam in loco, ubi degit peregrinus, non incurritur talis reſervatio a peregrino. Hæc tamen opinio communiter non admittitur; quia etiamſi verum ſit, peregrinum neque legibus patriæ, neque legibus loci teneri, adhuc reſervatio, cum ſit reſtrictio juriſdictionis in Confeſſario, poteſt a peregrino incurri.

Equidem plura circa hoc dubium ex Laym. annotavi quæſt. 8. art. 1. Iterum hic adverto, Clem. X. prohibuiſſe regularibus, (& eadem eſt ratio in tali caſu de Confeſſariis ſecularibus) ne abſolvant peregrinos a reſervatis loci, in quo ſit confeſſio, nec a reſervatis in patria ipſius peregrini, quando iſti in fraudem reſervationis adeunt eam diœceſim, in qua caſus non ſunt reſervati, hoc eſt quando id faciunt ad vitandum judicium proprii Paſtoris, ut advertit Platel. num. 909. Et ratio ex Suar. diſp. 25. ſect. 2. num. 9. eſt, quia peregrini ſolum ex tacita conceſſione ſuorum Paſtorum confiteri poſſunt extra propriam diœceſim; hæc autem tacita conceſſio non præſumitur, quando in fraudem, ſeu ad vitandum judicium proprii Paſtoris, atque adeo mala fide vult aliquis confiteri extra propriam diœceſim, ubi peccatum a ſe commiſſum non eſt reſervatum; Quod ſi non fiat in fraudem, ſeu hoc animo, ſed bona fide, abſolvi poterit, quia hic utitur jure ſuo; Etenim eſt probabilis ſententia Suar. diſp. 30. ſect. 1., Lug. diſp. 20. num. 71., Leand. quæſt. 26., & Dian. part. 4. tract. 4. reſol. 109. exiſtimantium, univerſim poſſe peregrinum abſolvi a caſibus reſervatis ſuæ patriæ, dummodo non ſint reſervati in ea diœceſi, in qua ſit Confeſſio; quia judicandus eſt pœnitens juxta leges ejus diœceſis, in qua verſatur. Et eſt pariter probabilis ſententia Soti, & Fagund. lib. 8. ſecundi præcepti Eccleſiaſtici cap. 8. num. 20. docentium, poſſe peregrinum abſolvi a reſervatis, quæ ſint tantum reſervata in ea diœceſi, in qua confitetur, & non in ſua patria; quia reus judicandus eſt juxta leges ſuperioris ſui.

V. Immo Dian. part. 10. tract. 14. reſol. 7. docet, quod ſi diœceſanus ipſe committat peccatum extra propriam diœceſim, ubi non eſt reſervatum, poſſit deinde abſolvi in propria diœceſi, in qua eſt reſervatum; quia commiſit peccatum in loco, ubi nulla habetur reſervatio, adeoque non commiſit peccatum reſervatum. Addit ulterius idem Dian. part. 10. tract. 14. reſol. 7. ex Baucio, Bordon., Bonac., quod ſi quis committat peccatum ab Epiſcopo reſervatum, intra aliquod Monaſterium exemptum, neque incurrat reſervationem, non ſecus ac ſi extra diœceſim illud committeret. Quod tamen non admiſerim, quia monaſterium ſolum quoad monachos eſt exemptum a juriſdictione Epiſcopi, non

ve-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

vero quoad locum; unde peccans in Monaſterio peccat intra diœceſim Epiſcopo ſubjectam, etiam relate ad talem locum, atque adeo reſervationem incurrit; & ita communius docent cum Suar., Con., Pal. apud eundem Dian.

Quod communiter Doctores docent, eſt, Peregrinos abſolvi non poſſe a peccatis reſervatis in utraque diœceſi, videlicet & patriæ, & loci, ubi fit confeſſio, niſi ab habente facultatem in reſervata; Sicut etiam communius docent cum Fagund. loc. citat. contra nonnullos, quod peregrinus, ſive habeat reſervata in propria, ſive in aliena diœceſi, poſſit abſolvi a quocunque Sacerdote habente facultatem ab Epiſcopo ſuo in reſervata; tum quia hoc fert conſuetudo, tum etiam quia ſicut ex conſuetudine, & ex tacito conſenſu Epiſcoporum quilibet confeſſor poteſt abſolvere peregrinos; ita pariter quilibet habens facultatem in reſervata ab Epiſcopo ſuo poteſt abſolvere peregrinos etiam a peccatis alteri Epiſcopo reſervatis.

## ARTICULUS IV.

### Quinam poſſint abſolvere a reſervatis, & quomodo?

*I. Num jurisdictio ordinaria in reſervata competat Pœnitentiario Cathedralis, aut Parocho?*

*II. Quinam poſſint eligere ſibi Confeſſarium, per quem a reſervatis abſolvantur?*

*III. Nequit Superior Sacramentaliter abſolvere a ſolis reſervatis.*

*IV. Qui confitetur Superiori, & obliviſcitur alicujus reſervati, poteſt deinde ab hoc abſolvi a quocumque Confeſſario.*

*V. Si quis jubilæi tempore invalide confitetur, poteritne deinde pariter abſolvi a reſervatis?*

*VI. Quandonam tenetur Superior facultatem concedere ſubdito, ut a reſervatis abſolvatur?*

*VII. Quandonam poſſit Regularis, petita, & non obtenta facultate, a reſervatis abſolvi?*

*VIII. Num poſſit directe a reſervatis abſolvi penitens, ſi injuſte facultas a Superiore denegetur?*

*IX. Quomodo Confeſſarius hanc facultatem petere debeat, ut poſſit ea pro ſe ipſo uti?*

*X. Si petatur facultas abſolvendi Titium a reſervatis pro hac vice, poteritne hic abſolvi a reſervatis commiſſis poſt licentiam obtentam?*

I. Certum eſt primo, poſſe a reſervatis directe abſolvere, tam qui ordinariam, quam qui delegatam habet juriſdictionem in reſervata.

Certum eſt ſecundo, habere ordinariam juriſdictionem in reſervata, tum qui ea reſervavit, (non enim poſſet ea ſibi reſervare, niſi poſſet abſolvere) tum etiam qui in hoc Sacramentali foro eſt reſervanti juriſdictione Superior (dummodo qui abſolvit, ſit Sacerdos; Nam ſi non ſit Sacerdos, poterit quidem reſervare peccata alteri, ſed non ſibi; unde non poterit per ſe ipſum abſolvere, ſed per alium Sacerdotem, cui facultatem concedat.) Hinc fit, quod peccata reſervata Epiſcopo poſſint non ſolum ab Epiſcopo, ſed etiam a Pontifice abſolvi; & quæ reſervantur Superiori locali religionis, poſſunt etiam a Provinciali, & a Generali abſolvi; quia in hoc foro dicuntur eſſe Superiores iis, quibus reſervantur: At Archiepiſcopus non poteſt abſolvere a reſervatis Epiſcopo ſuffraganeo; niſi forte quando illius diœceſim viſitat; quia Archiepiſcopus, licet ſit dignitate ſuperior Epiſcopo, non eſt tamen Superior in hoc foro, cum non habeat im-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

immediatam juriſdictionem in diœceſi ſuffraganei, quando actu illam non viſitat.

Certum eſt tertio, habere juriſdictionem ordinariam in Caſus Epiſcopo reſervatos, tam Vicarium Generalem, quia conſtituit cum Epiſcopo unum Tribunal; quam Vicarium Capitularem, quia Capitulum ſede vacante ſuccedit Epiſcopo. De Pœnitentiario Cathedrali communius negant Doctores apud Dian. part. 9. tract. 9. reſol. 11. Negant etiam Doctores de Parocho, ut videre eſt apud Suar. diſp. 29., & Lug. diſp. 21. num. 3.; ſiquidem Epiſcopi poſſunt ex conceſſione Pontificis reſervare ſibi peccata, & ſic Parochorum poteſtatem limitare. Circa reſervata vero in Religionibus Prælati locales habent ordinariam juriſdictionem in illa, quamvis Parochis comparentur.

II. Certum eſt quarto, delegatam juriſdictionem in reſervata habere, tam illum, cui ea conceditur directe, quam eum, cui conceditur indirecte ab habente juriſdictionem ordinariam. Delegatur autem directe, quando ab Ordinario immediate committitur alicui Sacerdoti talis juriſdictio: Indirecte vero conceditur Sacerdoti juriſdictio in reſervata, quando ab habente poteſtatem in reſervata conceditur alicui pœnitenti facultas eligendi ſibi Confeſſarium, a quo a reſervatis abſolvatur; tunc enim ſi pœnitens eligat Cajum Sacerdotem, conceditur indirecte Cajo talis facultas. Poteſtas autem eligendi ſibi confeſſarium haberi poteſt vel ab homine, vel a conſuetudine, vel a jure. Pontifex habet poteſtatem eligendi ſibi quemcumque Sacerdotem in confeſſarium, cui ſtatim poſt electionem tribuitur juriſdictio, vel a Chriſto Domino immediate, ut multi docent, vel ab ipſomet Pontifice, ut putat Lug. diſp. 15. num. 23.; ſicut Reſpublica eligendo ſibi ſuperiorem, tribuit illi juriſdictionem in ſeipſam. Præterea etiam Epiſcopi in ſua diœceſi poſſunt quemcumque Sacerdotem in confeſſarium eligere, a quo abſolvantur, etiam ab iis reſervatis, a quibus poteſt ipſemet Epiſcopus alios abſolvere; ut conſtat ex cap ult. *de Pœnitentiis, & remiſſionibus*: Extra ſuam diœceſim vero nonniſi ſuum ſubditum approbare poteſt, ut ipſe a non reſervatis in ea diœceſi abſolvatur; Advertitque Suar. diſp. 27. ſect. 2., Prælatos regulares poſſe pariter confeſſarium ſibi eligere, tam ſubditum, quam non ſubditum; non tamen qui eos abſolvat a reſervatis in Religione, a quibus ipſi poſſunt alios abſolvere; quando tamen in religione juxta conſtitutiones a Pontifice approbatas deſignatur illis a Superiore Confeſſarius pro reſervatis, ſi quando in ea incidant; ut late etiam oſtendit Lug. diſp. 20. ſect. 5. Abbatiſſæ non veniunt in hoc privilegio nomine Prælati; unde non poſſunt ſibi Confeſſarium eligere. Dubitatur, Utrum hac in re veniat nomine Prælati Vicarius Generalis Epiſcopi, & Parochus? Aliqui enim affirmant, alii negant apud Leand. diſp. 11. quæſt. 29., & 34., ubi recenſet omnes illos, qui ex conſuetudine, ſeu ex tacita licentia Papæ poſſunt ſibi confeſſarium eligere, videlicet Cardinales, Legatos a latere, Imperatores, Reges, Domeſticos Pontificis, & alios: Ubi etiam addit poſſe Cardinales dare facultatem ſuæ familiæ eligendi ſibi Confeſſarium, & Epiſcopos eximere familiam ſuam a Parocho. Equidem tamen in expoſitione theſis XVI. ab Alex. VII. confixæ docui, quod ſicut poteſt Epiſcopus ſimplicem Sacerdotem ad audiendas ſuarum ovium confeſſiones approbare, (& quidem etiam extra ſuam diœceſim, ſi ſit ſuus ſubditus) & ſic illum eligere ſibi in

con-

confeſſarium; ita pariter idem poſſit Vicarius Capitularis, & Vicarius Epiſcopi Generalis. Contra vero Parochus ſicut nequit ſimplicem Sacerdotem approbare ad audiendas confeſſiones ſuarum ovium, ita nec poteſt eundem ſibi in confeſſarium eligere; Nec poteſt Epiſcopus extra ſuam diœceſim eligere ſibi ſimplicem Sacerdotem in confeſsarium, ſi non ſit ſuus ſubditus.

III. Quæritur nunc primo; An poſſit Superior, auditis ſolis reſervatis, abſolvere pœnitentem Sacramentaliter, illumque confeſſario inferiori remittere pro abſolutione a reliquis mortalibus?

Reſpondeo cum fere communi negative, niſi urgente graviſſima neceſſitate. Ratio eſt, quia de jure divino requiritur integritas materialis confeſſionis, & confeſſio dimidiari non poteſt ſine graviſſima neceſſitate; quando ſcilicet indiget pœnitens Sacramentali confeſſione, nec poteſt integre confiteri; aliter debet Superior ſublata ſolum reſervatione, aut collata abſolutione a ſolis cenſuris reſervatis, remittere pœnitentem ad inferiorem, ut ab omnibus ſimul peccatis ſacramentaliter abſolvatur.

IV. Quæritur ſecundo; An confitens habenti poteſtatem in reſervata, ſi obliviſcatur alicujus reſervati, poſſit deinde a tali reſervato abſolvi directe per alium confeſſarium, qui non habet poteſtatem in reſervata?

Reſpondeo cum communi affirmative; ut videre eſt apud Suar. diſp. 31. ſect. 4., Lug. diſp. 20. ſect. 7. Ratio eſt, quia confeſſarius intendit abſolvere pœnitentem, & uti ſua juriſdictione in illum quantum poteſt; ergo cum poſſit ab illo tollere reſervationem peccati obliti, de facto illam tollit; Nec hoc eſſet ſubdelegare alteri juriſdictionem in reſervata, ſed ſimpliciter tollere reſervationem peccati obliti in foro Sacramentali. Ita Perez diſp. 49. ſect. 4., Con. diſp. 8. dub. 12. num. 91.: Qui etiam cum Cajet., Suar., & aliis putant, reſervationem peccati obliti tolli etiam per confeſſionem invalidam, non tamen ſacrilegam, factam ſive cum habente poteſtatem ordinariam, ſive cum habente poteſtatem delegatam in reſervata; Quod accidit, quando confeſſio eſt invalida, vel ex defectu doloris invincibiliter ignorato, vel ex alio ſimili capite, non vero quando eſt invalida ex defectu materialis integritatis, aut quando ex alio capite eſt ſacrilega. Ratio hujus doctrinæ eſt eadem, quia ſcilicet abſolvens intendit, quantum poteſt, favere pœnitenti. Addit Con., in tali caſu haberi finem intentum a reſervante, quod ſcilicet ſe ſiſtat pœnitens vel coram Superiore, vel coram delegato ab ipſo, ut poſſit melius in viam ſalutis dirigi: Quod tamen non accideret, ſi confeſſio eſſet invalida ex defectu materialis integritatis vincibiliter ignorato, ita ut non exponatur peccatum reſervatum.

V. Rogabis; An pariter qui tempore Jubilæi fecit confeſſionem invalidam, non tamen ſacrilegam, poſſit deinde a quovis confeſſario abſolvi a reſervatis?

Reſpondet Comitol. ex Cajet., Armil., Silveſt., & aliis apud Dian. part. 1. tract. 11. reſol. 18. affirmative, dummodo in tali confeſſione invalida confeſſus ſit peccata reſervata; quia ſic, ut modo diximus, ſatisfecit legi Eccleſiaſticæ reſervationis, adeundo Confeſſarium habentem poteſtatem in reſervata; quamvis non ſatisfecerit legi divinæ confeſſionis, cum confeſſio fuerit nulla. Alii Doctores apud eundem Dian. cum Suar., Henr. verius putant, quod ſi facultas in reſervata detur in ordine ad lucrandas indulgentias, vel jubilæum,

cum

cum vere non lucretur jubilæum qui facit confeſſionem invalidam, nec gaudet beneficio ullo Jubilæi; Unde tenetur adire Superiorem pro abſolutione a reſervatis: Si vero facultas in reſervata detur vel ratione alicujus feſtivitatis, vel ex alio capite, & non in ordine ad lucrandas indulgentias, vel jubilæum, tunc putant probabilem opinionem Comitoli.

Rogabis ulterius: An qui confeſſus eſt cum animo lucrandi jubilæum, & deinde mutat animum, nec vult alia opera adimplere, ſi in ea confeſſione inculpabiliter omiſit aliquod reſervatum, poſſit deinde a quopiam ab illo abſolvi?

Reſpondet Vaſq. quæſt: 81. num. 40. negative; quia facultas eligendi ſibi Confeſſarium pro reſervatis eſt alligata intentioni lucrandi jubilæum; ergo, ea ceſſante, ceſſat pariter talis facultas. Sed verius affirmant Sanch., Portel. apud Dian. part. 3. tract. 4. reſol. 145. Ratio eſt, quia per talem confeſſionem validam factam animo lucrandi jubilæum vere pœnitens præſentavit ſe Confeſſario habenti tunc facultatem abſolvendi a reſervatis; ergo cum vere abſolutionem contulerit confeſſarius animo favendi illi, quantum poteſt, non ſolum abſolvit illum directe a peccatis confeſſis, & indirecte a reſervatis oblitis, ſed etiam abſtulit omnem reſervationem; unde ſolum remanet obligatio in pœnitente confitendi deinde, quando recordatur peccata oblita, cuicumque confeſſario. Præſcindimus hic, An, ſi iſte talis virtute jubilæi abſolvatur directe ab aliquo reſervato, peccet deinde mortaliter, ut docet Suar., mutando animum, & non ponendo alia opera ad aſſecutionem jubilæi; Etenim videtur deficere in re gravi, ad quam ſe obligavit, veluti ex pacto, acceptando beneficium abſolutionis. Verum ſolum venialiter peccare docent Lug., Sanch., Henr., & alii apud Dian. part. 3. tract. 4. reſol. 145, & part. 5. tract. 12. reſol. 42.; quia non deficit in pacto utili promiſſario, ſed utili ipſi pœnitenti.

Ex dictis ſequitur, quod ſi quis lucratus ſit jubilæum abſque confeſſione, (eo quod nullius peccati mortalis fuerit memor; quod fieri poſſe multi probabiliter opinantur) ſi deinde recordetur aliquod reſervatum, poteſt a quopiam abſolvi. Ita Lug. diſp. 20. num. 102., quia per talem conſecutionem jubilæi jam acquiſivit ſibi auctoritatem eligendi ſibi confeſſarium, a quo abſolvatur a reſervatis. *Sic* etiam ſentiunt Sanctarel., & alii apud Dian. part. 3. tract. 4. reſol. 150. Diſſentiunt tamen Suar., Sanch. & alii, qui putant, reſervationem non tolli per lucrationem jubilæi, ſed per abſolutionem datam ei, qui habet animum lucrandi jubilæum; quia tamen in caſu noſtro abſolutio non fuit data, ideo non fuit ſublata reſervatio.

Rogabis demum, ſi tempore jubilæi prorogetur juſtis de cauſis alicui indiſpoſito abſolutio, puta, per duas alias hebdomadas, & die lunæ poſt hebdomadas jubilæi incidat in novum reſervatum, poteritne virtute jubilæi etiam ab hoc reſervato abſolvi?

Reſpondent aliqui apud Dian. part. 3. tract. 4. reſol. 149., poſſe. Negat tamen Lug. diſp. 20. num. 134., quia quamvis prorogetur juriſdictio, non tamen prorogatur relate ad alias cauſas, ſeu relate ad alia peccata commiſſa poſt tempus jubilæi. Certum tamen eſt, etiam poſt jubilæum poſſe pœnitentem abſolvi virtute jubilæi a reſervatis oblitis ante jubilæum commiſſis.

VI. Quæritur tertio; An Superior teneatur concedere facultatem petenti, ut ab alio poſſit a reſervatis abſolvi, ſive id per ſe, ſive per alium petat?

Re-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Reſpondeo cum Perez diſp. 50. ſect. 3., Lug. diſp. 20. ſect. 10., Con. diſp. 8. dub. 14., & aliis, aliquando teneri, aliquando non: Tenetur quidem concedere non ſolum ex charitate, ſed etiam ex juſtitia, & ut ſuo officio Paſtoris, & Medici ſpiritualis ſatisfaciat, quando ſi neget talem facultatem, timetur grave damnum pœnitentis; dummodo tamen ex conceſſione facultatis non ſequatur aliud majus damnum, vel reſpectu ejuſdem, vel reſpectu communitatis. Ratio eſt, quia Medicus tenetur adhibere remedia opportuna, ne ægrotus pereat. Non tenetur vero facultatem concedere, quando facilitas concedendi cederet in damnum pœnitentis, vel communitatis. In dubio autem, num conceſſio cedat in bonum, an in damnum, Superior inclinare debet in partem benigniorem: Etenim, ut habet D. Th. in 4. diſt. 17. quæſt. 3. art. 3. illi, qui ſunt nimis ſoliciti, ut conſcientiam ſubditorum per confeſſiones ſciant, multis laqueum damnationis injiciunt, & per conſequens ſibi ipſis. Expedit proinde aliquando, ut facultatem hanc Superior communicet Confeſſario prudenti, ac docto; cui poteſt illam etiam ita communicare, ut imponat pœnitenti onus ſiſtendi deinde ſe apud ipſum Superiorem, ut docet Suar. diſp. 30. ſect. 5. Laym., & alii communiter; licet id perraro expediat; Non tamen videtur poſſe, aut ſaltem debere imponi præceptum pœnitenti, ut iterum Sacramentaliter confiteatur Superiori, ut docet Perez diſp. 50. ſect. 4.

VII. Quæritur quarto; An facultas hæc a Superiore petita, & non obtenta habeatur pro conceſſa?

Reſpondeo; ſi juſte a Superiore negetur, ſine dubio non habetur pro conceſſa. Quamvis Clem. VIII. pro Regularibus declararit, ut notat Lug. diſp. 20. num. 40., quod ſi Superior inſtante confeſſario ordinario negaverit facultatem abſolvendi a caſu reſervato, & confeſſarius judicet debere concedi, poſſit hic pro ea vice abſolvere pœnitentem Regularem, etiamſi a Superiore licentiam non habeat; Ubi notatur, quod ly *pro ea vice*, intelligatur toties, quoties id acciderit. Immo Quintanadv. Singul. 11., & alii apud Dian. part. 3. tract. 2. reſol. 126., & part. 9. tract. 3. reſol. 15. putant, idem poſſe fieri, ſi viro religioſo, pio, docto, & prudenti, licet non ex deſignatis Confeſſariis domus, negat Superior ejuſmodi facultatem: Quin etiam ex Pelliz. apud Dian. loc. citat. & apud Buſemb. lib. 6. tract. 4. cap. 2. dub. 4. num. 5. id pariter verum eſt, ſi pœnitens ipſe petat hanc facultatem judicans prudenter, & non ex paſſione hallucinante, quod ſibi debeat concedi, & tamen negetur. Et Suar. lib. 4. de Relig. cap. 19. num. 7. notat, Fratribus Minoribus privilegium conceſſum eſſe, ut poſſint ſemel ſine licentia Superioris eligere confeſſarium ſui Ordinis, a quo de omnibus reſervatis, & cenſuris abſolvantur; quinimmo diſpenſentur in omnibus irregularitatibus, excepto homicidio, & mutilatione voluntaria.

Quod ſi Superior injuſte facultatem neget, diſtinguendum eſt; nam vel pœnitens ex rubore non vult adire Superiorem; vel ex alia neceſſitate, ſive phyſica, ſive morali; Si primum, quamvis Superior aliquando peccet illam negando, communior tamen ſententia docet, non poſſe pœnitentem valide abſolvi: In ſecundo caſu poteſt indirecte tantum abſolvi a reſervatis cum onere ſiſtendi ſe coram Superiore, ceſſante impedimento, quando urget vel neceſſitas Communionis, vel dilatio nimia confeſſionis, ut alias diximus.

VIII. Aliqui apud Dian. part. 3. tract. 4. reſol. 79., Henr. lib. 6. cap. 3. docent, poſſe pœnitentem quemcumque etiam directe a reſervatis abſolvi, quando injuſte negatur a Superiore facultas, ut ab aliis abſolvatur; Tum quia in tali caſu habetur licentia præſumpta Superioris majoris, puta Pontificis; tum etiam quia ex cap. *Licet de Regular.*, conſenſus debitus, & injuſte negatus valet, quantum conceſſus; ergo quando Superior debet ex officio Medici Spiritualis etiam ex juſtitia concedere hanc facultatem, ne ſequatur in pœnitente majus damnum, tunc facultas injuſte negata habetur pro conceſſa. Sed non eſt recedendum a doctrina Suar. loc. citat., quod hic in tali caſu ſolum indirecte poſſit abſolvi urgente neceſſitate; cum ratihabitio de futuro non ſufficiat ad juriſdictionem confeſſario conferendam; nec ſit univerſim verum, quod facultas petita, & injuſte negata valeat, quantum conceſſa, ſed in iis dumtaxat caſibus id eſt verum, in quibus in jure id exprimitur, ut quando vult Religioſus in arctiorem Religionem tranſire; prout exprimitur in laud. cap. *Licet*.

Rogabis hic, num ſi injuſte negetur ab Epiſcopo approbatio ad audiendas Confeſſiones, ita Epiſcopus peccet, ut tamen Sacerdos, ſaltem regularis, poſſit confeſſiones audire?

Reſpondeo, hujuſmodi Sacerdotem, etiam regularem, nec licite, nec valide poſſe Sacramentum adminiſtrare, ut diximus quæſt. 8. ar. p. num. 11. Et ratio eſt, quia Trident. requirit approbationem ad validitatem abſolutionis; Quare Alex. VII. damnavit propoſitionem 13., quæ habet: *Satisfacit præcepto annuæ confeſſionis, qui confitetur Regulari Epiſcopo præſentato, ſed ab eo injuſte reprobato*. Et quamvis Benedictus XI. conceſſerit Dominicanis, & Franciſcanis, atque adeo omnibus, qui cum iis communicant in privilegiis, quod poſſint confeſſiones audire, ſi electis a propriis Prælatis recuſent Epiſcopi licentiam dare; huic tamen privilegio derogatum eſt a Trident., quicquid in contrarium docuerit Perez diſput. 42. ſect. 10.

Rogabis ulterius; An, ſi revocetur alicui confeſſario approbatio ſine rationabili cauſa, adhuc poſſit Confeſſiones audire?

Reſpondeo, approbationem, & juriſdictionem datam ad beneplacitum revocari poſſe ex rationabili cauſa, & ſine cauſa rationabili illicite revocari. Præterea putant Bardi in Bullam Cruciatæ part. 2. tract. 5. cap. 1., Boſſius de Jubilæo ſect. 6. cap. 2., Paſqualig., & alii, quod ſi approbatio data ſimpliciter, & abſolute revocaretur ſine rationabili cauſa pertinente ad ſcientiam, vel mores, non ſolum illicita, ſed etiam invalida eſſet revocatio; Ratio eſt, quia cum talis revocatio ſit ſententia Judicis injuſta, non videtur poſſe auferre confeſſario jus, quod habebat ex approbatione prius facta. Ex eo autem quod juxta theſim proſcriptam Alex. VII. non conferatur juriſdictio illi, qui injuſte eſt reprobatus, non ſequitur quod juriſdictio tollatur per ſententiam Judicis injuſtam. Plus enim requiritur ad tollendam Juriſdictionem, quæ juſte poſſidetur, quam ad illam non conferendam; ſicut plus requiritur ad furandum, quam ad non reſtituendum; unde in gravi neceſſitate, in qua licitum eſt non reſtituere, non licet furari.

IX. Quæritur quinto, An confeſſarius uti poſſit pro ſe ipſo facultate obtenta ad abſolvendum a reſervatis; ita ut poſſit ab iis a ſuo confeſſario abſolvi.

Reſpondet affirmative Alphonſus de Leone apud Lug. diſp. 20. ſect. 8.;

Sed

Sed Lug. melius reſpondet, hoc pendere ex verbis, quibus facultas petitur, & conceditur; Si enim Titius Sacerdos dicat Superiori, Unus ex tuis ſubditis petit facultatem, ut a ſuo confeſsario a reſervatis abſolvatur, & Superior reſpondeat, Placet, ſine dubio poterit pro ſeipſo hac facultate uti; Quod ſi dixerit Superiori, Rogo te, ut des mihi facultatem abſolvendi a reſervatis unum ex ſubditis tuis, non poterit certe ea uti pro ſeipſo, cum non poſſit ipſe ſeipſum abſolvere.

X. Quæritur ultimo; An facultas conceſsa ad abſolvendum aliquem a reſervatis pro hac vice, extendatur ad abſolvendum illum etiam a reſervatis commiſſis poſt facultatem obtentam?

Reſpondent affirmative Bonac., Præpoſit., Dian. part. 4. tract. 4. reſol. 109. Sed Azorius negat. Verius videtur dicendum cum Lug. loc. citat., hoc etiam pendere ex modo conceſſionis; Si enim conceditur, ut pro una vice poſſit pœnitens eligere ſibi confeſsarium, a quo a reſervatis abſolvatur, procul dubio poterit abſolvi etiam a reſervatis commiſſis poſt conceſſionem; ſecus vero ſi conceditur facultas abſolvendi pro hac vice Titium a reſervatis commiſſis. Brevitas, quam proſequimur, non patitur, ut de caſibus reſervatis in particulari quæſtionem inſtituamus. Qui de iis aliquid ſcire cupit, conſulat Tamburinum, non quidem in Methodo expeditæ confeſſionis, ſed in Tractatu de Sacramentis, ubi lib. 5. de Pœnitentia, ubi abunde diſputat de caſibus reſervatis Archiepiſcopo in tabella Diœceſis Panormitanæ, (qui plerumque affines ſunt iis, qui in aliis diœceſibus ſolent in tabella Epiſcopo reſervari) necnon de reſervatis in particulari pro Religioſis univerſim, & in ſpecie de reſervatis in Societate Jesu.

# QUÆSTIO X.

## De Sigillo Confeſſionis.

Quærendum primo: Quænam ſit obligatio hujus Sigilli? Secundo, quænam ejus materia? Tertio, quos obliget? Quarto, num poſſit aliquando confeſsarius uti ſecreto in confeſſione habito?

### ARTICULUS I.

De obligatione Sigilli Sacramentalis.

*I. Ex omni, & ſola confeſſione Sacramentali oritur obligatio hujus ſigilli.*

*II. Si quis ad Confeſſarium accedit, ſed non animo confitendi Sacramentaliter, non inducitur iſthæc obligatio; Sicut neque quando error eſt juris, non facti.*

*III. Etiam confeſſio, quæ per accidens non ordinatur ad abſolutionem, trahit obligationem ſigilli.*

*IV. Sigilli violator tria peccata committit, contra juſtitiam, contra fidelitatem, & contra reverentiam Sacramento debitam, ratione cujus non datur in eo materiæ parvitas.*

*V. Orbe univerſo periclitante ſigillum frangi non poteſt.*

*VI. Quænam ſint pœnæ impoſitæ adverſus Violatorem Sigilli?*

I. Dicitur ſigillum confeſſionis obligatio non revelandi, quæ in confeſſione audita ſunt.

Quæritur primo; Ex quanam confeſſione talis obligatio oriatur?

Reſpondeo, ex omni, & ſola confeſſione Sacramentali; Dicitur autem confeſſio Sacramentalis, quam pœnitens bona fide facit ei, quem putat eſſe Sacerdotem, ad abſolutionem recipiendam; etiamſi deinde abſolutionem non recipiat, vel ob ſuam indiſpoſitionem, vel ex defectu poteſtatis in audiente, vel ob aliam cauſam. Ita Con., Henr., Suar., diſp. 33., & alii communiter.

Quare obligat ſigillum primo, ſi Titius confiteatur Cajo fingenti ſe eſſe Sacerdotem. Secundo ſi idem confiteatur Antonio Sacerdoti, a quo non abſolvatur, vel quia non vult proximam occaſionem peccandi vitare, vel quia non acceſſit cum debito dolore, & examine ad Sacramentum recipiendum; vel quia habet reſervatum, a quo non poteſt ab Antonio abſolvi, vel quia non vult illum abſolvere quacumque de cauſa.

II. Contra vero Sigillum hoc non obligat, Primo, ſi Titius ad confeſſionem accedat, non animo ſe accuſandi, ſed animo confeſſorem pervertendi, vel illum liberius injuriandi. Secundo, ſi Titius velit aliquod ſecreto teneri ab Antonio, dicatque illud revelare ſub ſigillo confeſſionis, & hac de cauſa flexis genibus præmittat, confiteor; In hoc enim caſu, licet Antonius ad ſigillum naturale obligetur, ſeu ad ſervandum ſecretum juxta obligationem ortam a jure naturæ; non obligabitur tamen ad Sigillum Sacramentale; cum communicatio ſecreti non ordinetur ad Sacramentum recipiendum. Ita communiter Doctores apud Laym. Tertio, ſi Titius confiteatur Laico, quem ſcit eſſe laicum, putans laicum etiam ad ſigillum Sacramentale teneri. Cajus laicus tenetur quidem ad ſecretum naturale, non vero ad Sacramentale; quia error hic pœnitentis, cum ſit error juris, non refundit in laicum ullam obligationem; ſupponitur enim omnibus notum, confeſſionem non eſſe faciendam laico.

Neque dicas; Confeſſio facta laico, quem pœnitens putabat Sacerdotem, obligat ad ſigillum; quia ex intentione pœnitentis ea confeſſio eſt Sacramentalis; ergo etiam confeſſio facta laico, quem pœnitens ſcit eſſe laicum, ſi pariter ſit Sacramentalis, ex intentione pœnitentis, obligat ad ſigillum.

Nam cum Suar. diſp. 33., conceſſo antecedente, nego conſequentiam; Diſparitas eſt, quia in primo caſu habetur tantum error facti; in ſecundo error juris; In primo caſu error pœnitentis cum ſit circa factum, (videlicet, an revera Cajus ſit Sacerdos) quod non tenetur pœnitens ſcire, deceptio eſt invincibilis, & ideo urget ſecretum confeſſionis; In ſecundo caſu error eſt circa jus (videlicet, an laicus poſſit abſolvere) cum autem teneatur pœnitens ſcire, ſolum Sacerdotem poſſe abſolvere, talis error, quia ſoli pœnitenti imputatur, non debet ullam obligationem inducere in laicum.

III. Rogabis; An obliget ſigillum confeſſionis, quando Titius accedit abſque propoſito recipiendi abſolutionem, eo quod ſciat, ſe non habere propoſitum emendationis, & ſine illo non poſſe abſolvi?

Reſpondeo cum Suar. ſect. 2. Cajet., D. Th., & aliis communiter affirmative; quia hujuſmodi eſſet confeſſio inchoata, dummodo non fiat per jocum: Et idem dicas de eo, qui malitioſe faceret confeſſionem non integram materialiter, ſciens novum Sacrilegium committere, dummodo il-

lam

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

lam faciat ; vel ut pareat aliquo modo præcepto Eccleſiæ , vel ut curetur, & conſulat animæ ſuæ.

Neque dicas, in tali caſu confeſſionem non ordinari ad abſolutionem; ergo non inducere obligationem ſigilli.

Nam diſtinguo antecedens ; non ordinatur per ſe, concedo, per accidens, nego antecedens, & conſequentiam : Eſt enim accuſatio ex natura ſua ordinata ad abſolutionem , inquantum illa eadem confeſſio , accedente propoſito emendationis , eſſet ſufficiens ad abſolutionem recipiendam ; Quod non habetur in confeſſione facta per jocum.

IV. Quæritur ſecundo ; unde oriatur obligatio hujus ſigilli?

Reſpondeo, oriri, tum ex juſtitia, qua tenemur proximi peccata non revelare, ne illum infamemus ; tum ex fidelitate ; Etenim ex quodam veluti pacto inito inter audientem , & confitentem, tenetur Confeſſarius ſecretum non revelare ; tum demum ex ipſa præcipue inſtitutione hujus Sacramenti ; Unde iſtam obligationem inductam eſſe jure divino , non humano , tenent communiter Doctores apud Vaſq. quæſt. 93. art. 4. ; Et colligitur tum ex traditione , & praxi Eccleſiæ ; tum etiam quia obligatio tacendi etiam cum periculo totius Reipublicæ ſuperat facultatem legis humanæ.

Ex dictis ſequitur , Violatorem ſigilli tria peccata committere ; Primum contra juſtitiam ; Secundum contra fidelitatem ; Tertium contra reverentiam debitam Sacramento . Hoc tertium ſemper erit mortale Sacrilegium, quia materia ſigilli parvitatem non habet, ex omnium fere ſententia apud Dian. part. 5. tract. 5. reſol. 8. : contra juſtitiam , & contra fidelitatem ſunt venialia, quando infamia , vel infidelitas eſt in re levi ; Quod ſi ſint in re gravi, ſunt etiam mortalia, cum obligatione reſtitutionis famæ, & damni ſecuti.

V. Quæritur tertio ; Quanta ſit ſigilli obligatio?

Reſpondeo, eſſe tantam, ut in nullo prorſus caſu , ſive publico, ſive privato, ſive Confeſſarii , ſive ipſius pœnitentis, liceat audita in confeſſione revelare , niſi ex ejuſdem pœnitentis expreſſo , liberoque conſenſu ; qui ſcilicet non dolo, non minis, nec metu reverentiali extorqueatur. Unde fit, ut ſi periclitante Republica, & Orbe univerſo, a Judice ipſo de peccato per confeſſionem cognito interrogeris, poſſis cum juramento negare , te illud audiviſſe ; cum pœnitens non tibi , ſed Miniſtro Chriſti illud dixerit ; Atque adeo hoc ipſum jurare potes, Te ſine ulla reſtrictione mentali id aſſerere. Ita communiter Doctores apud Lug. num. 73. fuſe cum Suar. diſp. 33. ſect. 2. , & Dian. part. 5. tract. 11. reſol. 43. contra Gabriel. , & Altiſiodoren. , qui videntur dicere , poſſe Confeſſarium, ne ſit perjurus, confeſſionem revelare.

Quod ſi aliquando putetur pergratum fore pœnitenti , ſigillum reſerare, non proinde id licet ſine expreſſo ejus conſenſu ; quia adhuc confeſſio redderetur odioſa fidelibus, ſi liceret interpretari in hoc mentem pœnitentis ; Unde non ceſſat in tali caſu finis legis . Verum tamen eſt , quod ſi pœnitens incipiat poſt confeſſionem loqui de dictis in confeſſione , tunc facultatem expreſſo facto concederet, quod æquipollet actuali conceſſioni ; Unde poſſet Confeſſarius proſequi ſermonem ; quia pœnitentem incipere , eſt expreſſa conceſſio facta Confeſſario proſequendi. Poteſt etiam Confeſſarius ſtatim poſt abſolutionem de auditis in confeſſione loqui cum pœnitente ; quia tunc moraliter judicatur durare eadem confeſſio. Imo Malder.,

Lug., & Præpoſit. apud Tambur. cap. 8. putant, in aliis confeſſionibus etiam licere; tum quia hujuſmodi loquutio eſſet intra forum Sacramentale; tum etiam quia ea eſt praxis Confeſſariorum etiam timoratorum, dum adeſt rationabilis cauſa; Verbi gratia, quando pœnitens in ſecunda confeſſione aliquatenus tangit ea, de quibus ſe accuſavit in prima.

VI. Quæritur ultimo; Quibusnam pœnis ſubjaceat violator ſigilli?

Reſpondeo, ipſo facto nullam pœnam incurri; Nam in Cap. *Omnis utriuſque ſexus* dicitur, debere violator ſigilli deponi a Sacerdotio, & in arctum Monaſterium detrudi; quæ pœnæ nonniſi poſt ſententiam Judicis incurruntur; Judex autem Eccleſiaſticus, non ſæcularis de hoc crimine judicare debet: Et Inquiſitores tunc ſolum de hoc delicto cognoſcunt, quando quis violaret ſigillum cum errore circa fidem, verbi gratia, putans id ſibi licere, aut aliter de Sacramento ſentiens; ſecus vero procedere non poſſunt, ut docent communiter cum Molſeſ.; cum non ſint ſuſpecti de fide, qui ſigillum violant. Præterea in Cap. *Sacerdos de Pœnit.* diſt. 6. dicitur, quod fractor ſigilli cogatur ad perpetuo, & ignominioſe peregrinandum; Hæc autem pœna in cap. dicto *Omnis utriuſque ſexus* commutata eſt in detruſionem in arctum Monaſterium; Quæ tamen pœna ſolum decreta eſt in Sacerdotem violatorem ſigilli, non vero in alios, videlicet in interpretes, &c., iſti enim ſi ſigillum violarent, pœna extraordinaria pro qualitate delicti puniendi eſſent. Demum putavit Majol. propter hoc delictum irregularitatem incurri; ſed negat Suar. diſp. 33. ſect. 8.

## ARTICULUS II.

### De Materia Sigilli Sacramentalis.

*I. Sub ſigillum cadunt quæcumque in confeſſione audiuntur, ita ut odioſam redderent confeſſionem, ſi revelarentur.*

*II. Num etiam virtutes pœnitentis, aut revelationes, & alia hujuſmodi ſub ſigillum cadant?*

*III. Etiam peccata complicis, & quæ ſunt objectum proprii peccati, cadunt ſub ſigillum; Probabiliter tamen hæc de conſenſu pœnitentis aliquando revelari poſſunt.*

*IV. Cadit pariter ſub ſigillum id, de quo dubitas, an in confeſſione audieris; & quod pœnitens confitetur, putando eſſe peccatum.*

*V. Num cadant ſub ſigillum defectus pœnitentis, qui videntur potius, quam audiuntur in confeſſione?*

*VI. Quomodo ſe gerat Confeſſarius, ſi interrogetur, an abſolverit publicam aliquam meretricem? & an poſſit dare illi ſchedulam Confeſſionis?*

*VII. Quandonam ſigillum violat, qui de auditis in confeſſione loquitur nullam perſonam nominando?*

I. EST materia hujus ſigilli quodcumque teneri debet ſecretum, ne confeſſio reddatur odioſa. Et primo materia hujus ſigilli ſunt omnia mortalia, tam in genere, quam in ſpecie.

Secundo etiam venialia in ſpecie; Unde non poteſt ſine violatione ſigilli Confeſſarius dicere, quod pœnitens confeſſus ſit, verbi gratia, verba otioſa. Poteſt tamen dicere, quod confeſſus ſit venialia in genere; quia non eſſet hoc revelare ullum ſecretum, ſed eſſet dicere, quod ille Sacramentum pœnitentiæ receperit, in

quo

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

quo aliquod veniale ad minimum abſolvi debet. Ita communiter cum Suar. diſp. 33. ſect. 3.: Secus vero ſi diceret, quod confeſſus ſit peccata venialia gravia, aut plene deliberata; ſicuti etiam ſigillum violatur, ſi reveletur pœnitentia gravis impoſita; Eſt autem pœnitentia gravis ex Dian. part. 5. tract. 11. reſol. 31. Corona Beatæ Virginis, non vero unum Miſerere. Violatur etiam ſigillum, ſi Confeſſarius dicat, Titium confeſſum eſſe ſibi venialia, quando ex hoc modo loquendi devenitur in ſuſpicionem, quod alii pœnitentes confeſſi ſint mortalia; ſicut etiam quando Titius ægre fert ab aliis ſciri, quod ſuum Confeſſarium deſeruerit, &c.

Tertio cadunt ſub ſigillum peccata publica audita in confeſſione; unde de homine damnato ad ſupplicium propter publica homicidia, & furta non poteſt Confeſſarius dicere, quod ea cum dolore ſibi cónfeſſus ſit: Cæterum ſi Confeſſarius ea aliunde novit, poteſt de iis loqui, & ea notitia extra Sacramentum uti, dummodo nullum pariat ſcandalum, nec notitia Sacramentali juvetur ad loquendum; ut communiter docent cum D. Th. quæſt. 11. art. 5.: Quare ſi Parochus ſtatuit Titium publicum uſurarium, aut concubinarium arcere a communione, etiamſi Titius ad hoc cavendum illi confiteatur, poteſt Parochus proſequi, & illum a communione arcere, quia nullum adeſſet ſcandalum; cum ſupponatur eſſe publicus uſurarius, aut concubinarius; Ita Laym. cap. 14. num. 3. Alenſ., & alii.

Quarto circumſtantiæ tam mutantes, quam non mutantes ſpeciem, & ea omnia, quæ quamvis ex ſe non ſint peccata, dicuntur tamen in confeſſione præciſe ad magis declaranda peccata.

Idem dicas de iis, quæ quamvis ex ſe non ſint peccata, in confeſſione tamen a pœnitente dicuntur ut neceſſaria, vel utilia ad explicandum ſuum peccatum, etiamſi utilia non ſint: Etenim cum pœnitens ſæpe neſciat diſcernere, quænam ſint neceſſaria ad proprium peccatum explicandum, redderetur odioſa confeſſio, ſi poſſet confeſſarius revelare, quæ inutiliter dicta ſunt a pœnitente putante, quod debeat ea exponere. Quare ſi pœnitens dicat, verbi gratia, ſe eſſe conjugatum, Gubernatorem Civitatis, divitem, &c. quæ ſupponuntur omnibus nota, non cenſetur gravari, ſi confeſſarius ea revelet, quamvis per accidens ea laterent confeſſarium; ſecus vero, ſi dicat ſe eſſe ſpurium, irregularem ex defectu lenitatis, &c.

II. Hinc infertur, quid dicendum, An ſub ſigillum cadant virtutes, revelationes, aliæque gratiæ in confeſſione manifeſtatæ? Reſpondendum, eas cadere ſub ſigillum, ſi manifeſtentur ad melius declarandum aliquod peccatum, puta ingratitudinis, inconſtantiæ, &c.; quia ſunt, ſaltem in obliquo, materia confeſſionis: ſecus vero ſi dicantur ad manifeſtandum confeſſario ſtatum conſcientiæ, ut ab eo melius dirigi poſſit; quia tunc cum non ſint materia confeſſionis, pertinent ſolum ad ſigillum naturale, non Sacramentale. Ita Dian. part. 5. tract. 11. reſol. 30., & Lug. loc. citat. contra Sà, Navar., Henr., Bonac. apud eundem Lug., qui dicunt, non eſſe materiam ſigilli, cum non ſint peccata.

III. Quinto, ſub ſigillum cadunt peccata complicis, quæ ſine expreſſa licentia pœnitentis revelari non poſſunt; ſicut nec objectum proprii peccati, verbi gratia, ſi filius confiteatur dediſſe venenum matri gravidę ex pravo concubitu; quamvis enim mater non ſit complex peccati filii, non poteſt tamen revelari peccatum matris, quod eſt objectum peccati filii. Immo



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Vaſq. quæſt. 93. art. 4. dub. 5. putat, non poſſe pœnitentem dare licentiam confeſſario revelandi peccata complicis, quæ in confeſſione dicuntur, quia quamvis pœnitens poſſit cedere juri ſuo, non poteſt tamen cedere juri Sacramenti, quod poſtulat ſecretum etiam peccatorum complicis. Verum quia Sacramentum poſtulat ſecretum dumtaxat in favorem pœnitentis; ideo Suar. cum aliis communiter probabilius docet, poſſe a pœnitente dari facultatem confeſſario revelandi peccatum complicis; præſertim cum poſſit illud confeſſario extra confeſſionem aperire. Imo aliquando ex charitate tenetur; ſi ſcilicet complex ſit monendus, & corrigendus ad vitandum publicum malum, quamvis raro accidat talis caſus, ut non poſſit alia aptiori via his malis occurri: Sicut rariſſime etiam accidit, ut teneatur pœnitens dare confeſſario facultatem revelandi propria peccata; ſicuti ſi Parochus confiteatur, ſe nunquam habuiſſe intentionem baptizandi parvulos, tenetur dare facultatem aperiendi hoc peccatum, quantum ſatis eſt ad vitandum publicum hoc graviſſimum damnum; nec hoc eſſet contra jus Sacramenti poſtulantis ſecretum; quia in his caſibus pœnitens loqueretur extra confeſſionem.

IV. Demum cadit ſub ſigillum peccatum, de quo dubitas, an audieris in confeſſione; quia ne moleſta ſit confeſſio, præſumendum eſt pro ſigillo, quamvis videatur poſſeſſio ſtare pro libertate loquendi. Ita Bonac. diſp. 5. quæſt. 6. ſect. 5., Suar. diſput. 33. ſect. 4.: Et idem dicas de iis, quæ non ſunt vera peccata, ſed confitentur a pœnitente, putando, quod ſint peccata, ut docet Lug. loc. citat.

V. Quæritur tamen primo; An peccata, & defectus, qui videntur, & cognoſcuntur potius, quam audiantur in confeſſione, cadant ſub ſigillum? Verbi gratia, ſi percipiatur ex modo loquendi pœnitens eſſe blæſus, rudis, ſcrupuloſus, moroſus, impertinentiis confeſſarium moleſtare; imo ſi ipſum confeſſarium objurget, &c.

Reſpondet Lug. diſp. 23. ſect. 3. cum Navar. negative; & doctrinam hanc communem vocat Dian. part. 5. tract. 11. reſol. 50.; Conſilium tamen dat cum Con. confeſſariis, ut ab iis abſtineant: Ratio ex Lug. eſt, quia hæc videt, & percipit potius confeſſarius, quam audit. Unde ſicut quæ ex ſe patent, non dicuntur vi confeſſionis percipi; ita nec cadunt ſub ſigillum. Verum Granad., Tambur., & alii docent cadere ſub ſigillum; quia iſtorum manifeſtatio odioſam reddit confeſſionem. Equidem cenſeo, quod etiam Tambur. permittit, licitum eſſe manifeſtare, quod pœnitens, verbi gratia, ſit blæſus, aut indoctus, quando hi defectus ſunt paſſim obvii, & per accidens confeſſarium latent, ut ſupra dixeram: licitum pariter eſt manifeſtare contumelias, & blaſphemias contra confeſſarium prolatas a pœnitente in confeſſione; quia hæc non ſunt confeſſio peccatorum, nec pertinent ad confeſſionem.

VI. Quæritur ſecundo; An ſigillum frangat, qui diceret, ſe non abſolviſſe meretricem illam publicam?

Reſpondeo, ſine dubio frangere: Quia tamen, ſi diceret, eam abſolviſſe, ſcandalum etiam pareret, idcirco in his caſibus, ſi interrogetur confeſſarius, debet dumtaxat dicere, ſe functum eſſe officio ſuo. Nam ſi dicat, pœnitentem non confeſſum eſſe peccata etiam publice nota, oſtendit, illum eſſe ſacrilegum, quatenus non manifeſtat in confeſſione ſua peccata; ſin dicat, illa confeſſum eſſe, revelat confeſſionem; Unde abſtinere debet ab omni alia reſponſione, & generalibus verbis dicere, Statim obliviſci omnia, quæ in confeſſione audit; A-

li-

liquando tamen expedit pœnitentem laudare, ne ipſa taciturnitas indicium det de peccatis confeſſis.

Hinc ſolvitur dubium illud, An meretrici, verbi gratia, petenti ſchedulam confeſſionis ea danda ſit a confeſſario; quia ceteroqui oſtenderet, illam non abſolviſſe?

Reſpondeo cum de Lug. diſp. 13. num. 87., non debere confeſſarium ſchedulam illi dare; quia cum vere non ſit confeſſa, ne inchoate quidem, non meretur, quod confeſſarius det ſchedulam confeſſionis; Et quamvis hinc inferatur ab aliis, quod abſolutio ſit illi denegata, hoc tamen non habetur ex ulla actione confeſſarii, nec ex omiſſione indebita; Unde non cenſetur confeſſarius frangere ſigillum; Ita etiam Bonac. apud Tambur. contra Con., Fagund., Dian. part. 5. tract. 11. reſol. 22., qui putant debere dari confeſſionis teſtimonium petentibus, ne reveletur eorum indiſpoſitio; quia confeſſarius tantum teſtaretur confeſſionem factam a pœnitente, non vero abſolutionem, quæ non eſt data.

VII. Quæritur tertio; An frangat ſigillum, qui loquitur de auditis in confeſſione, nullam perſonam notando?

Reſpondeo, ab his collocutionibus eſſe abſtinendum; quia periculum ſæpe eſt, ne ſiniſtre de aliquo, vel de aliqua communitate ſentiatur, & aliquando adeſt ſcandalum: Quod ſi utrumque abſit, non eſt contra ſigillum; cum enim ab omnibus ſciatur, quod in magna Republica ſint peccata cujuſvis generis, non frangit ſigillum, nec reddit odioſam confeſſionem, qui diceret, verbi gratia, aliquando audiviſſe in confeſſione, qui ſe de adulterio accuſaret: Quod ſi de aliqua communitate, vel de Religioſo aliquo cœtu, id revelaretur, certe frangeretur ſigillum, & redderetur odioſa confeſſio, quia quilibet eſt pars magna parvæ communitatis.

## ARTICULUS III.

### Quoſnam obliget Sigillum?

*I. Omnes, ad quos quomodocumq; pervenit notitia confeſſionis Sacramentalis, hoc ſigillo ligantur.*

*II. Num etiam ille, cui confeſſarius de licentia Pœnitentis peccatum revelavit?*

*III. Nam pariter is, qui chartam reperit, in qua eſt ſcripta confeſſio?*

*IV. An teneatur Superior ad ſigillum, quando ab eo petitur extra confeſſionem facultas, ut poſſit quis a reſervatis abſolvi?*

*V. Quid de Conſiliario, a quo petitur conſilium in ordine ad confeſſionem?*

I. Certum eſt, præter Confeſſarium, obligari ad ſigillum omnes alios, ad quos Sacramentalis Confeſſionis notitia mediate, vel immediate, juſte, vel injuſte pervenit; Hoc enim ſpectat ad reverentiam Sacramento debitam, ut docent communiter Doctores apud Laym. cap. 74. num. 16. Quare obligatur Primo Interpres; Secundo adſtantes, ſi caſu, vel de induſtria (quod ſine gravi peccato non ſit) confitentis peccata audierint; Tertio laicus, qui pro Sacerdote habetur; Quarto omnes, quibus aliquod ſacrilege revelatum eſt; unde de hoc inter ſe colloqui non poſſunt.

II. Quæritur tamen primo; An teneatur ad ſigillum is, cui Confeſſarius non ſacrilege, ſed de licentia pœnitentis aliquod peccatum revelavit?

Reſpondeo, Navar., Adrian., & alios affirmare. Negat vero cum aliis Con. diſp. 3. dub. 3., quia Confeſſarius in tali caſu gerit vices pœnitentis; Quare ſicut ſi pœnitens manifeſtet Titio extra confeſſionem peccatum, Titius non tenetur ad ſigillum; ita nec ſi a Confeſſario manifeſtetur

Titio peccatum de licentia pœnitentis.

Cenſeo equidem, quod ſi Confeſſarius manifeſtet Titio peccata de licentia pœnitentis ob cauſas ad confeſſionem ſpectantes, puta ad remedium, vel conſilium, teneatur ad ſigillum Titius, quia talis notitia reductive eſt ſacramentalis; Secus vero ſi manifeſtet ob cauſas ad confeſſionem non pertinentes.

III. Quæritur ſecundo; An qui reperit chartam, in qua ſcripta ſunt peccata in confeſſione dicenda, teneatur ad ſigillum?

Reſpondent affirmative Fagund., Dian. Navar. apud Lug. diſp. 23. ſect. 2., quia ibi habetur confeſſio inchoata. Negant probabilius Suar., Henr., & idem Lug.; quia ſigillum oritur ſolum ex confeſſione; talis autem ſcriptura non eſt confeſſio, ſed materia confeſſionis præparata, ut facilius fiat confeſſio: Advertit tamen Lug., in aliquibus caſibus ſine dubio inſpectorem chartæ obligari ad ſigillum; Primo, ſi quis legeret epiſtolam, qua quis petit a Superiore facultatem, ut poſſit ab inferiore abſolvi ab aliquo reſervato, teneretur ad ſigillum; non ſecus ac qui audiret ſubditum petentem a Superiore hanc facultatem. Secundo, ſi mutus, verbi gratia, per ſcripturam præſenti Sacerdoti confiteretur, & hanc Titius caſu legeret, teneretur hic ad ſigillum, quia cum talis ſcriptura ſubſtituatur voci pœnitentis, eſt vera confeſſio. Imo probabile eſt per eundem Lug., quod ſi quis chartam inveniat in confeſſionario, teneatur pariter ad ſigillum, quia talis charta videtur eſſe confeſſio ibi manens.

IV. Quæritur tertio; An teneatur ad ſigillum Superior, ad quem vel ſubditus ipſe, vel Confeſſarius nomine ſubditi recurrit pro facultate neceſſaria ad abſolutionem a reſervatis?

Reſpondeo, Con., Henr., Vaſq., Pal. negare; quia præſumitur pœnitens velle ab obligatione ſigilli evocare, quæ vult extra confeſſionem tractare cum Superiore. Sed probabilius affirmant Lugo ſect. 3., Suar. ſect. 4., Dian. part. 5. tract. 11. reſol. 12.; quia talis notitia vel formaliter, vel reductive eſt Sacramentalis; Nam ſi facultas petitur ab ipſomet ſubdito, eo ipſo petitur ut neceſſaria ad abſolutionem Sacramentalem; Si vero petitur a Confeſſario nomine pœnitentis, petitur ex notitia habita per confeſſionem ſaltem inchoatam, & conſequenter in utroque caſu pertinet talis notitia a Superiore habita ad confeſſionem ſacramentalem. Hic autem Dian., & Suar. advertunt, quod confeſſarius petens a Superiore veniam abſolvendi aliquem a reſervatis nullò pacto debeat explicare perſonam pœnitentis, nec ita explicare caſum, ut Superior venire poſſit in notitiam pœnitentis; Nec Superior poteſt curioſe inquirere cum periculo veniendi in notitiam illius.

V. Ex data doctrina ſequitur juxta Suar., Dian., & alios, quod etiam teneatur ad ſigillum is, a quo de licentia pœnitentis petitur conſilium; Quamvis Vaſq., Mærat., Hurt., & alii apud Dian. reſol. 11. putent, tantum teneri ſecreto naturali: Addo, Medin., Fagund., & Dian. reſol. 44 putare, etiam ad ſigillum teneri conſiliarium, a quo ante confeſſionem petitur conſilium in ordine ad confeſſionem faciendam, ſive cum illo eodem, ſive cum alio. Suar. tamen, Henr., & alii putant, hunc teneri ſolum ad ſigillum naturale; quia ab illo, tamquam amico, non tamquam confeſſario conſilium petitur, etiamſi in ordine ad confeſſionem faciendam.



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

## ARTICULUS IV.

An poſſit aliquando Confeſſarius uti notitia habita in Confeſſione?

*I. Uſum talis notitiæ in ordine ad externam gubernationem olim vetuit Clem. VIII.; & prius Noſtris vetuerat P. Claudius; ac demum Innoc. XI. theſim hac de re loquentem damnavit.*

*II. Quinam uſus notitiæ ex confeſſione acquiſitæ ſit licitus?*

*III. Illicitus eſt univerſim uſus ille, qui reddit confeſſionem odioſam, atque adeo eſt cum gravamine pœnitentis.*

*IV. Quid ſi mors immineat Confeſſario, niſi tali notitia utatur cum aliquali ſuſpicione, quod ex confeſſione ea ſit acquiſita?*

*V. Explicatur triplex genus actionum, quas poteſt Confeſſarius exercere vi notitiæ habitæ in confeſſione cum gravamine pœnitentis.*

*VI. Illicitæ ſunt actiones, quæ inferunt pœnitenti gravamen quodcumque; eſto multo majus levamen ex iis habeat.*

*VII. Confeſſarius vocatus ad confeſſionem audiendam ab eo, a quo in præterita confeſſione ſcandalum paſſus eſt, num poſſit renuere?*

*VIII. Num poſſit Confeſſarius loqui cum pœnitente aliquando de auditis in confeſſione ad corrigendum aliquem errorem in ea commiſſum, petita, & non obtenta ab illo facultate loquendi?*

I. CLem. VIII. in motu proprio anno 1594. præcepit tam Superioribus regularibus, quam Confeſſariis, qui poſtea ad Superioratus gradum fuerint promoti, ne ex notitia, quam de aliorum peccatis in confeſſione habuerunt, ad exteriorem gubernationem utantur. Idem his verbis præceperat Noſtris Claudius Aquaviva anno 1590. dicens: *Tametſi non deſint Doctores, qui ſentiant, ſalvo Sacramentalis confeſſionis ſigillo, juſtis de cauſis licere nonnunquam Confeſſario (cum id fieri poteſt ſine ulla revelatæ confeſſionis ſuſpicione) uti extra confeſſionem notitia in confeſſione habita; Noſtros tamen eam doctrinam ſequi non judicamus: Unde ita prorſus in omnibus caſibus Noſtri ſe gerant, ac ſi in Confeſſione nihil penitus audiviſſent.* Demum Innoc. XI. anno 1682. damnavit propoſitionem illam, quæ dicebat: *Scientia ex confeſſione acquiſita uti licet, modo fiat ſine directa, aut indirecta revelatione, & gravamine pœnitentis, niſi aliud multo majus ex non uſu ſequatur, in cujus comparatione prius merito condemnatur.* His præmiſſis

II. Certum eſt, omnem omnino uſum notitiæ ex confeſſione acquiſitæ neque jure naturali, neque divino poſitivo, neque Eccleſiaſtico prohiberi. Quandoquidem poſſum ex notitia per confeſſionem habita moveri ad orandum Deum pro pœnitente, ad gratias Deo agendas pro ſua miſericordia erga illum, & erga me, ad mihi præcavendum circa aliquod periculum ſive animi, ſive corporis, ad opem aliis ferendam, ne in idem periculum labantur; & ſic in aliis rebus, in quibus nulla habetur ſuſpicio revelandi confeſſionem neque directe, neque indirecte, & nullum infertur gravamen pœnitentibus. Dubium proinde eſt, An poſſim ea notitia uti, quando ſine revelatione Confeſſionis poſſum vel mihi conſulere, verbi gratia, non bibendo Calicem, in quo ſcio ex confeſſione mihi paratum eſſe venenum, ſi alii ſuſpicentur, id ex confeſſione mihi fuiſſe notum; Vel conſulere bono ipſius pœnitentis, verbi gratia, non dando illi Parochiam,



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

vel ſuffragium ad illud munus, quo illum eſſe vel indignum, vel abuſurum ſcio ex iis, quæ mihi in confeſſione aperuit; vel in aliis ſimilibus caſibus.

Nonnulli apud Th. Sanch. lib. 3. de Matrim. diſp. 16. quæſt. 1. docuerunt; Primo poſſe Prælatum amovere ab officio Titium, quem ex confeſſione cognovit non recte fungi officio ſuo, quando nemo præter ipſum Titium ſuſpicatur, amotionem hanc ab officio fieri dependenter a notitia confeſſionis. Secundo, Confeſſarium poſſe negare Titio ſuffragium ſecretum ad prælaturam, ſi ex confeſſione ſciat, illum eſſe indignum. Tertio, Parochum poſſe negare Euchariſtiam occulte illam petenti, ſi ex confeſſione noſcat, eſſe in ſtatu peccati mortalis; necnon negare aſſiſtentiam alicui Matrimonio, quando ex confeſſione cognovit contrahi cum impedimento dirimente; Et Epiſcopum negare Ordines Sacros ei, quem ex confeſſione cognovit irregularem. Ratio doctrinæ eſt, quia in his caſibus non revelaretur ſecretum confeſſionis; Nam ſolus ille, qui ea peccata confeſſus eſt, poſſet ſuſpicari ſibi ob peccata commiſſa, hoc, vel illud negari; Atqui reſpectu ipſius res in confeſſione dictæ non ſunt ſecretæ, cum ipſemet eas dixerit; ergo ſine revelatione ſecreti, & violatione ſigilli tales actiones exerceri poſſunt.

III. Verum nullatenus licere hujuſmodi actiones, docent communiter Doctores cum eodem Sanch. loc. citat., & conſtat ex prohibitionibus adductis. Ratio eſt, quia non ſolum revelatio ſecreti eſt prohibita, ſed etiam quodcumque redderet confeſſionem odioſam; Atqui ſi ſcirent homines, hujuſmodi opiniones eſſe probabiles, eo ipſo redderetur odioſa confeſſio, & multi dimidiatam eam facerent, ſi noſſent, periculum hujuſmodi ſibi imminere ex integritate confeſſionis; ergo hujuſmodi opiniones non ſunt ullo pacto ſequendæ.

Confirmatur, quia ſigillum confeſſionis non ſolum obligat ad non revelandum aliis crimen pœnitentis, ſed etiam ad non objiciendum illi, aut exprobrandum verbo, aut facto ſuum peccatum: Quæ autem major exprobratio, quam amovere illum tamquam indignum ab officio, negare ſuffragium, aut Ordines Sacros, aut aſſiſtentiam debitam matrimonio, &c.? Quare illæ ſolum actiones ortæ ex notitia Sacramentali ſunt permiſſæ, quæ nullum ex ſe gravamen afferunt pœnitenti; quæ vero gravamen afferunt, non permittuntur: Hinc ſi ex confeſſione ſciam, verbi gratia, Sortem, cui ſoleo confiteri, eſſe Sacerdotem fictum, & gravaretur, ſi non amplius illi confiterer, debeo apparenter illi confiteri, & confeſſionem meam veram alteri facere, ut docet Lug. num. 105.: Eſto Sanch. loc. citat., Granad., Fagund. putent, in tali caſu non eſſe rationabiliter invitum Sortem, ſi quæſito colore non amplius illi confiterer; Et eodem modo non eſſe rationabiliter invitum famulum, ſi Dominus ſciens ex confeſſione eſſe furacem, non dat illi amplius pecuniam expendendam citra periculum revelationis confeſſionis; cui tamen ſententiæ non ſubſcribo.

IV. Pariter, ſi ex confeſſione Sortis ſciam, parari mihi inſidias, & in Calice, verbi gratia, propinari venenum, puto cum Lug. num. 100., Suar. ſect. 3., & aliis communiter, non poſſe me ſine licentia Sortis omittere Sacrum, quando ex omiſſione Sacri ſocii criminis ſuſpicarentur peccatum a Sorte confeſſum: Contrarium tamen tenet Perez diſp. 44. ſect. 13.; quia Sacerdos faciendo id, ex alio prætextu, nullo modo revelaret confeſſionem; Unde poſſet fugere, etiam-

etiamſi ex fuga deberet ipſe pœnitens occidi; cum nemo teneatur exponere periculo propriam vitam, ut ſalvet alienam. Sed neque huic ſententiæ ſubſcribo; Imo puto, non ſolum eſſe cavendam ſuſpicionem probabilem peccati in confeſsione auditi, ut docent Scot., & Medin. apud Lug. n. 106., ſed etiam cavendam eſſe omnem omnino ſuſpicionem, etiamſi non ſit probabilis, ut docent Tabien., & Lug. Ratio eſt, quia ſicut poſſunt Carthuſiani obligare ſe ad abſtinendum a carnibus, etiam cum evidenti diſcrimine vitæ; & ſicuti in nullo caſu permittitur fornicatio, pollutio, &c.; ita pariter cum periculo vitæ poſſumus in reverentiam Sacramenti obligari, & de facto a Chriſto Domino obligamur ad abſtinendum ab iis omnibus, quæ odioſam reddunt confeſsionem. Addit Lug. num. 116., quod ſi quis audiendo confeſsionem Sortis exponat ſe periculo peccandi, debet potius confeſsionem Sortis audire, & ſperare, quod non ſit lapſurus in peccatum, quam nolle confeſsionem audire, quando ſic illi exprobraret peccata præterita in confeſsione audita: Sicuti qui non poteſt periculum peccandi evadere, niſi mentiendo, debet abſtinere a mendacio, & ſperare, quod in eo periculo non ſit lapſurus.

V. Ad majorem doctrinæ claritatem adnotandum cum Tambur. lib. 5. cap. 6., triplicis generis eſſe actiones pœnitenti ingratas, quas Confeſſarius ex vi notitiæ habitæ in confeſſione poſſet exercere.

Primo, aliquæ verſantur circa perſonam ipſam pœnitentis, & ſpectant ad juſtitiam commutativam; ut negare illi debita, illum punire, parare illi inſidias, ut in delicto audito in confeſsione deprehendatur, tollere illi jus acquiſitum, &c.

Secundo, aliæ actiones verſantur pariter circa perſonam pœnitentis, ſed ſpectant ad juſtitiam diſtributivam, vel ad miſericordiam, aut aliam virtutem; ut negare illi ſuffragium, aut eleemoſynam, aut Sacramenta, quæ aliter non eſſes negaturus, tollere illi officium amovibile, expellere e domo famulum, qui confeſſus eſt ſua furta, aut oſtendere illi vultum ſeveriorem, minuſque grate cum eodem loqui, non colloqui cum excommunicato vitando, &c.

Tertio demum, aliæ actiones non exercentur circa perſonam pœnitentis immediate, ſed contra illam pariter recurrunt; ut cuſtodire res vigilantius, claudere fores, aut arcas alia clavi, ne iterum furtum patiaris, aut ne domo egrediatur ſubditus, nolle egredi domo ad Sacrum faciendum, quia in confeſsione audiſti paratas tibi inſidias, & alia hujuſmodi, quibus pœnitens impeditur, ne iterum peccet abſque ullo extrinſeco ſuo incommodo. His explicatis

Certum eſt, primi generis actiones nunquam licere, in quo omnes Doctores conveniunt; Addentes, quod ſi judicium aliquod ſit inſtitutum contra Reum, & inveniatur, notitiam aliquam, etſi leviſſimam, ortum habuiſſe a confeſſione, tunc omnes actus ſint nulli, & irritandi.

Circa actiones ſecundi, & tertii generis, licere docent ad triginta quinque Auctores apud Th. Sanch. lib. 3. de Matrim. diſp. 16. num. 4., inter quos D. Th., Scot., Sot., Suar., & alii; quia nimirum in iis caſibus ſupponitur, quod ſolus pœnitens advertat, ea fieri a Confeſſario propter peccata in confeſſione audita; non eſt autem revelare confeſſionem, nec aperire ſecretum, quando nulli alteri communicatur: Ex alia parte pœnitens non habet jus abſolutum ad eas actiones; unde non fit illi injuria, nec frangitur ſigillum, ſi eæ negentur.

Ve-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Verum ipſe Sanch. putat, actiones ſecundi, & tertii generis nullatenus licere, ne ſic in odium fidelium incidat confeſſio; Sicut enim non licet colloqui cum pœnitente de peccatis in confeſſione auditis; ita nec licet eas actiones exercere, quibus pœnitens confundatur; unde confeſſarius eodem modo debet ſe gerere cum pœnitente, ac ſi nihil ab eo audiſſet, nullam actionem illi ingratam exercendo.

Demum Tambur. ex Con. diſp. 9. dub. 4., & Pal. punct. 19. §. 3. diſtinguunt inter actiones ſecundi, & tertii generis; ac putant, actiones ſecundi generis non licere actiones vero tertii generis licere, quia illæ redderent confeſſionem odioſam, non iſtæ; Et pœnitens rationabiliter eſt invitus circa illas, non circa iſtas.

VI. Equidem cenſeo, actiones ſecundi generis non licere; quia vim habent punitionis, aut reprehenſionis; unde retardaretur a confeſſione pœnitens, ſi illæ licerent: Actiones etiam tertii generis nec licere dicendum eſt, quando aliquo modo ex iis pœnitens gravaretur, vel veluti indirecte reprehenderetur; ſi enim vigilantior eſſet Superior, verbi gratia, circa obſervantiam regularum, quando ex confeſſione noſcit, aliquam illarum occulte violari, certe gravaretur ſubditus. Et quamvis hoc ferat majus bonum ſubditi; At non proinde licet, ut conſtat ex ea propoſitione damnata ab Innoc. XI., quam fuſe in Trutina expoſuimus in Append. §. 7. quæ aperte habet: *Scientia ex confeſſione acquiſita uti licet, modo fiat ſine directa, aut indirecta revelatione, & gravamine pœnitentis, niſi aliud multo majus ex non uſu ſequatur, in cujus comparatione prius merito contemnatur.* Quare ſi Sortes confiteatur propoſitum occidendi aliquem, non poteſt Confeſſarius efficere, ne ſequatur homicidium, quod Sortes in carcere includatur propter debitum pecuniarium, verbi gratia, aut ex alio capite; quia quamvis multo majus ſit gravamen Sortis, quod committat homicidium, & pœnam ejus ſubeat, quam ſit gravamen, quod haberet ex carcere propter æs alienum; At hoc prohibetur ab Innoc. XI., uti ſcilicet ſcientia habita in confeſſione, cum gravamine pœnitentis, etiamſi talis uſus deſerviat ad vitandum majus ejus gravamen.

Quare bene docet Piſan. in Clypeo Gedeonis, quod aliquando actiones tertii generis inferant gravamen, aliquando levamen pœnitenti; proinde illæ non licent, iſtæ licent: Verbi gratia, ſi ex confeſſione ſciam, Sortem habere Bertam concubinam, & alio prætextu efficiam ſine ulla indirecta revelatione confeſſionis, ut careat opportunitate adeundi Bertam, hic uſus eſt in levamen, non in gravamen pœnitentis, quia nullum honeſtum ſolatium poteſt habere ex conſortio cum Berta: Quod ſi efficiam, ut Sortes non ſolum careat opportunitate adeundi Bertam, ſed etiam egrediendi domo, ut ſolebat, ad honeſtam recreationem captandam, & eatenus ne poſſit Bertam adire, certe ſubiret aliquod gravamen Sortes, quamvis ad præcavendum peccatum cum Berta, quod eſt gravamen majus; & proinde nullo pacto licet.

VII. Quæritur nunc primo; An Confeſſarius, cui pœnitens minatus eſt mortem, niſi ipſum abſolvat, ſi iterum vocetur ad audiendam confeſſionem, poſſit renuere ſine fractione ſigilli?

Reſpondeo cum Perez ſect. 13. poſſe; quia minæ illæ non fuerunt materia confeſſionis, ſed peccatum ibi commiſſum; Unde ſicut poſſet fugere Confeſſarius, quando pœnitens vult illum occidere; ita quando timet,

met, ne iterum mortem ſibi minetur, poteſt illum nolle audire.

Hinc infertur cum Lug. num. 116., quod poſſit pariter Confeſſarius vocatus ad audiendam confeſsionem illius, a quo ſcandalum eſt paſſus, ſalvo ſigillo non ire; quia vel ſcandalum oritur a malitia pœnitentis, vel a fragilitate ipſius Confeſſarii; Si primum, jam tale ſcandalum, ſeu provocatio ad malum non eſſet materia confeſſionis, ſed peccatum patratum in confeſſione; ſi ſecundum, jam nullum peccatum pœnitentis revelatur.

VIII. Quæritur ſecundo; An Confeſſarius, qui erravit in abſolutione, vel abſolvendo verbi gratia ab excommunicatione, a qua non poterat, vel non injungendo reſtitutionem, ad quam pœnitens tenebatur, &c., poſſit petita a pœnitente, & non obtenta facultate loquendi de auditis in confeſſione, adhuc proſequi, & illum advertere?

Reſpondeo, Suar. diſp. 33. ſect. 5. cum Filliuc. cap. 11. quæſt. 5. affirmare: Sed communis ſententia negat apud Dian. part. 5. tract. 11. reſol. 18., & part. 1. tract. 1. Miſcellan. reſol. 12. & apud Perez ſect. 14. Ratio nonnullorum eſt, quia in tali caſu Confeſſarius non loqueretur extra confeſſionem, ſed perficeret, & ſuppleret eam, quæ inchoata, & imperfecta remanſerat. Hæc tamen ratio communiter rejicitur, quia ſic poſſet Confeſſarius per totam vitam objurgare, & monere pœnitentem de peccatis in confeſſione auditis, ſi non reprehendit tunc ſatis pro merito delictorum; quod tamen nemo dixerit. Adde, quod ſi non loqueretur in tali caſu Confeſſarius extra confeſſionem, nulla eſſet ratio, quare deberet prius veniam loquendi petere a pœnitente: Quare cum judicium vere ſit finitum poſt abſolutionem, dicendum, quod nullo pacto poſſit Confeſſarius de auditis in confeſſione loqui cum pœnitente, facultate ab ipſo non obtenta; Niſi forte, ut alias diximus, immediate poſt abſolutionem eſſet aliquid addendum; (quia tunc cenſetur moraliter perſeverare idem judicium) Vel in ſequentibus confeſſionibus recurreret ſermo de auditis in confeſſione; tunc enim juxta praxim Confeſſariorum timoratorum, & opinionem plurium Doctorum, etiam licet de auditis in prima confeſſione iterum loqui.

Quando autem teneatur Confeſſarius facultatem a pœnitente petere loquendi de auditis in confeſſione, ad corrigendum errorem aliquem in ea commiſſum, ſive ſpectantem ad valorem Sacramenti, ſive ſpectantem ad damnum tertii, ſive ad aliud quodcumque, puta ſi non explicavit pœnitens numerum, aut ſpeciem peccati, aut ſi non fuit monitus ad relinquendam occaſionem peccati, ſive quid ſimile, abunde diſcuſſimus quæſt. 8. art. 5. num. 10., ſive error irrepſerit bona, ſive mala fide.

QUÆ-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# QUÆSTIO XI.

## De Indulgentiis.

OCcaſione ſatisfactionis Sacramentalis in tractatu de Pœnitentia conſuevere quamplures de Indulgentiis agere, vi quarum poſſumus pro culpis noſtris abunde ſatisfacere. Equidem plurima de iis dixi in Opuſculo de Jubilæo, præſertim anni Sancti; non omittam tamen hic de iiſdem nonnulla primoribus labris delibare; inquirendo primo, Quid, & quotuplex ſit Indulgentia; ſecundo effectus Indulgentiarum; tertio, quinam poſſit Indulgentias concedere; quarto, qualis cauſa requiratur ad legitimam Indulgentiarum conceſſionem; ultimo, qualis diſpoſitio requiratur in eo, qui lucraturus eſt Indulgentias.

### ARTICULUS I.

### Quid, & quotuplex ſit Indulgentia?

*I. Quomodo theſaurus Eccleſiæ per Indulgentias diſtribuatur.*
*II. De Indulgentia Totali, & Partiali; necnon de Perſonali, Locali, & Reali.*
*III. Ad Localem Indulgentiam lucrandam quid requiritur?*
*IV. Num poſſimus eadem die pro defunctis pluries plenariam Indulgentiam lucrari?*
*V. Num diruta Eccleſia ceſſet Indulgentia eidem annexa?*
*VI. Num requiratur phyſicus in Eccleſiam ingreſſus ad localem Indulgentiam lucrandam?*

I. QUæritur primo, quomodo definiatur Indulgentia?

Reſpondeo, communiter ex Suar. diſp. 49. ſect. 4. definiri, quod ſit *Actus quidam ſpiritualis juriſdictionis, quo peccator in foro Dei liberatur a reatu pœnæ temporalis extra Sacramentum*. Clarius definitur a Clem. VI. in Extravag. *Unigenitus* de pœnitentiis, & remiſſionibus, quod ſit *Pœnæ temporalis Deo debitæ remiſſio extra Sacramentum, per applicationem ſatisfactionis Chriſti, & Sanctorum*.

Ut altius hæc definitio percipiatur, ſciendum eſt, Chriſtum Dominum, utpote omnium Redemptorem, infinitam ſatisfactionem obtuliſſe Deo Patri pro peccatis ſive mortalibus, ſive venialibus totius Mundi; ac præterea ſatisfactionibus Chriſti Domini, quæ ex ſe ſunt infiniti valoris, ſuperaddi ſatisfactiones, ſeu opera ſatisfactoria Beatiſſimæ Virginis, & Sanctorum, ex quibus omnibus conſtituitur Eccleſiæ theſaurus.

Hic autem theſaurus, qui ex ſolis Chriſti Domini meritis eſt ſimpliciter infinitus, & ſimpliciter inexhauribilis, ut proſit hominibus, & pro eorum peccatis actu, & realiter ſatisfaciat, debet iis applicari; divitiæ enim ditare non poſſunt pauperem, niſi per appropriationem illi moraliter applicentur; ſicut nec pharmacum curat ægrotum, niſi phyſice illi applicetur. Quare applicatio Theſauri Eccleſiæ vel fit per ſpecialem Chriſti Domini voluntatem; ſicut quando dixit Magdalenæ, *Remittuntur tibi peccata tua*, & Latroni, *Hodie mecum eris in Paradiſo*; vel per uſum Sacramentorum,

rum, & præſertim Baptiſmi, in quo non ſolum quoad culpam, ſed etiam quoad pœnam peccatum omne remittitur; vel per voluntatem ſummi Pontificis, utpote Chriſti Vicarii, cui Chriſtus Dominus ſui Theſauri diſpenſationem commendavit, quando dixit, *Tibi dabo claves Regni Cœlorum; quodcumque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in Cœlis*; cum autem reatus pœnæ ſit aliquod vinculum impediens ingreſſum in Patriam, eſt in poteſtate Pontificis a Chriſto ſervatore ad hoc delegati, illud ſolvere per diſpenſationem theſauri, quem ſuæ curæ, ac poteſtati commiſit.

II. *Q*uæritur ſecundo; quotuplex ſit Indulgentia.

Reſpondeo, dividi primo in Totalem, & Partialem, ut habetur in dicta Extrav. *Unigenitus*, ubi Clem. VI. docet, *Theſauri Eccleſiaſtici diſpenſationem Petro eſſe commiſſam, nunc pro totali, nunc pro partiali remiſſione pœnæ temporalis pro peccatis debitæ applicandam*. Per totalem, quæ & plenaria dicitur, remittitur tota pœna, quæ eſſet in Purgatorio luenda; per Partialem vero ſolum pars pœnæ.

Neque dicas, quod ſi per totalem, ſeu plenariam tota pœna remitteretur, non poſſet dari Indulgentia plenior, ſeu largior, & pleniſſima; atqui in Sacris Canonibus ea reperitur: Siquidem in Extravag. Bonifac. VIII. *Antiquorum* de *pœnitentiis, & remiſſionibus* dicitur: *Non ſolum plenam, largiorem, imo pleniſſimam omnium tuorum concedunt veniam peccatorum*; ergo Indulgentia totalis, ſeu plenaria non remittit totam pœnam.

Reſpondeo enim cum Suar. diſp. 50. ſect. 4, Sot., & aliis communiter, Indulgentiam plenariam, plenam, largiorem, pleniſſimam non differre inter ſe quoad rem, ſeu effectum proprium Indulgentiæ; cum quælibet totam pœnam remittat; addi tamen aliquando a Pontifice illa verba, *largiorem, immo pleniſſimam* ſolum ad uberiorem explicationem ſuæ diſpenſationis, & ad magis exaggerandam gratiam, quam concedit.

Partialis indulgentia pœnam illam remittit, quæ in ejus conceſſione exprimitur; aliquando enim indeterminate proportionaliter ad culpas, ut quando remittitur tertia pars pœnæ pro peccatis debitæ; aliquando vero determinate, ut quando conceditur indulgentia ſeptem annorum, ſeu unius quadragenæ; per quam conceſſionem ſenſus eſt, remitti pœnam illam, quæ remitteretur per pœnitentiam ſeptem annorum, vel unius quadragenæ, ſeu quadrageſimæ ab Eccleſia, ut olim fiebat, impoſitam, & a pœnitente completam, ut docent Sot., Palud., & alii communiter apud Suar. diſp. 50. ſect. 5.

Dividitur ſecundo Indulgentia in Perſonalem, Localem, & Realem. Perſonalis eſt, quæ Perſonæ conceditur, ut ſi Pontifex concedat Cajo Indulgentiam, quoties communicat, ubicumque ſit. Localis eſt, quæ addicitur loco; ut ſi concedatur Indulgentia viſitanti Eccleſiam Cathedralem. Realis eſt, quæ affigitur alicui rei, puta Cruci, Imagini, Roſario, &c.; quæ ab iis acquiritur, qui coram tali imagine, vel per tale Roſarium has, vel illas orationes impoſitas ad Deum fundunt.

III. Dubium eſt primo circa localem Indulgentiam; Num quando conceditur Indulgentia viſitantibus aliquam Eccleſiam, ſatis ſit illam ingredi, an vero requiratur pium aliquod opus, & quale?

Reſpondeo, in viſitatione Eccleſiæ illud pium opus debere poni, quod in conceſſione indulgentiæ præſcribitur; Quod ſi nullum præſcribatur, tunc viſitanda eſt Eccleſia pie, & religioſe, atque adeo orando ibi aliquan-



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

tiſper, ſive mentaliter, ſive vocaliter; cum viſitanda ſit Eccleſia, quæ a Chriſto Domino dicitur eſſe domus orationis.

IV. Dubium eſt ſecundo; An ſi pluries Eccleſia viſitetur, poſſit pluries acquiri plenaria indulgentia tali Eccleſiæ conceſſa?

Reſpondeo cum Suar. diſp. 17. ſect. 1. & aliis communiter, diſtinguendum eſſe; vel enim conceditur indulgentia indefinite viſitantibus Eccleſiam, vel definite quoad tempus, verbi gratia in die talis feſti; Si primo modo concedatur, poteſt pluries in eodem die acquiri; ſecus vero, ſi ſecundo modo. Ratio eſt, quia quando indulgentia conceditur indefinite, non eſt veriſimile concedi pro una tantum vice tota vita. Neque poſſumus rationabiliter illam limitare ad ſemel in anno, aut etiam in hebdomada; quare intelligi poteſt ſolum limitata ad ſemel in die, quæ determinatio habetur, tum ex communi uſu, & conſuetudine, tum ex decreto Innoc. XI. Quamvis Navar., & Laym. cap. 3. cum aliis docuerint, poſſe etiam pluries in die acquiri, ſi pluries devote, ac pie viſitetur. Quod ſi indulgentia conceſſa ſit definite quoad tempus pro una tantum vice, unicuique conceſſa cenſetur, ut docet Suar. loc. citato. Notandum tamen, quod in Opuſculo de Jubilæo quæſt. 6. art. ult. fuſius proſecutus ſum, videlicet probabile eſſe, quod poſſimus Indulgentiam plenariam eodem die pluries lucrari, ſi illam pro variis defunctis applicemus, quin id adverſetur decreto Innoc. XI.; tum quia in revocatione Indulgentiarum non intelliguntur revocatæ Indulgentiæ applicabiles pro defunctis, niſi id exprimatur, cum revocatio Indulgentiarum ſit odioſa, atque adeo reſtringenda; tum etiam quia ſic ſtat fixum decretum Innoc. XI.; quod nemo pluries eodem die plenariam Indulgentiam lucretur, ſi illam pluries non pro ſe, ſed pro variis defunctis acquirat.

V. Dubium eſt tertio; an diruta Eccleſia, pereat indulgentia, quæ viſitantibus illam fuerat conceſſa?

Reſpondeo, cum eodem Suar., quod ſi paulatim diruatur, & paulatim reficiatur, Indulgentia perſeveret; Sicut pariter perſeverat talis Eccleſiæ conſecratio; quia ſemper Eccleſia eſt eadem moraliter, quamvis nihil antiquæ Eccleſiæ remaneat; ſecus vero, ſi tota ſimul deſtruatur, & reædificetur. Et idem dicas proportionaliter, ſi alicui Roſario indulgentia affigatur.

VI. Dubium eſt quarto; An ſatis ſit extra Eccleſiam preces fundere ad lucrandam indulgentiam, quando quis non poteſt præ turba illam ingredi?

Reſpondeo affirmative cum Suar. diſp. 52. ſect. 1. Laym. cap. 3. Et ratio eſt, quia in tali caſu cenſetur homo moraliter Eccleſiam ingredi: Sicut communiter docent Doctores ſatisfieri præcepto audiendi Miſſam ab eo, qui ita eſt extra Eccleſiam, ut faciat unum moraliter cum aliis, qui intra Eccleſiam Miſſam audiunt.

Dividitur ultimo Indulgentia in perpetuam, & temporalem; illa perſeverat, donec revocetur; iſta ad tempus determinatum conceditur; unde eo finito ceſſat.

## ARTICULUS II.

### De Effectibus Indulgentiæ.

*I. Num per Indulgentiam culpa venialis aliquando remittatur?*

*II. An qui lucratur Indulgentias, poſſit per illas eximi tum ab injunctis pœnitentiis, tum etiam ab aliis penis in Purgatorio luendis?*

*III. Quid ſi in Bulla exprimatur, Indulgentias concedi pro pœnis injunctis?*

IV.

*IV. Citra Pontificis conceſſionem non poſſunt Indulgentiæ nobis conceſſæ pro defunctis applicari.*

*V. Quid requiritur, ut Indulgentiæ defunctis proſint?*

*VI. Etiam peccator poteſt Indulgentiam pro defunctis lucrari.*

*VII. Num Indulgentiæ defunctis applicatæ proſint illis infallibiliter?*

I. DIximus Indulgentiarum effectum eſſe remiſſionem vel totalem, vel partialem pœnæ temporalis pro peccatis luendæ in Purgatorio.

Quæritur nunc primo; An per Indulgentias peccatum aliquod remittatur?

Reſpondeo, certum eſſe, nullum mortale quoad culpam remitti per Indulgentias; etenim ex Trident. ſeſſ. 14. cap. 4. Juſtificatio impii poſt Baptiſmum fieri non poteſt ſine contritione, aut ſaltem attritione conjuncta cum Sacramento. De venialibus eſt pariter quaſi certum, quia non remittitur in hac vita culpa venialis ſine infuſione gratiæ, quæ per Indulgentiam non confertur, ut communiter docent, & conſtat ex indulgentiæ definitione.

II. Quæritur ſecundo; An per Indulgentias poſſit quis liberari non ſolum a pœnitentiis ſatisfactoriis ſibi injunctis in Confeſſione Sacramentali, ſed etiam ab omnibus aliis in Purgatorio luendis?

Reſpondeo cum communi affirmative; ad hoc enim inſtitutæ ſunt Indulgentiæ, ut per illas pœna tam in hoc, quam in alio Mundo debita condonetur; Et quidem quod per Indulgentias condonentur pœnæ ſatisfactoriæ injunctæ pro hac vita, conſtat ex uſu primitivæ Eccleſiæ, quæ per Indulgentias remittebat pœnas injunctas pœnitentibus; Verbi gratia, per Indulgentias ſeptem annorum pœnas, quæ ſeptennio erant tolerandæ. Quod etiam aliæ pœnæ pro peccatis debitæ per Indulgentias tollantur, patet etiam, quia cæteroqui Indulgentia plenaria non tolleret omnem omnino pœnam debitam; Ex quo etiam ſequeretur, non poſſe Pontificem ſolvere omne vinculum impediens ingreſſum ad Patriam; quod adverſatur dicto illi Chriſti Domini, *Tibi dabo claves Regni Cælorum &c.* Quare per Indulgentiam plenariam omnis omnino debita pœna remittitur, per alias vero Indulgentias pars pœnæ illi correſpondens. Eſto incertum ſit, quid cuique Indulgentiæ correſpondeat. Quod ſi Indulgentia excedat debitum, exceſſus ille remanet in Eccleſiæ theſauro; Vel ſi indulgentiæ ſint ex iis, quæ poſſint applicari defunctis, illis applicantur juxta lucrantis intentionem, & divinam acceptationem.

III. Dubium eſt; An poſſit quis per Indulgentias liberari ab aliis pœnis debitis, etiam quando in Bulla conceduntur expreſſe Indulgentiæ *de pœnis injunctis?*

Reſpondeo, cum Con. diſp. 12. de Sacram. dub. 3., & Suar. diſp. 50. ſect. 3., & aliis communiter affirmative. Ratio eſt, tum quia in cap. *Ex parte* 17. *De decimis* habetur; *Ubi majus conceditur, etiam minus conceſſum eſſe videtur;* quæ regula locum habet in iis, quæ ſunt ejuſdem rationis, & per ſe ad idem privilegium, ſeu poteſtatem pertinent; tum etiam quia clauſula illa *de injunctis pœnis* apponitur ad augendam, non ad limitandam conceſſionem; Sicut, verbi gratia, quando in facultate abſolvendi ſacramentaliter additur clauſula *a reſervatis*, per illam procul dubio intelligitur pariter conceſſa facultas abſolvendi a non reſervatis, ob regulam traditam. Unde fit, quod ſi pœnitens compleverit jam pœnitentiam ſibi a Confeſſario injunctam, adhuc per talem indulgentiam



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

liberatur a reatu, ſi quem habet, alterius pœnæ ſecundum menſuram illius indulgentiæ. An autem per Indulgentiam plenariam ceſſet obligatio pœnæ a Confeſſario impoſitæ, ſeu obligatio ſatisfactionis Sacramentalis, etiam quando pœna eſt medicinalis, dummodo pœnitens adhibeat aliud remedium, ſi eſt opus, ad non recidendum? Examinavimus ſupra in quæſt. ſexta de ſatisfactione, articulo tertio.

IV. Quæritur tertio; An Indulgentias, quas acquirimus, poſſimus applicare pro defunctis?

Reſpondeo cum Con., & aliis communiter, non poſſe nos propria auctoritate applicare illas pro defunctis; poſſe vero, ſi ita a Pontifice concedantur. Ratio eſt, quia, ut dicemus art. ſequente, ſolus Pontifex poteſt pro defunctis Indulgentias concedere, idque non per modum abſolutionis, quia in defunctos juriſdictionem non habet, ſed per modum ſolutionis, ſeu ſuffragii, hoc eſt per exhibitionem pretii ſufficientis ex theſauro Eccleſiæ in ſatisfactionem pro peccatis illorum.

V. Dubium tamen eſt primo, quid requiratur, ut Indulgentiæ, quæ defunctis applicantur, illis proſint.

Reſpondeo, requiri primo, ut opus injunctum ea intentione fiat, ut Indulgentiæ acquirantur defunctis; non enim aut ſibi, aut alteri quiſquam Indulgentiam acquirit, niſi id velit. Secundo, ut Deus ſatisfactiones hujuſmodi pro defunctis exhibitas velit pro

VI. Dubium eſt ſecundo, num ad

illis acceptare.

acquirendas Indulgentias pro defunctis, ſatis ſit dumtaxat habere intentionem, quod iis proſint; an vero requiratur etiam, quod opus præſcriptum ſit ſatisfactorium, & offeratur in ſatisfactionem pro ipſis?

Reſpondeo ex Con. dub. 7. ſufficere primum; immo nec eſſe neceſſe, ut opus injunctum ſit de ſe ſatiſfactorium; eo quod opus illud ſit ſolum quædam conditio, qua poſita, Pontifex ſua conceſſione applicat Indulgentias huic, vel illi, exhibendo videlicet Deo de theſauro Eccleſiæ Satisfactiones Chriſti Domini, & SS., ita ut relate ad vivos a reatu pœnarum abſolvat, relate vero ad defunctos mere offerat Deo ſolutionem pro pœnis luendis. Unde ſequitur, quod poſſit quis Indulgentias lucrari pro defunctis, etiamſi opus injunctum ponat in ſtatu peccati mortalis, cum non debeat tale opus, ut diximus, eſſe de ſe ſatisfactorium, ſed ſufficiat, quod ſit utile ad finem intentum, quam utilitatem habet, etiamſi fiat a peccatore; Econtra, ut homo lucretur Indulgentias pro ſe, debet ultimum opus injunctum ponere in gratia, ut patet; quia pœna non tollitur, non ſublata culpa.

VII. Dubium eſt tertio; An Indulgentiæ pro defunctis conceſſæ infallibiliter illis proſint, ſi illis applicentur?

Reſpondent aliqui cum Sot., Navar., Valent., Suar., Con. apud Dian. part. 9. tract. 2. reſol. 3., & apud Laym. cap. 7. affirmative; quia Chriſtus Dominus theſaurum ſuarum ſatisfactionum reliquit Paſtori Eccleſiæ diſpenſandum æque pro vivis, ac pro defunctis. Probabilior tamen eſt ſententia negativa Bonav., Ricard., Cajet., Henr., & aliorum; Siquidem neque ex ullo Scripturæ loco, neque ex ulla certa traditione conſtat, Chriſtum Supremum Judicem obligaſſe ſe ad acceptandas ſatisfactiones ab Eccleſia oblatas pro libertate defunctorum; Etenim promiſſio illa, *Quicquid ſolveris ſuper terram*, ad vivos tantum refertur; cum judiciaria poteſtas, quæ illis verbis traditur, in defunctos exerceri non poſſit: Quare Indulgentiæ non applicantur pro defunctis per

mo-

modum abſolutionis, ſed per modum ſuffragii, ſupplicando Deum, ut ſatiſfactiones pro illis exhibitas misericorditer acceptare dignetur.

Confirmatur hoc ex uſu Eccleſiæ, quæ etiam poſt applicatam alicui indulgentiam plenariam per ſacrificium in altari privilegiato oblatum, alia, & alia offert Sacrificia, ut conſtat ex Anniverſariis; ergo ſignum eſt, quod quamvis ex divina miſericordia ſperetur, tales oblationes, & indulgentias habituras eſſe effectum ſuum, non tamen hoc pro certo, & infallibili habeatur. Hinc probabilis redditur doctrina Henr., & Rodriq. apud Laym., quod Deus longe facilius acceptet oblationes, & ſuffragia oblata pro iis defunctis, qui in hac vita magis pro ſuis peccatis ſatisfacere, & Indulgentias lucrari, & pro defunctis orare ſtuduerunt.

Neque dicas, hinc ſequi, neque eſſe certum, quod Indulgentiæ applicari, & prodeſſe poſſint defunctis ex conceſſione Pontificis. Nam oppoſitum conſtat ex praxi Eccleſiæ; idque tradit Leo X. in Epiſtola ad Lutherum apud Cajet. pag. 39. 48. art. 5., Si enim quivis privatus applicare poteſt ſatisfactiones ſuas pro defunctis, quidni etiam Pontifex applicare pro iiſdem poterit ſatisfactiones Chriſti, & SS.? Et ſane omnes Catholici communiter cenſent, Communionem Sanctorum, quam in Symbolo profitentur, in eo conſiſtere, quod unius ſatisfactio pro altero oblata ei proſit; etenim cum ſimus membra unius corporis, actiones unius cenſentur quodammodo alterius: Quare ſicut poſſum pro alio reſtituere æs alienum; ſic etiam poſſum pro aliis ſatisfacere, tam apud homines, quam apud Deum; eſto requiratur, ut offenſus benigne velit in ſatisfactionem acceptare oblationes non ab ipſo delinquente, ſed ab aliis pro ipſo oblatas: Quod ſi poſſum pro defunctis offerre ſatisfactiones proprias, potero pariter pro iiſdem ex Pontificis conceſſione offerre ſatisfactiones Chriſti Domini, & Sanctorum, quas per indulgentias mihi applicarem; & ſic per indulgentias ſatisfacere pro defunctis; unde certum, ac de fide eſt, Indulgentias pro defunctis applicari poſſe, ac illis prodeſſe; quamvis, ut illis proſint, requiratur benigna Dei acceptatio: Et quia ad hanc Deus non ſe obligavit, idcirco non ſemper Indulgentiæ pro defunctis applicatæ proſunt illis infalſibiliter.

## ARTICULUS III.

### Quiſnam poſſit Indulgentias concedere?

*I. Datur diſcrimen inter Indulgentias, quas Pontifex largitur vivis, & eas, quas concedit pro defunctis.*

*II. Poteſtas clavium latius patet, quam poteſtas Juriſdictionis.*

*III. Nequeunt Epiſcopi citra Pontificis conceſſionem Indulgentias elargiri.*

*IV. Poſſunt vivis, utpote ſubditis, poteſtate ordinaria nonnullas Indulgentias concedere, non tamen applicabiles pro defunctis.*

*V. Nequeunt Abbates, aut Parochi Indulgentias ullatenus concedere, niſi ex ſpeciali conceſſione.*

I. QUæritur primo; Utrum Pontifex poſſit tam pro vivis, quam pro defunctis Indulgentias concedere?

Reſpondeo, ex dictis facultatem hanc conceſſam eſſe a Chriſto Domino immediate Summo Pontifici, cui dixit, *Tibi dabo claves Regni Cœlorum, &c.*, unde non ſolum poteſt per Sacramentorum collationem tollere culpas, ſed etiam per Indulgentiarum collationem tollere pœnas, & ſic aperire cuilibet

Re-

Regnum Cœlorum. Ita Doctores communiter.

Illud autem, ut diximus, eſt diſcrimen inter Indulgentias, quas concedere poteſt vivis, & eas, quas poteſt concedere defunctis, ex Bellarm. lib. 1. cap. 1., & Con. contra Suar. diſp. 49. ſect. 4., quod reſpectu vivorum conceſſio Indulgentiarum ſit actus juriſdictionis, continens abſolutionem a pœnis; reſpectu vero mortuorum non habeatur abſolutio, ſed mera ſolutio pro pœnis ab iiſdem debitis. Ratio eſt, quia Pontifex ſolum erga vivos juriſdictionem habet, & ſic poteſt illos juridice abſolvere; erga mortuos vero juriſdictionem non habet; unde tantum poteſt illis diſpenſare merita Chriſti Domini, Beatiſſimæ Virginis, & Sanctorum, & ſic applicare de illis ſolutionem pro pœnis debitis a defunctis, & illos a Purgatorio liberare; Et hoc eſt conferre, ſeu applicare Indulgentias defunctis per modum Suffragii.

Neque dicas primo, etiam per indulgentias conceſſas pro vivis ſolvi ſufficiens pretium de theſauro Eccleſiæ, ut conſtat ex Extravag. *Unigenitus* De *pœnitentiis, & remiſſionibus*; ergo in hoc non differunt indulgentiæ pro vivis, & pro defunctis.

Nam quamvis non differant in hoc, quod tam indulgentia pro vivis, quam pro defunctis ſolvat ſufficiens pretium de theſauro Eccleſiæ, differunt tamen in eo, quod indulgentia pro vivis ſit abſolutio juridica facta a legitimo Judice, infallibiliter obtinens effectum ſuum, poſitis requiſitis. Contra vero indulgentia pro defunctis eſt mera exhibitio ſufficientis pretii, quam acceptare eſt omnino in arbitrio creditoris; Etenim creditor in pœnis perſonalibus non ſemper tenetur pro unius offenſa alterius ſatisfactionem accipere.

II. Neque dicas ſecundo, conceſſionem indulgentiarum, ſive pro vivis, ſive pro defunctis, eſſe actum poteſtatis clavium; ergo utraque eſt actus juriſdictionis; ergo utraque fert abſolutionem juridicam.

Nam conceſſo antecedente, negatur utraque conſequentia; Poteſtas enim clavium eſt poteſtas aperiendi, & claudendi cœlum; cum igitur cœlum aperiri poſſit, tam per actus juriſdictionis, videlicet per juridicam abſolutionem, quam per alios actus, videlicet exhibendo Deo de theſauro Eccleſiæ ſufficiens pretium ad liberandos a pœnis debitis defunctos; ſequitur, quod conceſſio indulgentiarum pro defunctis ſit quidem ex poteſtate clavium, ſed non actus juriſdictionis: Unde latius patet poteſtas clavium, quam juriſdictionis; cum illa etiam ad defunctos extendatur, non vero iſta.

III. Quæritur ſecundo; An etiam Epiſcopus poſſit Indulgentias concedere?

Reſpondeo cum Suar. diſp. 49. ſect. 1. ex D. Th., Sylveſt., & aliis communiter, poſſe Epiſcopos Indulgentias concedere non jure divino, ſed ſolum ex conceſſione Summi Pontificis. Ratio eſt, quia in Concilio Lateranenſi ſub Innoc. III. poteſtas concedendi Indulgentias eſt ita reſtricta Epiſcopis, ut nonniſi unius anni Indulgentiam in die dedicationis Eccleſiæ, & ob aliam juſtam cauſam 40. tantum dierum indulgentias concedere poſſint; quod ſi hujuſmodi poteſtas eſſet de jure divino, profecto non poſſet adeo reſtringi a concilio.

IV. Ubi adverte primo, poteſtatem hanc Epiſcoporum concedendi indulgentias, quamvis ſit ex conceſſione Pontificis, eſſe tamen ordinariam; cum illis competat ratione proprii officii. Secundo ſi ultra limites ſuæ poteſtatis indulgentias concedant, eſſe nullas quoad exceſſum, ex Cap. *Noſtro*

*de pœnit.*, *& remiſ.* Tertio nullam omnino indulgentiam concedi poſſe ab Epiſcopis reſpectu mortuorum; ut communiter docent cum Suar. diſp. 55. ſect. 2. Ratio eſt, quia ſolum conceditur Epiſcopis, ut poſſint indulgentias ſuis ſubditis elargiri, ex cap. *Quod autem de pœnit.*, *& remiſ.*; Mortui autem non ſunt ſubditi Epiſcopo. Ex quo patet, theſaurum Eccleſiæ applicandum per modum ſuffragii pro defunctis ſoli Pontifici eſſe commiſſum.

V. Demum certum eſt, neque Abbates, neque Parochos, neque alios, qui Epiſcopi non ſunt, habere a Jure poteſtatem concedendi indulgentias; Quare ſolum ex conceſſione ſpeciali poſſunt illas concedere, ut notat Bellarm. ex cap. *Accedentibus de exceſſibus Prælatorum*

## ARTICULUS IV.

### Quænam cauſa requiratur ad legitimam Indulgentiarum conceſſionem?

*I. Nequit ſine juſta cauſa Pontifex Indulgentias elargiri.*
*II. Quænam reputetur cauſa juſta, & ſufficiens ad eas elargiendas?*
*III. Cauſa hujus juſta non eſt a ſubditis penſitanda, ſed a concedente indulgentias.*
*IV. Opus injunctum quam proportionem habere debeat cum fine intento?*
*V. Concedi poteſt Indulgentia, quin ullum opus præſcribatur ad eam lucrandam.*
*VI. Qui tepide opus injunctum peragunt, non plenarie indulgentiam lucrantur.*

I. DOcent communiter Doctores, Indulgentiam abſque legitima cauſa conceſſam eſſe nullam. Et ratio eſt, quia per Indulgentiarum conceſsionem diſpenſatur Eccleſiæ theſaurus; cujus Pontifex non eſt Dominus, ſed merus diſpenſator; Qui autem eſt diſpenſator rerum ſui Domini, ſi abſque rationabili cauſa illas diſpenſet, nulliter diſpenſat; Præterea diſpenſator non poteſt ſine juſta cauſa remittere credita ſui Domini; ſed Pontifex largiendo indulgentias remittit credita Domini; quia pœnarum in Purgatorio luendarum, quæ per Indulgentias remittuntur, peccator eſt debitor, & Deus creditor; ergo non poſſent ſine juſta cauſa valide concedi Indulgentiæ.

II. Quæritur tamen primo; Quænam ſit juſta, & rationabilis cauſa ad Indulgentias concedendas?

Reſpondeo cum Bonac., Navar., Ricc., aliiſque communiter apud Bellarm. lib. 1. cap. 12. illam reputari juſtam, ac rationabilem cauſam, quæ pia, & Deo grata ſit, & proportionem aliquam habeat cum Indulgentia, quæ conceditur. Quare duo requiruntur; Primum, ut Indulgentia concedatur ad pium aliquem finem, cujus conſecutio æſtimetur Deo magis glorioſa, quam pœnitentia, quæ per Indulgentiam relaxatur; Verbi gratia, ad deprimendos hoſtes Eccleſiæ, ad gratias Deo agendas pro victoria e Paganis reportata, ad cultum Dei Sanctorumque promovendum. Secundum eſt, ut opus injunctum ad indulgentiam lucrandam proportionem habeat cum fine intento, ſeu utile, & aptum ſit ad finem conſequendum; Verbi gratia, preces ad Deum fuſæ, confeſsio, communio, jejunia, eleemoſynæ dicuntur opera apta ad aſſequendam depreſsionem hoſtium fidei, &c.

III. Docet autem Bellarm. loc. citat. non a ſubditis, ſed a concedente Indulgentiam examinandam eſſe cauſam illius, ac proportionem operis cum fine intento; atque adeo quamcumque ob cauſam, etiamſi leviſſima videatur, concedat Pontifex

In-

Indulgentias, iſtæ magno in pretio haberi debent a fidelibus, ut in hoc ipſo maxime ſe opponant Hæreticis, qui Indulgentias etiam ob graviſſimas cauſas conceſſas parvipendunt, ac contemnunt.

Advertit etiam Con. diſp. 12. dub. 6. num. 33., quod quando conceditur aliqua Indulgentia vel omnibus fidelibus, vel magnæ alicui communitati, proportio operis cum fine intento non debeat attendi ex efficacia cujuſque operis ſeorſim ſumpti, puta, jejunii, aut eleemoſynæ factæ a Titio; ſed ab eodem prout conjuncto cum aliis operibus aliorum fidelium.

IV. Quæritur ſecundo; an ad habendam prædictam proportionem requiratur, ut opus injunctum ſit per ſe ſufficiens pro remiſſione pœnarum, quæ per Indulgentiæ lucrationem remittuntur?

Reſpondeo negative. Et ratio eſt manifeſta, quia in tali caſu Indulgentia non eſſet indulgentia; quæ ex ipſa nominis etymologia fert remiſſionem cum liberalitate conjunctam.

V. Quæritur ultimo; An poſſet aliquando Pontifex concedere Indulgentiam, nullum opus injungendo ad ejus aſſecutionem? Verbi gratia, an poſſit Titio decedenti in gratia concedere Indulgentiam in articulo mortis?

Reſpondeo ex Suar. diſp. 52. ſect. 4., Con. diſp. 12. dub. 6. affirmative. Et ratio eſt, quia fieri poteſt, ut etiam in tali caſu habeatur juſtiſſima cauſa, verbi gratia, ob merita Titii erga Eccleſiam, & alia opera jam præſtita, & ut alii ad eum imitandum ſpe talis conceſſionis excitentur.

Neque dicas, in tali caſu non haberi proportionem operis præſcripti cum fine intento, cum nullum opus præſcribatur.

Nam ut conceſſio Indulgentiæ ſit juſta, & valida, non eſt neceſſe, ut præſcribatur opus, ſed ſatis eſt, ut concedatur propter opus proportionatum, ſive tale opus antecedat, ſive conſequatur ipſam conceſſionem; In caſu autem noſtro opus præcederet conceſſionem Indulgentiæ, quæ datur intuitu meritorum Titii erga Eccleſiam. Ratio hujus doctrinæ eſt, quia diſpenſatio cenſetur eſſe fidelis, & juſta, non ſolum ſi credita Domini remittantur ob bona opera injuncta, ſed etiam ob opera bona ante præſtita.

VI. Notandum denique, aliquando ex defectu proportionis prædictæ accidere, ut quamvis ex juſtiſſima cauſa concedatur Indulgentia plenaria omnibus, qui tale opus peregerint, non tamen illam omnes plenarie conſequantur; Nam qui maximas pro peccatis pœnas debent, ſi tepide opus injunctum peragant; periculum eſt, ne ab indulgentia plenarie conſequenda deficiant, ut habetur in Extrav. 1. Bonif. VIII. *de pœnit., & remiſ.* apud Conink num. 34., & ex S. Bonav. in 4. diſt. 20. part. 2. art. 7. quæſt. 6., ubi ait; Homines plus, vel minus participare de Indulgentia, prout plus, vel minus ad illius cauſam accedunt.

Neque dicas, ſatis eſſe, ut opera omnium ſint proportionata ad finem, ut Indulgentia poſſit acquiri.

Nam contra eſt, quia ſatis tantum eſt, ut poſſint Indulgentiæ concedi, quando opera omnium ſunt proportionata ad finem; non vero ſatis hoc eſt, ut poſſint ſingulis in particulari applicari, niſi devote peragant opera injuncta.

## ARTICULUS V.

### De diſpoſitione ad Indulgentiam lucrandam requiſita.

*I. Plura requiruntur in eo, qui Indulgentiam eſt lucraturus.*

*II. Ultimum ex operibus injunctis debet poni in ſtatu gratiæ, etiamſi alia poſita fuerint in ſtatu peccati mortalis.*

*III. Si quis pro alio indulgentiam lucretur, debet eſſe in ſtatu gratiæ, non is, qui ponit opera injuncta, ſed is, cui indulgentia applicatur.*

*IV. Probabiliter non requiritur confeſſio Sacramentalis, ſed ſufficit contritio perfecta ad Indulgentiam lucrandam.*

*V. Si indulgentia conferatur contritis, & confeſſis, ſufficit contritio imperfecta, ſeu attritio ad illam lucrandam.*

I. PRimo requiritur in eo, qui lucraturus eſt Indulgentias, ut ſit baptizatus; diſpenſatio enim theſauri Eccleſiaſtici fieri non poteſt, niſi in filios Eccleſiæ.

Secundo, ut ſit ſubditus illius, qui indulgentiam concedit; Unde Indulgentiæ ab Epiſcopis conceſſæ nonniſi a propriis ſubditis acquiri poſſunt: Docet tamen Laym. cap. 4. num. 2. ex Palud., concedi poſſe ab Epiſcopo, verbi gratia, Neapolitano ſuis ſubditis facultatem, ut Indulgentias ab Epiſcopo Nolano conceſſas lucrentur. Hinc ſi Epiſcopus Nolanus concedat quadragenam, vel unius anni Indulgentiam ſubditis ſuis viſitantibus Eccleſiam A in feſto dedicationis, vel Patroni talis Eccleſiæ, poteſt Epiſcopus Neapolitanus facultatem dare ſuis ſubditis, ut illam ipſi etiam lucrentur.

Tertio, ut non ſit excommunicatus excommunicatione majori, quia hæc privat hominem participatione bonorum ſpiritualium communium.

II. Quarto, ut ſaltem quando ponitur ultimum ex operibus injunctis, homo ſit in ſtatu gratiæ. Ratio ex D. Th., & Theologis communiter eſt, quia remiſſio pœnæ temporalis ſupponit remiſſionem culpæ; non enim remittitur pœna inimicis, ſed amicis. Dixi, ſaltem quando ponitur ultimum opus; nam Cajet., Sot., & alii apud Bellarm. lib. 1. cap. 12. putant neceſſe eſſe, ut omnia opera injuncta fiant in ſtatu gratiæ; quia ſcilicet opera peccatoris, utpote mortua, ſunt inutilia ad finem intentum, videlicet ad placandum Deum, ejuſque beneficia impetranda; Deus quippe peccatores ad ſe non revertentes non audit. Verum quamvis hæc ſententia ſit tutior, & ideo conſultum ſit, ut qui Indulgentiam eſt lucraturus, prius vel contritione perfecta, vel confeſſione Sacramentali ſua peccata curet eluere: Nihilominus probabiliorem cenſet Suar. diſp. 53. ſect. 4., Con. dub. 7. num. 39. ſententiam Paludani, Antonini, & aliorum apud eundem Bellarm. putantium, ſatis eſſe, ut in ſtatu gratiæ ponatur ultimum opus injunctum. Quod probant ex uſu Eccleſiæ; nam in Jubilęis jejunia præſcripta, viſitationes Eccleſiæ, &c. plerumque præmittuntur Confeſſioni, & tamen probabile eſt, ante confeſſionem quamplurimos non juſtificari.

Ad rationem in contrarium negatur, opus peccatoris, etiamſi mortuum, in caſu noſtro eſſe inutile ad finem; valet enim ad excitandam populi devotionem, ad diligentiorem præparationem ad Sacramentum confeſſionis, & communionis, necnon ad placandam divinam vindictam; quamvis enim Deus peccatores obſtinatos non audiat; audit tamen ſæpe volentes converti; cæteroqui fruſtra clamarent, *Converte nos Deus ſalutaris noſter.*

III. Ex dictis ſequitur, quod ſi concedatur in Bulla, ut poſſit aliquis pro alio indulgentiam acquirere (quod fieri poſſe videtur certum Con.; ſicut enim poteſt indulgentia acquiri pro defunctis, ita & pro aliis vivis) de-

beat eſſe in ſtatu gratiæ is, cui indulgentia applicatur; non vero is, qui opus præſcriptum ponit, ut alius indulgentiam aſſequatur.

Quinto demum requiritur, ut indulgentiam lucraturus nullum opus injunctum prætermittat; unde ſi inculpabiliter, ſive ex ignorantia, ſive ex impotentia aliquid omittat, indulgentiam non conſequetur; ut communiter Doctores docent ex D. Th. apud Bellarm. lib. 1. cap. 13. Et ratio eſt, quia Indulgentiæ tantum valent, quantum ſonant. Quod ſi in Indulgentia concedatur, ut poſſit a Confeſſario opus injunctum commutari ex juſta cauſa, tunc certe poterit quis lucrari indulgentiam ponendo opus a Confeſſario ſubrogatum. Hinc ſequitur, quod ſi quis ponat mediam partem operum injunctorum, non proinde mediam partem indulgentiarum lucretur, ut ex communi Theologorum docet Con. dub. 7. num. 36.; niſi hoc ipſum in conceſſione exprimatur; Ratio eſt eadem, quia indulgentiæ tantum valent, quantum ſonant.

IV. Quæritur primo; An quando in Bulla conceditur indulgentia pœnitentibus vere contritis, & confeſſis, requiratur, præter contritionem perfectam, confeſsio Sacramentalis ad indulgentiam lucrandam.

